Simiotice, sive de signis medicis, tractatus / [Thomas Feyens].

Contributors

Feyens, Thomas, 1567-1631

Publication/Creation

Lugduni : Sumpt. Joannis Antonii Huguetan, & Marci Antonii Ravaud, 1664.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/hwmfaey3

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Fieni

1664



22547/B

E XII
17/f

F. Willoughby: K:4:6
48534

THOMÆ

FIENI,

PHILOSOPHI

AC MEDICI PRÆSTANTISSIMI

SIMIOTICE,

Sive De Signis Medicis,

TRACTATVS.

Opus accuratiſsimum, omnibus Medicinæ ſtudia amplexantibus ſummè neceſſarium.

In duas Partes diviſum, cum Indicibus nova methodo paratis.



LVGDVNI,
Sumpt. IOANNIS ANTONII HVGVETAN,
& MARCI ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXIIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

Viro Maximo, ac Incomparabili,

D. VOPISCO FORTVNATO

PLEMPIO,

MEDICINÆ PROFESSORVM

apud Lovanienſes Principi, Sal. Pl.

VIR Maxime, Fautor Colendiſſime. *Cùm nulla omnino res vtrique noſtrûm magis in votis hactenus fuerit, quàm vt literaria de Repub. mereri quàm optimè poſſemus, lectiſſima nimirum ſublimium ingeniorũ monumenta vndequaq́ ſollicitè conquirendo, ac prælo noſtri typographici operâ publicam in lucem expromendo: non potuimus non impensè nobis gratulari, quòd præter ſpem noſtras ad manus haud ita pridem pervenerit* THOMÆ FIENI, *in alma veſtra Academia Philoſophi olim ac Medici longè Celeberrimi* TRACTATVS DE SIGNIS IATRICIS, *omniũ accuratiſſimus, Medicarum rerum Candidatis ſuo quidem tempore dictatus, nuſquam tamen adhuc typis evulgatus: quẽ cùm oculatiſſimis eâ in arte Viris, perluſtrãdum, excutiendũ, æſtimandumq́ obtuliſſemus, non ſolùm plurimæ eruditionis plenum, ſed etiam numeris omnibus abſolutum, cedro tantum non dignum, cunctiſq́ adeò Hippocrateorum Or-*

giorum consecraneis vtilißimum, renunciârunt. Quapropter de adornanda ipsius Editione sine mora satagere cepimus, eâ formâ qualẽ Tractatûs moles potißimum suadere videbatur. Istud verò dũ facimus, de Patrono quoq; idoneo, cui pro recepto more inscriberetur tãti Æsculapij labos, cogitãdum nobis fuit. Quo nomine vt in Te vnum, ex omni literatorũ cœtu, oculos defigeremus, VIR EXIMIE, invitamentum habuimus non vnum. Enimverò cùm ea in Academia verseris, in qua natus hic laudatißimi tui decessoris αὐλόπαις, imò cùm in ipsa principem Medicæ professionis locum hodie obtineas, religio nobis fuisset ipsius nuncupationẽ ad vllum alium quàm ad Te dirigere. Vt iam prætereamus incredibilẽ tuorum meritorũ splendorem, omniũ in te oculos potentißimè allicientem ac rapientem, quæ propria est luminis indoles. Necnon vt sileamus varia illa tua lucubramenta, quorũ admiratione ac famâ totum orbẽ perculisti atque implevisti; quibus plura neutiquam deterioris sortis adjcere paras, quæ adhuc apud te elaborantur, & quæ si nobis aliquando impertire digneris, vtque nostris characteribus excusa pervulgentur annuere, dabimus profectò operam, vt quam emendatißimè idipsum fiat. Quid autem ab industria & cura nostra tibi polliceri possis, tum ex hac ipsa editione, tum ex aliis innumeris conjciendum relinquimus. Interim vt nostram hancce compellatiunculam, & qualem qualem honoris significationem benignè consulere, nósque perpeti tuo favore irradiare velis, etiam atq; etiam oramus: Vt verò Te diutißimè sæculo huic nostro, tuæque familiæ sospitem servet Deus Opt. Max. ex animo vovemus,

Inclyti Tui Nominis Cultores Præcipui,
IOAN. ANT. HVGVETAN, & MARC. ANT. RAVAVD.

ELENCHVS

ELENCHVS
Partium, Sectionum, Capitum, & §. totius Tractatus de Signis.

PARS PRIOR,

De Signis Medicis in genere: necnon de Rebus per ea signatis. pag. 1

SECTIO I.

De Signis Medicis in genere. *ibid.*

CAP. I. SIGNA, in genere. ibid.
II. Signorum differentiæ in genere. 6
III. Diuisio Signorum generalissima. 8

SECTIO II.

De Signis salubribus. 17

CAP. I. §. 1. DIfferentiæ signorum particulares, & primò, Signa Salubria. ibid.
2. Signa temperamenti medij & temperati totius corporis. 1.
3. Signa temperamentorum intemperatorum. 18
4. Problemata circa dicta de signis temperamentorum. 19
II. §. 1. Signa complexionum. 34
2. Signa complexionis sanguineæ. ibid.
3. Signa complexionis biliosæ. 35

§. 4.

§. 4. Signa complexionis pituitosæ. ibid.
5. Signa complexionis melancholicæ. 36
6. Problemata circa dicta de signis complexionum. ibid.
Cap. III. §. 1. De Temperamentis membrorum in particulari: & primò Signa Cerebri. 43
2. Signa temperamenti Cordis. 44
3. Signa temperamenti Hepatis & Ventriculi. 45
4. Signa temperamenti Testium & vteri. ibid.

SECTIO III.
De Signis Neutris. 45

§. 1. Signa Neutra. ibid.
2. Signa futurorum morborum. 46

SECTIO IV.
De Signis Insalubribus. 50

Cap. I. §. 1. De signis Anamnesticis. ibid.
2. De signis Diagnosticis. 56
II. De signis Diagnosticis causarum morbificarum in genere. 57
III. De signis Diagnosticis causarum morbificarum in particulari. 58
§. 1. Signa sanguinis abundantis. ibid.
2. Signa bilis abundantis. 59
3. Signa pituitæ abundantis. 60
4. Signa melancholiæ abundantis. ibid.
5. Signa seri abundantis. 61
6. Signa flatuum abundantium. ibid.
IV. Signa Diagnostica morborum. ibid.
V. Signorum Diagnosticorum morborum fontes. 63
VI. Signa differentiarum morbi accidentalium & generalium. 65
§. 1. Signa Morbi magni vel parvi. ibid.
2. Signa morbi maligni. 67
3. Signa morbi longi & brevis. 68
4. Signa morbi spurij, vel exquisiti. 70
5. Signa morbi primarij, vel per consensum. 71

§. 6.

§. 6. Signa morbi simplicis, vel compositi. 74
Cap. VII. Signa Differentiarum morbi essentialium, & magis particularium. 75
§. 1. Signa morbi calidi, frigidi, sicci, & humidi. ibid.
2. Signa morborum instrumentalium. 76
3. Signa obstructionum. 77
4 Signa vlcerum. ibid.
VIII. Signa Diagnostica partis affectæ. 78
IX. Signa Diagnostica Symptomatum. 85

SECTIO V.

De Signis Prognosticis. 86

Cap. I. §. 1. Scientiam prognosticandi esse difficilem. ibid.
2. Signa Prognostica quid significent. 91
3. Signorum Prognosticorum fontes. ibid.
II. Signa Prognostica exitûs morbi ad vitam vel mortem: Et primò Regulæ generales. 92
III. Regulæ particulares, de Morbi exitu salubri vel insalubri. 95
IV. Alia Prognostica exitûs morbi ad vitam vel ad mortem, à morbi causâ desumpta. 97
V. §. 1. Alia Prognostica morbi exitûs ad vitam vel ad mortem, à partibus sumpta. 98
2. Prognostica exitûs morbi ad vitam vel ad mortem, à natura ægrotantis desumpta.
3. Prognostica exitûs morbi ad vitam vel mortem, à Symptomatibus desumpta. 101
4. Prognostica ab actionibus læsis desumpta. 102
5. Prognostica exitûs morbi ad vitam aut mortem, à qualitatibus corporis mutatis. 103
6. Prognostica exitus morbi ad vitam vel mortem, à morbi temporibus. 107
7. Prognostica exitus morbi ad vitam vel mortem, à iuvantibus & lædentibus desumpta. 109
8. Prognostica exitus morbi ad vitam vel ad mortem, à Naturæ viribus. ibid.
VI. §. 1. Signa, quibus vires validæ vel imbecilles cognoscuntur. 110

§. 2. Animalis facultatis robustæ signa. 112
3. Vitalis facultatis robustæ signa, aut eiusdem imbecillæ. 113
4. Naturalis facultatis robustæ vel debilis signa. 114
VII. Prognostica temporis exitûs morbi, id est, an morbus sit futurus longus an brevis. 115
VIII. Signa temporis determinati exitus morbi. 118
IX. §. 1. Prognostica exitus morbi à modo desumpta. 122
2. Alia signa modi exitûs. 124

SECTIO VI.

De Crisi. 125

Cap. I. §. 1. De Crisi, quid rei sit. ibid.
2. Causæ Criseos. 126
II. §. 1. Quatuor consideranda circa solutionem per crisini: & primò, An sit futura Crisis. ibid.
2. Quando Crisis sit futura. 132
III. §. 1. Quomodo Crisis sit futura, & quidem per expulsionem. 134
2. De Crisi per abscessum. 136
IV. §. 1. An Crisis facta bona sit, an mala. 139
2. Conditiones bonæ Criseos. 140

PARS ALTERA.

De Signis ipsis quatenùs significant. 143

Proœmium, De fontibus signorum. *ibid.*

SECTIO I.

Signa à Rebus Naturalibus. *ibid.*

Cap. I. Signa à Temperamento. ibid.
II. Signa à corporis dispositione. 145
III. §. 1. Signa à partibus externis, & primùm à toto corpore. 156
2. Signa à capite. 157

§. 3.

§. 3. Signa à faciei similitudine. ibid.
4. Signa à faciei colore. 158
5. Signa ab oculis. 160
6. Signa à naso. 164
7. Signa ab auribus. 165
8. Signa à labris. 166
9. Signa à dentibus. 167
10. Signa à lingua & ore. 168
11. Signa à faucibus. 169
12. Signa à thorace. 170
13. Signa ab hypochondriis. 171
14. Signa à partibus ventris. 174
15. Signa ab extremis partibus, & vnguibus. 175
16. Signa à venis. ibid.
17. Signa à cruribus, brachiis, & aliis partibus. 176

SECTIO II.

Signa à Rebus non naturalibus. 177
Cap.I.§.1. Signa ab aëre. ibid.
2. Signa à regione. 178
3. Signa ab omni tempore. 179
4. Morbi æstatis, sive æstiui. ibid.
5. Morbi autumnales. 180
6. Morbi hyemales. ibid.
7. Signa ab accidentalibus anni constitutionibus. ibid.
8. Signa à Constellationibus siderum. 182
9. Signa à Lunæ ætate. ibid.
II. Signa à quinque reliquis rebus non-naturalibus. 184
1. Signa à cibo & potu. ibid.
2. Signa à motu & quiete. 185
3. Signa à somno & vigilia, 186
4. Signa ab evacuatione & inanitione. 187
5. Signa ab animi affectibus. ibid.

SECTIO III.

Signa à Rebus præter naturam. 188
Cap.I. Signa à Causis morbificis. ibid.
II. Signa à morbis. 189

CAP. III. Signa à Symptomatibus in genere. 192
IV. §. 1. Signa ab Actionibus animalibus. ibid.
2. Signa à delirio. ibid.
3. Signa ab obliuione ac memoria deperdita. 195
4. Signa à somno & vigilia. 196
V. §. 1. Signa à læsione sensuum externorum in genere. 198
2. Signa à læsione visûs. 200
3. Signa ab auditione læsa. 201
4. Signa ab olfactu læso. 203
5. Signa à gustu læso. ibid.
6. Signa à tactu læso. ibid.
VI. §. 1. Signa à motu voluntario. 205
2. Signa à Tremore. 206
3. Signa à Convulsione. 207
4. Signa à rigore & horrore. 210
5. Signa à palpitatione. 213
6. Signa à gesticulatione manuum. 214
7. Signa à pandiculatione, & oscitatione. ibid.
8. Signa à decubitu. 215
9. Signa ab inquietatione. 217
10. Signa à lassitudine. 218
11. Signa à paralysi & torpore membrorum. 220
12. Signa à casu in terram. ibid.
VII. §. 1. Signa à Respiratione. 221
2. Signa à sternutatione. 225
3. Signa à Voce. 227
4. Signa à Tussi. 230
VIII. §. 1. Signa ab actionibus vitalibus, siue à Pulsu. 231
2. Pulsuum Differentiæ. 233
3. Pulsuum differentiarum Causæ. ibid.
4. Pulsûs inæqualitates singulares. 241
5. Pulsus inæquales systematici. 246
6. Signa à syncope, & animi deliquio. 249
7. Signa à palpitatione cordis. 250
8. Signa ab animi passionibus. 251
IX. §. 1. Signa ab actionibus naturalibus: & primùm à Vomitu. ibid.
2. Signa à singultu. 255

§. 3.

§. 3. Signa ab appetentia dejecta. 256
4. Signa à siti immoderata. 258

SECTIO IV.

De Signis ab Excrementis. 260

Cap. I. §. 1. Signa à substantia Excrementorum. ibid.
2. Signa è sanguine exeunte. 262
3. Signa à sanguinis differentiis, & primò ab eius crassitie & tenuitate. 263
4. Signa à sanguinis quantitate. 264
5. Signa à sanguinis qualitate. 265
6. Signa à tempore exeundi sanguinis. ibid.
7. Signa à modo exeundi sanguinis. 266
8. Signa à loco effluxionis sanguinis. ibid.
II. Signa à Pure exeunte. 273
III. §. 1. Signa à sudoribus. 277
2. Signa à modo substantiæ sudorum. 278
3. Signa à quantitate sudorum. 279
4. Signa à qualitate sudorum. 280
5. Signa à loco sudorum. 282
6. Signa à tempore sudorum. 284
IV. §. 1. Signa à Dejectionibus. 285
2. Signa à Dejectionum quantitate. ibid.
3. Signa à Dejectionum qualitatibus. 288
4. Signa à dejectionum exeundi modo. 291
5. Signa à substantia quæ cum fœcibus exit. ibid.
V. De Vrinis. 292
1. Vrina quid sit. ibid.
2. De Vrinæ materia. 295
3. Vrinæ causa efficiens. 297
4. Vrina quale sit signum, & quæ indicet. 301
5. De Vrinarum differentiis. 308
6. Causæ differentiarum vrinæ. ibid.
VI. §. 1. Differentiæ vrinarum. 313
2. Differentiæ vrinarum à substantiæ modo. 314
3. Differentiæ vrinarum à qualitatibus, & primò à colore. 325
4. Differentiæ vrinarum ab odore. 337

§. 5. Differentiæ vrinarum à ſono. 340
6. Differentiæ vrinarum à quantitate. ibid.
7. Differentiæ vrinarum à contentis. 342
VII. §. 1. Signa à Vermibus exeuntibus. 383
2. Signa à ſubſtantia Vermium. ibid.
3. Signa à ſpecie Vermium. 384
4. Signa à qualitate Vermium. 385
5. Signa à modo exeundi Vermium. ibid.
6. Signa à tempore exeundi Vermium. 386
VIII. §. 1. Signa à Sputo. 387
2. Signa à ſubſtantia ſputi. 388
3. Signa à quantitate ſputi. 389
4. Signa à qualitate ſputi. ibid.
5. Signa à ſapore ſputi. 392
6. Signa à modo exeundi ſputi. ibid.
7. Signa à tempore exeundi ſputi. 393
IX. §. 1. Signa à ſordibus aurium. ibid.
2. Signa à ſubſtantia ſordium in auribus. ibid.
3. Signa à lachrymis. 393

SECTIO V. ET VLT.

De Signis à ſimplicibus corporis affectibus. 395

CAP. I. §. 1. DE ſimplicium corporis affectuum diuiſione. ibid.
2. Signa à corporis qualitatibus primis. ibid.
II. §. 1. Signa à dolore. 398
2. Signa à loco doloris. 399
3. Signa à dolorum ſpeciebus ac differentiis. 402
4. Signa à modo doloris. 406
5. Signa à tempore doloris. 409
III. §. 1. Signa à qualitatibus audibilibus. 410
2. Signa à ſtrepitu ventris. ibid.
3. Signa à tinnitu aurium. 412
4. Signa à ſtrepitu in reſpirando. 413
IV. Signa à qualitatibus viſibilibus. 414

THOMÆ FIENI
ΣΗΜΕΙΩΤΙΚΗ,
SEV
TRACTATVS DE SIGNIS.

PARS PRIOR:
De Signis medicis in genere: nec non de rebus per ea signatis.

SECTIO PRIMA.
De Signis in genere.

CAPVT I.
Signa.

SIGNVM est, quicquid manifestius existens potest nos ducere in cognitionem illius, quod est occultius: De ratione signi est, quòd sit manifestum; de ratione signati seu illius quod significatur est quod sit occultum: saltem signum debet esse manifestius signato; & contrà signatum debet esse occultius signo: etenim non est necesse, vt signum sit perfectè manifestum, sed satis est, quod sit saltem manifestius signato.

Aliqui dicunt esse de ratione & essentiâ signi, vt sit cognitum sensu; sed hoc est falsum: quia multæ res possunt esse signa, quæ tamen non sunt cognitæ sensu, possunt enim esse cognitæ intellectu; & sufficit esse cognitas quomodocúnque sive sensu sive intellectu: Sic species bo-

narum actionum, bonæ victus rationis præteritæ in patiente aliquo reseruatæ, in phantasiâ Medici possunt esse signa sanitatis præteritæ ipsius.

Sciendum tamen, quod pleraque signa sint cognita sensu; & illa sunt optima; nam illa signa sunt optima, quæ sunt nobis manifesta & cognita, illa autem nobis optimè cognita sunt, quæ sensu percipiuntur: ergo illa sunt optima & securissima signa. Aliqui dicunt, quòd nihil possit esse signum, nisi illius quod est actu; sed hoc est falsum; nam multa sunt signa rerum præteritarum & futurarum, quæ tamen res non sunt actu; sola enim præsentia sunt actu.

Nulla res potest esse signum alicuius rei, cum quâ non habeat naturalem connexionem aut dependentiam; nam quæ non habent cum se mutuò connexionem aut dependentiam, quomodo possunt se mutuò indicare? nam eatenus vna res indicat alteram, quatenus vna positâ, altera debet etiam esse vel fuisse vel futura esse, propter concomitantiam quam habet vna cum aliâ, propter quam fit, quod quando vna est altera etiam debet esse, vel fuisse, vel futura esse. Quod si vna res posset significare aliam, cum quâ non habet connexionem aut dependentiam, sequeretur quòd omnes res omnium essent signa, & indistinctè vnumquodque posset esse signum alterius; quod manifestè falsum est. Ideo vnaquæque res non significat vnamquámque, quia vnaquæque res non habet cum vnaquáque connexionem aut dependentiam. Loquor autemhîc de signis naturalibus, & non de artificialibus: nam signa artificialia non habent naturalem aliquam cum suis signatis connexionem. Porrò præcipua coniunctio & dependentia, quæ est inter res, est ratione cuiusdam mutuæ causalitatis, quam habent inter se, quòd vna scilicet vel sit causa vel effectus alterius, vel duo effectus eiusdem causæ; & ideo illa quæ habent mutuam quandam inter se causalitatem, illa se mutuò maximè significant, & sic præcipua virtus ac ratio significandi dependet à quadam causalitate, quam habet signum cum signato: & ideo quicquid est causa vel effectus alterius, potest esse signum alterius. Et contra, nullum ferè est signum naturale alicuius, quod non habeat aliquam rationem causæ vel effectus, ratione sui significati, & ideo quam rationem habet vnumquodque ratione causalitatis, talem habet in ratione significandi, & ideo quò quid magis est totalis, magis propinqua, magis per se & efficax causa, eò est certius, efficacius securius signum sui signati & sui effectus: & contrà, quò quid est effectus propinquior & magis proprius & per se suæ causæ, eò quoque est signum efficacius suæ causæ. Etsi itaque varij à Medicis ponantur fontes signorum seu capita rerum, à quibus signa desumuntur, omnes tamen aliquâ ratione ad causas & effectus referri possunt. Causa ergo quæ effectus aliquos necessariò inducit, illa eosdem quoque necessariò indicat: quos verò per accidens & contingenter & non necessariò, nec semper, eosdem etiam non necessariò indicat; & contrà, effectus qui fiunt ab vnâ & eadem causâ necessariâ, suam eandem causam necessariò quoque indicant. Effectus

autem

autem qui fieri possunt à plurib⁹ causis, non necessariò vnam aliquam determinatam indicant, sed vel hanc vel illam ex illis omnibus, quæ illius effectus causæ esse possunt.

Quæ ergo sunt signa suorum effectuum, & effectus suarum causarum, & coëffectus, sunt sibi mutuò signum. Idem effectus procedens ab vnâ causâ, est etiam signum alterius effectus ab eadem causâ procedentis: & ideo omnia signa vel sunt causa, vel effectus, vel coëffectus sui signati. Porrò quia vna causa semper producit plures effectus se mutuò ordine sequentes, ideò vna causa potest plures effectus significare: & quia vnus effectus semper habet plures causas, propinquam, remotam & remotiorem, per se & per accidens, ideò vnus effectus potest semper plures causas indicare; ex quibus patet, quòd vnius rei plura possint esse signa: nam eius signa possunt esse vel eius causæ, vel eius effectus, vel eius coëffectus, & sic vnius rei tot possunt esse signa, quot illius sunt causæ, effectus & coëffectus. Porrò quod significat vt causa, indicat rem præsentem vel futuram: Quod significat vt effectus, significat rem vel præsentem vel præteritam; effectus igitur vt effectus non potest significare futuram, & causa vt causa non potest indicare præteritam; nam cùm aliquid significat vt effectus, illud significat suam causam, quæ vel est simul tempore vel prior, & nunquam posterior vel futura. Cùm aliquid indicat vt causa, illud indicat suũ effectũ; qui effectus vel est præsens vel futurus, nunquam autẽ præteritus vel prior suâ causâ; & ideo signa anãnestica, quę sunt signa prę teritorũ, definiuntur ab effectibus: & sunt effectus indicantes suam causam præteritã.

Signa prognostica, quæ sunt signa futurorum, desumuntur à causis, & sunt causæ indicantes suos effectus futuros; vel desumuntur à coëffectibus, in quantum vnus effectus præsens, indicat etiam alium effectum (qui ab eadem causâ etiam solet procedere) breui futurum esse. Sic pulsus conuulsivus, lingua arida; nigra, in febribus ardentibus indicant delirium futurum; quia sunt duo effectus à febribus ardentibus procedentes, quorum vnus præsens indicat alium breui etiam successurum. Diagnostica quæ sunt signa præsentium, desumuntur partim à causis partim ab effectibus; quia causa & effectus simul possunt esse præsentes, & causa potest indicare præsentem effectum, & effectus præsentem causam. Verùm cùm causa indicet effectum, & effectus indicet causam quæri potest, vtrum duorum indicet efficaciùs, an causa effectum, an effectus causam? Respondetur: quòd effectus indicet efficaciùs causam quàm causa effectum: ratio est, quia quando causa est, non est certum, effectum esse futurum, possunt enim multa impedimenta interuenire, quæ efficiunt, quòd etiamsi causa sit, effectus tamen non sequatur; vel enim deest occasio vel circunstantiæ ad effectum requisitæ; vel opponitur alia causa impediens primam; vel causa non est sufficiens de se effectum producere: sed quando effectus est, tunc necessariò causa est vel fuit. *Secundò.* Quia effectus rerum

sunt notiores nobis & magis cadunt sub sensum quàm causæ ; nam causæ sæpius sunt ignotæ , & ideo causa non est tàm perfectum signum quàm effectus. De ratione enim signi est , vt sit quàm maximè notum, & ideo in Medicina præcipua omnia signa desumuntur ab effectibus; & sic videre est, quòd omnia signa præcipua desumantur à symptomatibus , quæ sunt effectus morborum , scilicet ab actionibus læsis , vitiis excrementorum , qualitatibus corporis mutatis. Interim tamen causa est aliquando notior effectu : sic casus ab alto, venenum assumptum sunt sæpè causa multorum effectuum, vbi causa est nota,effectus tamen sæpè ignoti ; plerúmque tamen effectus sunt notiores suis causis. Porrò signa quæ à symptomatibus vel effectibus desumuntur, in Medicina maximi sunt momenti & vtilissima,quia illa & morbũ,& partem effectam, & morbi causam , & materiæ robur ostendunt ; at quod indicat in ratione causæ, non potest omnia illa indicare , quia illa omnia se habent per modum diuersarum causarum respectu symptomatum.

Vna autem causa non significat aliam,sed tantùm suũ effectum. Denique causa morbifica ad omnes partes est indifferens , & vna eademque causa potest modò hanc,modò illam partem afficere,& modò in vnam, modò in aliam dilabi ; & sic quia est indifferens ad omnes partes , ideo non potest vnam determinatam partem indicare. Porrò neque effectus aliquando securè suam causam indicant : ratio est, quia effectuum causæ aliquando sunt per se , aliquando per accidens. Effectus autem non necessariò indicat suam causam per accidens ; quia effectus qui fit ab vnâ causâ per accidens , potest ab aliâ fieri per se,& contrà : & sic dum ex effectu sæpè putamus colligere causam per se , non rarò erramus; quia causa semper est alia , imò contraria , effectum illum per accidens inducens : sic à calore exteriùs in membris percepto , iudicaremus causam illius esse internum calorem auctum , & tùm possumus errare, quia talis caloris externi causa aliquando potest esse frigus ; vt patet in Arthritide ficnte à causâ frigidâ, quæ tamen aliquando exteriùs in articulis cum tumore calorem , rubedinem & pulsum inducit : sic ab externo partium frigore iudicaremus causam internam esse frigus ; tamen sæpè est calor qui trahendo instar cucurbitulæ calorem ad interiora, reliquit externa membra frigida ; vt patet in ardentibus febribus,in quibus sæpè externa frigent, interna vruntur ; sic in febribus intermittentibus,in syncope, in frigido sudore.

Quæri porrò potest , an res aliquæ per seipsas seu per suam essentiam cognosci possint ? Respondetur autem quòd non, quia signum & signatum sunt correlatiua , correlatiua autem inter se sunt opposita , opposita autem non possunt esse vnum ; ergo signum & signatum non possunt esse idem , & consequenter nihil potest esse signum sui ipsius, seu cognosci per se ipsum siue per suam essentiam. Sed Respondeo aliqua posse cognosci per se ipsa & per suam essentiam, sic quòd non debeant cognosci per suas causas , aut per suos effectus , aut per rem à se distinctam:

ctam : tamen quando cognoscuntur, cognoscuntur per species intentionales sui, tanquam signa & tanquam quid distinctum à se. Species ergo sunt signa rerum ; sed satis est vt signum sit diuersum à signato ; alioqui vnum & idem eodem modo se habens, & secundum idem, non potest esse signum & signatum, seu signum sui ipsius, propter rationem suprà dictam. Quòd autem nonnulla per se ipsa cognoscantur, est manifestum ; nam intemperies externa per se ipsam cognoscitur, phlegmone externa, sextus digitus vitium esse conformationis, externum vulnus, &c. per se ipsa cognoscuntur. Etsi autem generaliter signa ferè omnia à causis, effectibus & coëffectibus sumantur, in particulari tamen Medici ab aliis sua signa desumunt, quæ tamen omnia ad duos illos fontes generales, causarum scilicet & effectuum, reduci possunt. Desumuntur igitur signa & à complexione, & corporis habitu, ætate, parentibus, regione, anni tempore, victus ratione, exercitij genere, educationibus, omnibusque rebus non naturalibus ; à causis quoque internis, ab actionibus animæ, ab excretis, corporis qualitatibus, à morbis prægressis, à morbis communiter vagantibus, à iuvantibus & nocentibus, à facili vel difficili in hunc vel illum morbum lapsu, à simili vel contrario etiam. Galenus *in arte parva* hos omnes fontes ad numerum quaternarium reducit, & dicit omnia signa sumi vel à rei essentiâ, vel ab essentialiter rei inhærentibus, vel ab his quæ necessariò consequuntur, operationibus, vel ab aliis, quæ morbum consequuntur, accidentibus vel symptomatibus. Porrò de omnibus rebus non possunt semper ab omnibus fontibus signa rapi, sed in vno casu ab vno, in alio ab alio fonte melius certiusque signa desumuntur, interdum enim ab essentiâ rei signa desumi non possunt, quia sæpè essentia latet : sic & à causis aliquando desumi signa non possunt, quia causæ aliquando etiam sunt obscuræ ; denique frequenter ab iis incerta signa desumuntur, quia, vt ante dictum est, causæ non semper necessariò effectum producunt ; vel producunt sæpe varios, sic vt vnus determinatè significari non possit : ab essentiâ rei, quando ipsa nota est, certissima signa sumuntur : inde ab essentialiter inhærentibus ac consequentibus, vt ab actionibus læsis ; minùs certò ab accidentibus seu casibus, qui sequuntur, id est, in aliis symptomatibus, vt qualitatibus corporis mutatis, ab excretis : ab actionibus læsis certiora desumuntur signa quàm ab aliis symptomatibus, quia actio læsa est immediatum ac proximum symptoma morbi. Signa à similitudine etiam exiguam habent vim, sed solummodo faciunt ad maiorem confirmationem. A causis externis non sumuntur etiam signa valdè certa, quia scilicet externæ & remotæ non causant nisi mediantibus causis internis. A causis internis non possunt etiam benè signa desumi, quia illæ plerumque non sunt manifestæ, sed ipsæ debent potius per signa quæri ac inuestigari ; signa autem debent esse manifesta ; quando tamen per alia signa satis sunt manifestata, tunc possunt etiam rerum aliarum, nempe morborum, signa esse.

Cap. II.

Signorum differentiæ.

Signorum variæ sunt differentiæ, eæ autem omnes meo iudicio possunt à duobus desumi; vel à rebus significantibus vel à significatis.

A rebus significantibus duo genera differentiarum desumuntur: Prima differentia desumitur ab ipsâ essentiâ signorum: Secunda differentia, à modo significandi eorum.

Ab essentiâ rerum significantium sumuntur hæ differentiæ: quia vel res illæ, quæ significant, sunt causæ, vel effectus, vel coëffectus, id est, vt particulariùs dicam, vel sunt anni tempus, vel regio, vel temperamentum, vel victus ratio, vel morbus, vel causa morbifica, vel pars affecta, vel symptomata, &c.

Et sic enumerando differentias signorum, dicimus, quòd alia signa sumantur ab hoc, alia ab illo fonte, & hæc est differentia disrupta ab ipsâ essentiâ signorum; quia alia est essentia causę morbificæ significantis, alia morbi significantis, alia partis affectæ, alia actionum læsarum, &c.

A modo significandi sumuntur hæ differentiæ, quòd alia signa indicent semper, alia non semper; alia securè, alia non securè; alia vnum tantùm, alia plura; alia sint propria, alia communia; alia separabilia, alia inseparabilia.

A rebus significantibus sumitur hæc differentia, quòd alia significent sanitatem, alia morbum, alia neutram constitutionem; tria enim hæc sunt, quæ significari possunt, sanitas, morbus & neutralitas; & hæc constituunt tres illas differentias signorum, quas posuit Gal. *in arte parvâ*, quòd scilicet *alia signa sint salubria, alia insalubria, alia neutra.*

Porrò singula horum in tres differentias alias secantur; quia vnum quodque horum signorum, vel significat præsens, vel præteritum, vel futurum: id est, significat rem significatam vel vt præsentem, vel vt præteritam, vel vt futuram: sic signa salubria significant sanitatem præsentem, præteritam, vel futuram; signa insalubria significant vel morbum præsentem, vel præteritum, vel futurum; signa neutra significant neutralitatem vel præsentem, vel præteritam vel futuram. Inter hæc nulla coindicant; nam signa quæ indicant sanitatem præteritam, sunt eadem, quæ significant morbum præsentem: signa morbi præteriti sunt eadem, quæ sanitatis præsentis: signa prognostica morbi salubris sunt eadem, quæ sanitatis futuræ. Tripliciter itaque res aliqua alterius signum esse potest; vel anamnesticè, vel diagnosticè, vel prognosticè. Anamnesticè quidem, cùm præteritum indicat: diagnosticè, cùm præsens indicat: prognosticè, cùm futurum indicat. Etsi autem hæc tria nomina applicari possint signis salubribus, insalubribus & neutris, & sic possint esse subdiuisiones communes, & salubrium signorum, & insalubrium, & neutro

neutrotum, eò quod non tantùm morbi præsentes, præteriti & futuri cognoscantur, sed etiam sanitas præsens, præterita & futura; & etiam neutralitas præsens, præterita, & futura; tamen vsus maluit, vt illa nomina propriè tantùm signis insalubribus tribuantur, & sint propriè subdiuisiones ac species signorum insalubrium: & sic Medici per signa diagnostica & prognostica & anamnestica propriè intelligunt signa insalubria, seu signa in morbis tantùm apparentia; & sic propriè tantùm signa insalubria in hæc tria diuiduntur, anamnestica, diagnostica & prognostica.

Signa Anamnestica sunt, quæ statum morbi præteritum, & prægressas eiusdem causas indicant. Diagnostica, quæ præsentem morbi statum. Prognostica, quæ futurum demonstrant.

Diagnostica adhuc sunt quatruplicia; nam alia indicant morbi causam præsentem; alia morbi speciem; alia partem affectam; alia symptomata. Plerique tamen Medici hoc quartum membrum omittunt, propterea quòd symptomata non indicentur, sed per se sint manifesta, & sint ipsamet quæ indicant: & quidem tales non malè faciunt, quia rarò symptomata indicantur: tamen quia aliquando symptomata sunt obscura, & cognosci & indicari debent: ideò nos hoc quartum membrum addimus. Sic læsa sanguificatio, læsa alimenti distributio, læsa attractio, per se sunt obscuræ; & sæpe per alia signa, non minùs quàm vel morbus, vel causa morbi, vel pars affecta, cognosci debent.

Signa prognostica etiam sunt quadruplicia, vel quintuplicia; nam alia indicant morbum futurum, quæ cum signis neutralitatis coincidunt; alia futura morborum præsentium. Symptomata; alia longitudinem ac breuitatem; alia modum solutionis per solutionem simplicem, vel per crisin; quæ vel critica vel decretoria dicuntur: alia exitum ad vitam & mortem, quæ salutaria vel exitialia vocantur, demonstrant.

Porro signa insalubria adhuc aliam subdiuisionem patiuntur, quæ à tempore, quo ipsa in nobis apparent, desumitur: etenim nonnulla signa insalubria cum morbo oriuntur, & mox vt morbus est, adsunt, & cùm morbus finitur, pereunt: & talia vocantur signa pathognomonica; cumque ea sint à morbo inseparabilia, ideò morbi speciem perfectissimam indicant. Alia sunt signa, quæ cum morbo aliquando adsunt, aliquandquando non; Et talia vocantur assidentia Latinè, Græcè synedreuonta. Alia sunt, quæ post in decursu morbi superueniunt; & talia dicuntur superuenientia, seu post apparentia, Græcè epiphænomena. Pathognomonica signa sunt diagnostica, quoniam morbi præsentis speciem indicant. Superuenientia verò plerumque sunt prognostica; quia ex signis, quæ post decursu morbi superueniunt, solemus cognoscere, quis morbi exitus sit futurus; quod non ita ex signis pathognomonicis mox cum morbo orientibus, & species eius tantùm ostendentibus, possumus cognoscere. Assidentia signa partim ad diagnostica partim ad prognostica referuntur; quia aliquando præsentem morbi differentiam, aut causam

aut

aut partem affectam iudicant; aliquando futurum euentum demonstrant. De singulis autem in particulari dicemus.

Cap. III.

Diuisio signorum generalissima.

Generalissima diuisio est illa, quæ fit in salubria insalubria & neutra; nam sub illâ omnia signa continentur. Contra quod tamen aliquis posset obiicere; quia videntur aliqua signa esse, quæ sub nullâ illarum specierum continentur; etenim signa grauiditatis, signa vitæ præsentis, signa mortis seu corporis mortui, signa iracundiæ, mansuetudinis, sub nullâ illarum specierum videntur contineri. Sed respondetur: singula eorum, si quis exactè examinet, ad aliquam trium prædictarum referri, saltem reductivè: nam signa graviditatis sunt signa sanitatis; sunt enim signa operationis naturalis potentiæ generativæ. Signa mortis referuntur ad signa insalubria. Signa etiam vitæ præsentis referuntur ad signa sanitatis, & sic de aliis.

Circa divisionem signorum in anamnestica, diagnostica & prognostica, duo quæri possunt, 1. an ea divisio sit bona, & videtur quòd non; quia quando diuisio aliqua est bona, tùm membra diuisionis debent esse distincta, sic vt vnum non possit esse alterum: at contrarium videtur esse in hac divisione; quia membra divisionis sæpe coincidunt, & vnum sæpe est alterum; nam vnum & idem signum potest esse & anamnesticum & diagnosticum signum; denique vnum & idem signum potest esse diagnosticum & prognosticum simul. Sed Respond. quod anamnestica, diagnostica, prognostica non necessariò debeant differre; sed sufficit, quòd differant secundum rationem: Et vnum & idem signum secundum rem, seu signum, quod materialiter est vnum & idem potest formaliter esse diversum, & potest esse signum præsentis, futuri & præteriti, seu anamnesticum, diagnosticum & prognosticum; sed est anamnesticum vel diagnosticum ratione vnius signati, & prognosticum ratione alterius: sic vertigo est signum malæ dispositionis cerebri præsentis, & est signum prognosticum apoplexiæ futuræ: sic vrina rubra cum hypostasi indicat febrem præsentem, & præsentem victoriam naturæ super causam morbificam, & simul significat futuram crisim & sanitatem: imò quod magis est, omnia signa prognostica debent esse necessariò alicuius dispositionis præsentis; quia quicquid est signum, debet habere aliquam præsentem existentiæ suæ causam, & debet subiectari necessariò in aliquâ parte præsenter existente; illam ergo causam sui effectricem, & illam partem, in quâ subiectatur, potest indicare. Sed contrà, omne signum diagnosticum, non est alicuius futuri prognosticum: sic etiam

omne

omne signum anamnesticum est etiam alicuius præsentis demonstrativum, sed non contrà.

Quæritur 2. An sit par vtilitas signorum anamnesticorum, diagnosticorum & prognosticorum: Respond. quòd non: nam diagnosticorum est maxima vtilitas, inde prognosticorum, vltimò anamnesticorum. Pro quo Nota: quòd duplex sit vtilitas; alia respectu Medici, alia respecti ægri. Prognostica sunt vtilia respectu Medici, quia parant Medico maximum honorem & famam; est enim quid quasi divinum scire prædicere futura: sunt etiam vtilia respectu Ægri, quia faciunt etiam ad curationem, sed non ita multùm; non curantur enim dispositiones futuræ, sed præsentes; satis enim tempestivè futura videbuntur, etiamsi non præcognoscantur: interim tamen etiam faciunt ad curationem; sæpe enim necessarium est præuidere futura, vt tempestiuè eis, antequam eueniant, occurratur: sic per prognostica debet præuideri breuitas & longitudo morbi, vt secundum eas sciat Medicus, an tenuem an verò pleniorem victum debeat præscribere: in brevi enim morbo, tenui; in longo, pleno victu opus est. Debet etiam Medicus præuidere, an crisis sit futura, vt si videat non futuram, ipsemet euacuationem instituat, & suppleat defectum naturæ. Debet etiam prævidere, per quas vias crisis futura sit, vt nulla exhibeat remedia, quæ naturam auertant ad alias vias, & sic impediat salutarem naturæ conatum: Debet etiam præuidere, an tumor in aliquam partem nobilem sit ruiturus, vt eâ ratione tempestiuè fluxum eius diuertere possit.

Diagnostica sunt maximè vtilia respectu ægri, quia illa maximè faciunt ad curationem: per illa enim cognoscuntur causa morbi, morbus, & pars effecta, quæ omnia est necessarium cognoscere vt morbus curetur: sunt etiam vtilia respectu medici; quia quæ iuvant ad curationem ægri, debent etiam facere ad honorem medici; quia medici honor pendet ex curatione ægri.

Anamnestica exiguam habent vtilitatem, sive respectu medici sive respectu ægroti: tamen videntur adhuc habere maiorem respectu medici quàm ægri; quia est aliqualis honos ex signis artificialibus scire pronuntiare præterita morbi, quæ ipse medicus à nullo audiuit: respectu ægri exiguam habent vtilitatem; quia omnia præterita potest medicus multò certiùs ab ægro & adstantibus intelligere, adeò vt vanum sit & frustraneum, eum velle dubia per signa artificialia inuestigare.

Circa diuisionem signorum in pathognomonica, assidentia & epiphænomena, sciendum est; medicos in illorum signorum distinctione esse valde confusos ac obscuros, nec bene explicare quænam sint singula illa signa; & in quo illorum ratio formalis ac essentia consistat, idque propter diversa Hipp. ac Gal. loca, quæ videntur aliquam repugnantiam habere. Aliqui assidentia & synedreuonta confundunt; aliqui putant esse diuersa; aliqui non. Nota ergo, quod signa pathognomonica sint signa, vt patet ex nomine, quæ ostendunt morbi essentiam & speciem; signa quæ hoc ostendere possunt, debent necessariò esse signa sequentia

essentiam morbi & propria morbo; quia nisi essent propria morbo, & sequerentur præcisè vnius morbi essentiam & speciem, illum morbum non possent præcisè indicare; nam si sequerentur multos morbos, multos morbos indifferenter deberent significare, & sic non essent pathognomonica, nec indicantia speciem & essentiam morbi in particulari: Cùm ergo pathognomonica debent sequi essentiam morbi, sequitur quòd cum morbo debeant apparere; quod igitur est essentiale alicui, non potest ab illo seperari; sed positâ eius essentiâ adest, & ablatâ abest. Cùm igitur pathognomonica habeant duo: & quòd indicent essentiam morbi, & quòd cum morbo oriantur, dubitari potest, in vtro duorum essentia consistat; an in eo, quòd morbi essentiam indicent, an in eo, quòd simul cum morbo appareant: Respond. quòd eorum essentia consistat in indicare speciem morbi, & esse propria ei; non autem in apparere simul cum eo: est equidem verum, quod quæ morbi essentiam indicant, debeant consequenter exoriri & apparere cum eo; sed tamen in eo eorum essentia non consistit: nam si in eo consisteret essentia eorum, omnia signa, quæ cum morbo apparent, deberent esse pathognomonica; at hoc est falsum vt dicetur posteà: Aliqua signa synedreuonta bene oriuntur cum morbo, & tamen non indicant essentiam eius. Omnia ergo, quæ essentiam & speciem morbi indicant, sunt pathognomonica, & sunt propria morbo, quem indicant, & ab eo inseperabilia, sic vt necessariò debeant illi adesse, & nulli alteri, vt in pleuritide difficilis respiratio, dolor lateris punctorius, tussis, febris, & pulsus serratus. Nam tam citò quàm pleuritis adest, adsunt & signa, eâque finiente signa etiam pereunt, neque in nullo alio morbo, præterquam in pleuritide apparent. Talia autem signa pathognomonica in Medicinâ sunt pauca: nam pleraque omnia signa sunt communia, & adsunt multis morbis, & nullius certi sunt pathognomonica; quia si multa talia pathognomonica darentur, species & essentiæ morborum statim nobis essent cognitæ; nunc verò magna est difficultas cognoscendi eas, ideò quia plurimi morbi non habent sua signa pathognomonica.

Pro quo nota; quòd signa pathognomonica non sunt necessariò vnum signum solum, sed multa signa simul; sic in allato exemplo pleuritidis, difficilis respiratio sola & per se sumpta non est signum pathognomonicum eius, quia est commune multis morbis nam indicat etiam astma, perineumoniam &c. Tussis etiam sola non est signum pathognomonicum pleuritidis; quia non est propria illi, sed communis etiam multis morbis, vt phtisi, orthopnææ, hepatis inflammationi, & multis aliis. Sed omnia illa signa supradicta simul sumpta, sunt pathognomonica pleuritidis, & ei propria, & sic sumpta nullum alium præter pleuritidem morbum indicant.

In aliquibus morbis non nisi valde multa signa simul sumpta sunt pathognomonica; in aliquibus pauciora: In aliquibus etiam vnum solum signum per se sumptum potest esse signum pathognomonicum: sic excreatio

creatio carunculæ sola est signum pathognomonicum exulcerationis pulmonis : squammulæ cum vrinâ dimissæ solæ sunt signum vlceris vesicæ ; sanguis per nares & aures exiens in casu ab alto solum est signum pathonomonicum cerebri interiùs vulnerati. Sed sola talia pathognomonica sunt admodùm pauca, & in aliis plura oriri debent. Febris ardentis signum pathognomonicum est sitis inextinguibilis & ardor, nempe illa duo : phlegmones, calor, dolor, tumor, pulsatio &c. omnia simul iuncta. Pleuritidis quinque signa iam supra prolata.

Signa synedreuonta & epiphænomena sunt signa, quæ non indicant morbi essentiam aut speciem, sed aliqua alia, quæ cum morbo non necessariò oriuntur, nec ei necessariò semper adhærent ; sed aliquando adsunt ei, aliquando non : & quando exoriuntur, plerumque apparent post.

Pro quo sciendum est, quod in morbis, vltra eorum essentiam & speciem, multa alia sint consideranda ; v. g. diuersitas causæ, diuersitas partis affectæ, malignitas seu bonitas morbi, paroxysmi, & tempora eorum, coctio & cruditas, crisis, exitus morbi ad vitam vel ad mortem &c. hæc omnia indicantur à signis synedreuontis & epiphænomenis.

Differunt tamen inter se signa synedreuonta & epiphænomena ; quòd synedreuonta seu assidentia nonnulla istorum indicent, epiphænomena verò alia ex illis. Synedreuonta indicant talia, quæ etsi de essentiâ morbi non sunt, tamen essentiæ morbi sunt valde coniuncta ac vicina, eamque circumstant & assident ; ideóque assidentia vocantur : epiphænomena sint signa eorum quæ ab essentiâ morbi sunt magis remota, & post in morbo eueniunt, & ideò post apparentia vocantur. Quæ morbi essentiæ sunt valde coniuncta, sunt hæc : morbi differentiæ, seu causæ morbificæ diuersitas, diuersitas partis affectæ, quarum diuersitas aliquam constituit differentiam in morbo ; & sic signa synedreuonta indicant aliquam morbi differentiam, contingentem ratione diuersæ causæ, vel ratione diuersæ partis affectæ, vel ratione malignitatis vel bonitatis morbi ; & ideò signa quæ indicant diuersitatem causæ in aliquo morbo vel partis affectæ, vel morbi morem, sunt signa synedreuonta : epiphænomena verò signa indicant aliquas mutationes in morbis posteà contingentes, circa concoctionem & cruditatem, circa crisin, exitum ad vitam vel ad mortem &c. quæ quia in morbo posteà fiunt, ideò eorum signa post apparentia vocantur.

Verùm dicet aliquis : hæc differentia signorum sumitur à tempore apparendi ; ergo deberent tantùm esse duo genera signorum, scilicet pathognomonica, quæ cum morbo apparent, & epiphænomena, quæ post apparent ; nam inter illa duo spatia non est medium ; ergo videntur frustra poni synedreuonta ; nam etiam synedreuonta post apparent, ergo non differunt ab epiphænomenis ; etenim propter hanc causam multi confuderunt hæc signa inter se, & non distinxerunt. Aliqui ponunt synedreuonta tanquam species epiphænomenon, & distinguunt signa sic, quod scilicet alia indicent speciem morbi, & cum morbo oriantur,

& vocantur pathognomonica: alia indicent omnia illa, quæ ab essentiâ morbi sunt distincta, & vocantur epiphænomena seu post apparentia. Horum verò post apparentium alia sunt synedreuonta, quæ morbo sunt coniuncta, & aliquas eius differentias ratione causæ aut partis affectæ indicant: alia sunt concoctionem indicantia, & signa cruditatis aut concoctionis vocantur: alia crisim indicant & vocantur critica, Latinè decretoria: alia exitum morbi ad vitam vel ad mortem, quæ vel salutaria vel lætalia dicuntur. Ac certè hæc distinctio non est mala, sed tamen est contra sententiam & opinionem Galeni, qui synedreuonta & post apparentia opponit tanquam species oppositas. Quapropter Resp. has differentias desumi quidem à tempore apparendi, aliquo modo, sed non solùm, sed simul etiam desumuntur ab eo, quod ostendunt: vnde cùm synedreuonta aliud ostendant quàm epiphænomena, & vtraque aliud quàm pathognomonica, meritò inter se tanquam tria diversa genera sunt distincta: nam pathognomonica morbi essentiam & speciem, synedreuonta morbi differentias, & nonnulla morbo coniuncta & propinqua, demonstrant: epiphænomena verò alias mutationes post in morbo contingentes, à morbi essentiâ remotiores: Imò meo iudicio hæc differentia signorum magis essentialiter desumitur ab eo, quod demonstrant, quàm à tempore quo oriuntur, & propterea meritò sunt diversa; nam quòd cum morbo vel post morbum appareant, solùm fit ex accidente; quatenus scilicet talia vel talia necessariò indicant; essentiam scilicet morbi cum quâ signa necessariò statim vniuntur; vel ab essentiâ distincta, cum quibus signa non statim necessariò vniuntur, sed plerumque post. Porrò synedreuonta plerumque, vt dixi, post apparent, sicut & epiphænomena: & propterea in generali significatione synodreuonta sunt verè mox apparentia; sed si mox apparentia sumamus in propriâ, strictâ ac particulari, Medicáque significatione sic non sunt mox apparentia, sed distincta ab iis.

Signa porrò synedreuonta sunt media inter pathognomonica & epiphænomena seu post apparentia: nam pathognomonica morbi essentiam atque speciem indicant; epiphænomena, quæ ab essentiâ multùm sunt remota; synedreuonta, quæ medio modo se habent, quia etsi de essentiâ morbi non sint, tamen essentiæ sunt finitima & monstrativa. Signa Pathognomonica vnâ cum morbo exoriuntur, epiphænomena semper post morbum. Synedreuonta verò interdum vnà cum morbo, plerumque verò pòst; interdum neque cum morbo neque post, sed nunquam apparent: interdum enim fit, vt in morbo nulla signa synedreuonta appareant. Horum signorum exempla superiùs in pleuritide protulimus. v.g. pathognomonica signa in pleuritide sunt hæc 5. difficilis respiratio, dolor punctorius, tussis, febris, pulsus serratus; hæc essentiam pleuritidis sequuntur: nam quia pleuritis est inflammatio membranæ costas succingentis, quæ tegit instrumentum respirationis, ideò eam necessariò sequitur difficilis respiratio:

quia

quia est in membranâ; & à calido humore, nempe à sanguine bilioso; ideò necessariò adest dolor punctorius: quia verò pleuritis est inflammatio, & vicina cordi; ideo necessariò sequitur febris: & quia hæc essentiam & speciem talis phlegmonis scilicet pleuritidis necessariò sequuntur, ideò cum eâ necessariò oriuntur; ideóq; necessariò eam ostendunt; effectus enim ostédit causam suâ necessariò. Ast in pleuritide signa assidentia sunt hæc: quòd sc. dolor aliquando ad iugulum ascendat, aliquando deorsum feratur, & descendat ad hypoëhondria, quòd æger facilius cubet in latus dextrum, quàm sinistrum. Hæc signa non sequuntur essentiam morbi, quia ex essentiâ morbi non sequitur necessariò, quòd dolor ad iugulum debeat ascendere; potest enim pleurisis esse sic, quòd dolor, vt dixi descendat ad hypochondria, & contrà: sic posse in hoc vel illud latus dormire non sequitur necessariò ex essentiâ pleuritidis, sed verè potest esse pleuritis, quòd tamen æger non debeat necessariò in dextrum latus decumbere, sed possit melius incumbere sinistro; & contrà; ergo hæc non sequuntur ex essentiâ morbi, & propterea non oriuntur necessariò cum essentiâ morbi; & sic etiam non indicant necessariò essentiam morbi, aut speciem eius; nec sunt pathognomonica, sed tantùm oriuntur ex quâdam diversitate partis affectæ, & sic tantùm etiam aliquam pleuritidis differentiam indicant, ratione scilicet huius vel illius partis affectæ; pleuritidem autem esse in hâc vel illâ parte, est solum accidens, quod morbo advenit; & sic signa, quæ hoc indicant, sunt solummodò signa assidentia; nam posse incumbere in latus affectum, vel in oppositum indicat pleuritidem vel magis esse externam, ac magis exteriorem pleuræ superficiem obsidere, vel magis internam vel profundam; quia quando est inflammatio in superficie concauâ pleuræ, tunc si æger decumbat supra latus oppositum, pars inflammata remanet quasi suspensa, & superioribus partibus eam comprimentibus grauatur & magis dolet; quòd si decumbat supra latus affectum, pars inflammata decumbit supra musculos: si inflammatio est in parte conuexâ, tum contrarium fit: sic dolorem ascendere ad iugulum, indicat talem differentiam pleuritidis, in quâ superior pars membranæ inflammatur: descendere autem ad hypochondria, talem indicat differentiam, in quâ eiusdem membranæ pars inferior affecta est.

Epiphænomena signa sunt sputa retinere vel excreare; sputa esse rubra, vel aquea, vel purulenta, pus per vrinas emingi cordis anxietas superueniens, deliria, inquietudo, syncope &c. nam hæc signa non prouenient ex essentiâ pleuritidis, nec indicant essentiam aut speciem eius, nec cum illâ oriuntur, sed diu post superueniunt; & indicant materiam morbificam coqui vel non coqui, morbum fore longum vel breuem, expulsionem criticam fieri vel non fieri, sanitatem vel mortem secuturam; etenim sputa esse bene cocta, est signum concoctionis & breuitatis morbi; esse cruda vel aquea, &c. est signum crudiratis ac longitudinis morbi; excreari pus, per vrinas emingi, est signum crisios; non expelli,

contrà. Anxietas, deliria, inquietudo, syncope, externorum, frigiditas mortem; horum absentia, sanitatem pronunciant. Hæc signa verò apparent statim in initio morbi, quia ab essentiâ morbi non pendent, sed pendent à quâdam mutatione causæ morbificæ, quæ post decursum morbi contingit; & sic apparent post, & post apparentia, seu superuenientia, seu epiphænomena signa vocantur.

Hæc porrò signa tam synedreuonta quàm epiphænomena, non habent certum tempus apparendi; sed interdum citiùs & interdum seriùs, interdum verò non apparent: nam synedreuonta plerumque post, interdum etiam cum morbo apparent: epiphænomena ferè semper post apparent: dico *ferè*, quia non est absolutè necessarium, vt semper appareant post; quia cum signa, quæ morbi exitum demonstrant, sunt epiphænomena, propterea quòd illa, quæ illud faciunt communiter semper veniant post; possint tamen inueniri aliqua signa, quæ morbi exitum demonstrant, & tamen cum morbo appareant: sic ipsa morbi essentia potest esse signum exitus ad mortem; sic essentia pesti, cancri &c. sunt signa exitus morbi ad mortem: hæc essentia morbi est simul cum morbo, quia est ipse morbus; & tamen in quantum est signum exitus ad mortem, est signum epiphænomenum, siue potius signa illa pathognomonica, quæ ostendunt essentiam morbi alicuius per se lætalis, eo ipso, quo ostendunt morbum seu essentiam morbi naturâ suâ lætalis, sunt etiam signa epiphænomena; & sic signa pathognomonica diuerso respectu, & in diuersâ consideratione possunt etiam esse epiphænomena: sunt enim pathognomonica quatenus indicant essentiam morbi, & sunt epiphænomena talis morbi, cuius exitus naturâ suâ est ad mortem. Vnde cùm pathognomonica exoriantur vnâ cum morbo, & pathognomonica etiam possint esse epiphænomena, sequitur quòd ipsa epiphænomena aliquando possint exorii simul cum ipso morbo. Vt hinc pateat hæc signa vocari postapparentia, non quia ex suâ naturâ semper & necessariò debeant apparere pòst; sed quia ferè semper omnia pòst appareant, & quia ex naturâ suâ non debeant necessariò cum morbo apparere, sicut pathognomonica.

Porrò signa epiphænomena sunt tria: alia enim significant concoctionem & cruditatem; alia crisim; alia exitum ad vitam vel ad mortem, quæ salutaria vel lætalia vocantur. Horumque quæ concoctionem indicant, possunt apparere in principio, plerumque aut in augmento; in statu autem multò manifestiùs apparent signa criseos; rarò in augmento; numquam in principio. Signa vitæ vel mortis possunt quovis tempore apparere; sed maximè & certiora in statu. Porrò ex eo, quòd signa epiphænomena indicent hæc iam dicta, patet quòd epiphænomena sint prognostica; nam prognostica sunt illa, quæ concoctionem, crisim, & exitum morbi indicant. Ex quo patet, quòd prognostica omnia ab epiphænomenis seu postapparentibus desumantur; seu quòd omnia

nia prognostica debeant esse epiphænomena. Pathognomonica verò & synedreuonta sunt diagnostica, seu sunt signa statum morbi præsentem indicantia. Pathognomonica speciem morbi præsentis; synedreuonta verò differentiam aliquam præsentem ipsius, ratione causæ, partis affectæ, aut alterius. Porrò sicut alia signa, ita & epiphænomena à morbi essentiâ, ac causis, & effectibus sumuntur: nam essentia morbi potest indicare, an concoctio humorum, an crisis sit futura, an exitus ad vitam vel ad mortem; nam aliqui morbi ex naturâ suâ non concoquuntur; aliqui per crisim non soluuntur; aliqui essentiâ & naturâ suâ sunt lætales. A causis: nam sanguis magis indicat concoctionem, quàm melancholia, vnus humor morbificus magis indicat futuram crisim quàm alius; & talem vel talem, scilicet vel per superna, vel per inferna; vnus humor magis indicat morbum quàm alius ex effectibus, nam actiones læsæ, & qualitates mutatæ, & exeuntia mutata & coctionem, & crisim; & exitum ad vitam vel mortem ostendunt. Etsi autem ab hic omnibus signa epiphænomena desumi possint, præcipuè tamen ab exeuntibus desumuntur.

Circa diuisionem signorum à modo significandi, sciendum; quòd signa diuidantur in certa & incerta, propria & impropria, seperabilia & inseperabilia. Sciendum est, quod non omnia signa sint æque certa; sed aliqua sunt certa ac secura, aliqua fallacia.

Signa certa sunt, quæ vnũ certũ aliquod necessariò & semper indicant.

Fallacia quæ diuersa, modò vnum, modò aliud.

Sciendum quòd nonnulla signa vnum, nonnulla plura significent; nonnulla signa indicant se solis, aliqua solùm communicata cum multis aliis; nonnulla in vno morbo hoc, in alio aliud indicant, in vno bonum, in alio malum; sic rigor in febribus intermittentibus indicat morbi paroxysmum: in continuis cum internâ inflammatione coniunctus, suppurationem: In statu morborum circa tempus criseos, indicat crisim. Liuidus color in ardente febre, & partium extremarum frigiditas, mortem; in intermittentibus solùm paroxysmi accessionem indicat. Alvi fluxus in febrium principio aut mortem, aut morbi longitudinem: In statu concoctâ materiâ conualescentiam indicat & crisim.

Signa à causis.

Quò sunt causæ magis propinquæ, & magis per se, & magis solæ, eò sunt signa magis efficacia & certa.

Signa ab effectibus.

Effectus quò etiam sunt magis propinqui, magis per se & magis soli, eò indicant efficaciùs causam; quæ plures effectus facit, non indicat vnum præcisè, sed vel hunc vel illum. Effectus qui plures causas habent, à multis

multis causis possunt indicari : certiùs autem indicatur effectus, si indicatur ab omnibus suis causis, aut saltem pluribus ; quàm si ab vnâ earum tantùm : Idem est de effectibus. Propria signa & inseparabilia sunt securissima : communia & seperabilia sunt incerta.

Signa propria sunt, quæ in vno tantùm genere morborum reperiuntur.

Communia, quæ in multis : hæc aliquando euadunt propria, si per aliud signum sibi coniunctum aut aliquam differentiam coarctentur : sic dolor punctorius est signum commune omnium membranarum effectarum, sed dolor punctorius in latere est signum proprium membranæ costas succingentis ac pleuritidis.

Signa porrò propria aliqua ita sunt propria, vt insint omnibus & solis ; aliqua sunt ita propria, vt insint quidem solis, non tamen omnibus ; illa sunt signa inseperabilia, hæc verò seperabilia : sic pulsus serratus est proprius inflammationibus, quia his solis ineſt, non tamen omnibus ; quia non est in peripneumoniâ ; nam in peripneumoniâ pulsus potiùs est vndosus : & sic est quidem proprium signum inflammationis, sed tamen seperabile. Dolor punctorius lateris est signum pleuritidis & proprium & inseparabile ; quia ineſt omni & soli. Sic contrà, aliqua sunt signa communia inseparabilia, & aliqua separabilia. Dolor est signum commune, quia est communis multis morbis ; in pleuritide tamen est signum inseparabile. Separabilia autem signa sunt plurima ; plerumque enim signa communia sunt etiam separabilia ; nam quæ nulli morbo propria sunt, sed omnibus communia, plerumque etiam nulli necessariò debent adesse, sed ab omnibus aliquando abesse & separari possunt. Communia & seperabilia sunt frequentia : nam pleraque omnia talia sunt signa.

Pathognomonica signa sunt propria, sic vt omnibus & solis insint ; nimirum pathognomonica simul sumpta. Epiphænomena & synedreuonta interdum sunt communia, interdum propria. Signa epiphænomena propria desumi possunt ab excrementis, quæ ab ipsâ parte affectâ excernuntur ; sic sputum quod pòst apparet in pleuritide, est signum epiphænomenum seu pòst apparens proprium ; quia sputa sunt propria illius morbi ; quoniam ab ipsâ parte affectâ excernuntur : sic aliquæ differentiæ vrinarum pòst apparentes in morbis hepatis ac venosi generis sunt signa mox apparentia propria ; quia vrina propriè promanat ab illis partibus affectis. Contrà differentiæ vrinæ & alui in affectibus thoracis sunt signa communia. Et hæc sint dicta generaliter de differentiis signorum : nunc ad particularia transeundum.

SECTIO

SECTIO II.

De signis salubribus.

CAP. I.

Differentiæ signorum particulares.

§. I.

PRAMOSISSIMA est diuisio signorum insalubria, insalubria & neutra.

Signa salubria sunt, quæ sanitatem indicant. Sanitas autem consideratur absolutè vel cum quâdam latitudine, id est, cum tali vel tali temperamento, tali vel tali complexione: sanitas enim non consistit in puncto, sed habet latitudinem quandam, adeò vt quis possit esse sanus & cum temperamento temperato, & cum aliquo modo intemperato, cum calido & cum frigido, cum complexione biliosâ, melancholicâ, sanguineâ &c. signa ergo salubria & sanitatem absolutè & temperamenta & complexiones sanorum indicant.

§. II.

Sanitas cognoscitur vel ex suis causis, vel ex suis effectibus. Ex causis: si adsint ea quæ sanitatem constituunt, scilicet bona temperies, bona conformatio & bona continuitas. Maximè verò cognoscitur ex effectibus; effectus enim sunt bonæ actiones naturales, corporis qualitates, excuntia bene se habentia; si hæc omnia sint bona, est sanitas. Ex actionibus: si comedit cum appetitu, benè digerit, si nullus vspiam dolor percipiatur, nulla membrorum debilitas aut lascitudo, si quietè suauiterque dormiat, sine somniis turbulentis ac irrequietis, si sensus omnes vegeti sint. Ex excrementis: si excrementa exeant ordinariè statuto tempore, qualitate, colore, consistentiâ bonâ. A corporis qualitatibus: si partium saltem externarum conformatio videatur esse bona; si corpus ad actum est benè temperatum, & in actiuis ac passiuis qualitatibus moderatum; si nihil in corpore tumidum; si color corporis bonus; lingua non sordida aut amara; oculi pellucidi, viuaces, & similia.

A iuuantibus & nocentibus etiam sanitas cognoscitur, si ab aëre, cibo potu, & aliis externis causis non valde læditur; si nunquam ægrotauerit, etiam est signum optimæ sanitatis. Signa corporis benè temperati

sunt eadem ferè quæ sanitatis; est tamen diuersitas inter ea, sicut est diuersitas inter sanitatem & optimum temperamentum; nam potest quis esse in optimo temperamento naturali, & tamen esse ægrotus. Signa optimi temperamenti naturalis tantùm in sanitate sunt consideranda. Capiuntur etiam & à causis & ab effectibus: à causis: vt ab agnatis & parentibus; si nunquam ægrotauerint & fortes fuerint, & diu vixerint: ab effectibus; si omnes operationes sint optimæ, si nullis externis affectibus, iracundiæ, timiditati, ignauiæ est obnoxius, si est prudens & ingeniosus, si corpus est optimè conformatum, non nimis magnum aut paruum, sed mediocre; nam nimia magnitudo frigiditatis, breuitas siccitatis & nimij caloris est indicium. Sic corpus ad tactum molle valde temperatum percipitur; non molle aut flaccidum, non madidum aut siccum, non nimis obesum aut nimis gracile, si color corporis est optimus, si capilli in pueritiâ sint rufi, in florente ætate ad nigredinem tendentes, si tardè calvescat aut senescat, si diu incolumis viuat, si excrementa corporis naturalia & moderata, vt sputa, emunctiones, sordes aurium, &c. si ad sudorem non est nimis facilis aut nimis durus; hæc enim omnia habitum corporis temperatum indicant, à repugnantiâ ad causas morbificas id cognoscitur: nam si omnibus causis externis calidis & frigidis, humidis & siccis æquè resistat; & ab vnâ non faciliùs lædatur quàm ab alterâ, est signum temperamenti medij & temperati.

§. III.

Signa temperamenti calidi sunt; si pater aut mater fuerint cholerici, aut calidi, si Itali aut Hispani, si calidis morbis semper laborârint, si ipsemet in calidissimâ regione natus aut educatus sit, si calidissimis cibis semper assueuerit, si corporis habitus ad tactum percipitur valde calidus, si color corporis valde rubeus & fuscus sit, si pili nigricantes, crispi & spissi, si crura, brachia & pectus sint valde hirsuta, si semper in calidos rarò in frigidos morbos incidit, si à calidis læditur, à frigidis bene habet, si corpore gracili est, si iracundus ingeniosus. Frigidi temperamenti signa sunt his omnibus contraria. Humidi signa sunt hæc: corporis segnities ob neruorum debilitatem & spiritus caliginosos, stupiditas ob eandem cerebri dispositionem, glabricies & defectus pilorum, pili rufi, corpus molle, album, excrementa multa, cruda, aquea, pituitosa, &c. Si cum humore simul est calidum, erit molle, sanguineum, carnosum, magnum, siccitas enim signum est staturæ paruæ; ideò gentes calidiores minoris sunt staturæ, erit etiam rubrum, quia tale corpus erit sanguineum, ad venerem pronum, quia multum feminis generatur, quia semen calidum est & humidum: non erit ita pilosum, nam pili à sicco & fuliginoso excremento oriuntur. Si siccum sit & simul calidum, erit gracile, cutis dura, sicca, calor mordacior & acrior percipietur, ad venerem erit pronum ob acrimoniam caloris;

ris; sed minùs potens, ob materiæ seminalis defectum; magis erit iracundum, quia eius complexio erit colerica; magis ingeniosum, *nam splendor siccus*, inquit Plato, *anima sapientissima*, masculos generabit, mares enim magis sicci & calidi sunt, quàm fœminæ.

§. IV.

Circa iam dicta nonnulla se offerunt problemata.

Primum Problema.

An maximè resistere omnibus causis morbificis sit signum corporis temperati, seu (quod idem est) an corpora temperata resistant magis causis morbificis, quàm intemperata? Videtur autem quod non: Aristoteles 8. *de naturâ animalium*, ostendit animalia bruta minùs ægrotare hominibus; atqui animalia bruta sunt minùs temperata, quàm homines: ergo intemperata minùs ægrotant; & consequenter magis resistunt causis morbificis quàm temperata. 2. Aristoteles 5. *probl.* 22. dicit, *omnia temperata corpora crebriùs ægrotare, citiùs autem sanari.* 3. Galen. 8. *method. capite* 4. dicit, *temperata corpora faciliùs in febrem incidere, quàm frigida.* & 3. *aphorismorum* 18. dicit, *iuuenes qui intemperati sint, & calidi & sicci* (vt constat) *meliùs frigus hyemis ferre, quàm adolescentes temperatos.* Et 1. *aphor. com.* 13. dicit, *senes & pituitosos magis inediam ferre, quàm adolescentes temperatos*, & Avicenna 13. *de signis cerebri*, dicit, *citiùs temperatum corpus canescere, quàm aliquod intemperatum.* Sed respond. corpus temperatum omnibus causis morbificis coniunctim seu simul sumptis magis resistit, quàm intemperatum, sed non singulis diuisim. Dico simul sumptis, quia temperatum illud est in medio omnium extremorum, & sic nullum est, quod ab omnibus extremis coniunctim sumptis sit tam remotum, quàm medium seu temperatum. Intemperata autem corpora aliquibus morbificis causis magis resistunt quàm temperata, sed non omnibus sicut temperata: ratio est, quia corpora habentia temperamentum planè contrarium meliùs resistunt causis ac morbis contrariis, quàm temperata; propterea quod contraria à contrariis causis sint remotiora, quàm temperata seu media; in similiores enim intemperies facilior; in dissimiliores ac planè contrariis difficilior est lapsus: sic frigida resistunt meliùs calidis causis, quàm temperata; quia frigida à calidis sunt remotiora quàm temperata. Quòd temperata magis resistant omnibus causis morbificis simul sumptis quàm intemperata, docet Galen. 8. & 13. *capite artis paruæ*, vbi de cerebro loquens dicit: *quòd cerebrum temperatum meliùs causis omnibus morbificis resistat quàm intemperatum*; & pro-

batur ratione : quia temperatum est medium inter extrema omnia vt dictum est ; ab omnibus extremis simul sumptis magis remotum , quàm vllum intemperatum. 2. quia temperatum corpus habet operationes optimas ; optimæ autem operationes optimè repugnant causis morbificis. 3. quia in illo omnes humores sunt optimi ; optimi autem humores non possunt ita facilè morbos facere, & optimi humores à causis externis etiam non facilè deprauantur. *Ad argumenta Respond. Ad Primum* : Id fieri ob varias causas. 1. quia ducuntur instinctu ; & sic non comedunt , nisi obiecta propria 2. quia non vtuntur tantâ ciborum diuersitate sicut homines. 3. non diuexantur curis & anxietatibus animi , quæ hominibus sunt causæ multorum morborum 4. quia non diu viuunt. 5. quia natura hoc donum eis dedit loco rationis ; nam homines per rationem possunt morbos euitare , quod animalia irrationalia non possunt. *Ad secundum dico* ; diuersas esse huius loci intemperationes , sed ita est,quòd ibi Aristoteles per commensurata temperatáque corpora intelligat corpora æqualiter ac vniformiter temperata,sic vt omnes partes corporis habeant eandem temperiem æqualiter ; per incommensurata corpora intelligit corpora , quæ sunt temperata difformiter , sic vt vna pars sit frigidior,altera calidior,sic tamen vt totum corpus reducant ad temperiem;illa corpora dicit facilè ægrotare, quia quando vna intemperies communicatur vni parti,statim communicatur omnibus, propter æqualem temperiem omnium : hæc verò non ita ægrotant , quia etsi vni parti communicetur aliqua intemperies , ea retunditur & superatur à parte appositam intemperiem habente.

Problema Secundum.

An ex perfectissimis operationibus cognoscatur corpus tẽperatum,seu (quod idem est) an corpora temperata habeant operationes perfectissimas? *Resp.* loquendo coniunctim habet omnes operationes perfectissimas, id est,nullum temperamentum est, in quo omnes operationes animæ simul & coniunctim sumptæ sint tam perfectæ sicut in corpore temperato : sed loquendo diuisim aliquæ actiones in corpore intemperato sunt perfectiores quàm in corpore temperato. Prob. 1. quia si omnes actiones in corpore temperato essent perfectissimæ,omnes actiones animæ deberent esse perfectissimæ in homine;quia est omnium animalium perfectissimum:at ita non est,quia aliqua animalia meliùs audiunt, quam homines,vt aper ; aliqua melius vident, vt lynx , aliqua meliùs odorantur, vt canes ; aliqua sunt fortiora , vt leo , &c. 2. in mediâ ætate deberent omnes actiones esse perfectissimæ ; sed ita non est,quia in pueritiâ vegetior est concoctrix & auctrix,in adolescentiâ generatrix;in iuuẽtute motrix;in senio intellectiua,&c.3.quia videmus,quòd in vno & eodẽ corpore

vna

vna actio magis siccitate gaudet, alia humiditate; sic retentrix magis gaudet siccitate, expultrix magis humiditate, imaginatio humiditate, memoria & motus siccitate, &c.

Problema Tertium.

An ex figurâ corporis possit optimum temperamentum cognosci? videtur quòd sic; quia Medici signa corporis optimè temperati ponunt corporis pulchritudinem. 2. etiam ponunt quantitatem corporis mediam, inter paruam & magnam. Prob. etiam ex Gal. *qui in arte paruâ* ponens signa temperamenti corporis, dicit, *ipsum esse medium inter omnes dispositiones*; ergo debet etiam esse medium inter paruum & magnum. 3. paruitas & magnitudo pendet ex maiore vel minore calore; denique etiam ex maiore vel minore humiditate; at temperamentum temperatum est medium in his qualitatibus: ergo debet etiam esse medium in effectibus, qui ab iis pendent. 4. Gal. & Auic. signa temperati corporis ponunt venas neque paruas, neque magnas habere; ergo eâdem ratione reliquum corpus neque magnum neque paruum habere, erit signum temperamenti temperati. Quoad pulchritudinem verò, illa certè indicat optimam conformationem, sed tamen mediatè videtur etiam indicare optimam temperiem, quia optima conformatio pendet ab optimâ temperie; nam temperamentum optimum est causa optimarum actionum; ergo conformationis. *Sed Respond.* illa aliquo modo etiam temperatum temperamentum indicare, si alia multa eiusdem generis signa coïncidant, sed tamen valde incertò; quia figura corporis non tantùm pendet à temperamento, sed etiam à materiæ qualitate, à similitudine & figurâ parentum, à cibi genere, à morbis prægressis, à rebus externis; quæ omnia possunt & paruitatis & magnitudinis caussa esse: sic magni fiunt ex parentibus magnis, & parui ex paruis, cuiuscumque sint temperamenti. Facultas conformatrix etiam operatur in virtute propriâ modo incognito & planè diuino, & non pendet à totius corporis tẽperamento, vel si pendet à temperamento, non pendet à temperamento totius sed vel vteri, vel seminis, vel testiũ, quorum temperamentum potest à temperamento totius esse diuersum. Morbi etiam circa tempus vltimi incrementi orientes possunt esse causa vel magnitudinis vel paruitatis: aliqui morbi incrementum impediunt, aliqui iuuant; sicuti videmus post intermittentes febres diuturnas, puerorum corpora excrescere. Victus etiam ad quantitatem corporis conducit: nam qui in pueritiâ calidis & siccis cibis & vino multo vtuntur, minus excrescunt; quàm qui lacte, fructibus, pultibus, cereuisiâ, butyro aliisque similibus: cui positioni videtur etiam Gal. assentire, *libro de optimo corporis habitu*, vbi dicit, *temperatum corpus quoad alia omnia esse medium inter extrema, sed non necessariò quoad quantitatem*; & rationem addit, *quia illa non solum temperamentum, sed etiam materiæ multitudinem & paucitatem sequitur.*

Problema Quartum.

An temperamentum corporis possit cognosci ex temperamento cutis, seu habitu corporis; seu an temperies ad tactum externa sit indicium similis temperamenti interni seu totius corporis? Videtur autem quòd non: quia videtur, quòd illud iudicium sit incertum, eò quòd temperies interna sit adeò inconstans & variabilis, vt ad singula momenta mutari possit; à frigore hyberno, calore æstiuo, exercitiis & motu, cibo, somno, & aliis causis. Temperamentum internum est constans & perpetuò idem. Temperies externa pendet à vario motu sanguinis, vel spirituum ad exteriora vel interiora: ob varias autem causas modò extra, modò intra sanguinem ferri contingit. In illo motu & mutatione si contingat Medicum cutem tangere, absque dubio errabit; sic metu, irâ, tristitiâ, amore, moto sanguine extra vel intra, contingit temperiem ad tactum mutari: sic hausto calido potu exteriora magis incalescunt: à cibo sumpto exteriora frigescunt, cùm tamen interiora magis caleant. In somno etiam alia quàm in vigiliâ cutis temperies est: motu corpora incalescunt. 2. potest vna pars princeps, vt cor esse in excessu calidum, & hepar in excessu frigidum; ex illis tamen duabus qualitatibus se mutuò retundentibus resultat in cute temperies illa. Temperies cutis non potest indicare temperamentum internum; quia temperamentũ internum non est vniforme, sed contrariũ aliud in vnâ aliud in aliâ parte. 3. externa cutis temperies non potest bene sensu iudicari, id est, non possumus bene tactu iudicare, an aliquis habeat temperiem cutis calidam, an frigidam: ergo non possumus ex illâ iudicare. Probatur: quia excessum in qualitate aliquâ non potest manus percipere nisi ipsamet sit temperata; Nam illam temperiem cutis alterius debemus metiri per recessum à temperie manus nostræ; nam si nostra manus sit calida, calorem cutis alterius, etiamsi excedens sit, iudicabit temperatum vel frigidum, & contra; sic qui in balneo est, vrinam suam per crura defluentem sentiet frigidam, quam alio tempore sentiet calidam; at nos non possumus semper iudicare, an nostra manus sit temperata: ergo per tactum de cutis alterius temperie certi nil possumus indicare. 4. Quia si manus nostra sit temperata, saltem non poterit percipere temperamentum temperatum illius, qui tangitur; quia illa temperamenta erunt sibi mutuò simillima, & sic vnum ab altero non afficietur, & sic consequenter non percipiet illud. *Verùm respond.* ex temperie cutis externâ posse internam diiudicari, modo cautelæ aliquæ obseruentur. 1. vt quando corpus alterius tangitur & quando manus tangentis, & corpus illius, qui tangitur, sint nullâ insolitâ ab externis causis qualitate affecta; vt, v. g. exercitio & motu, igne, sole, frigore ambiente &c. 2. vt corpus illud tangatur sæpiùs & variis partibus; sic enim non contingit error; nam si semper illa temperies eodem modo se habeat, est indicium eam

esse

esse natiuam & constantem; alioqui si mutetur, indicium est eam ab externâ causâ esse permutatam. 3. si consideremus ætatem, & porrò ratione ætatis iudicemus de temperamento; nam certum est, corpus pueri optimè pro ratione suæ ætatis temperamenti habere remissionem & blandiorem calorem, & maiorem humiditatem ac mollitiem: iuuenis acriorem & intensiorem calorem, & maiorem siccitatem ac duritiem, & sic deinceps. 4. Vt ille tactus fiat anni tempore temperato; nam in anni tempore intemperato, vt hyeme & æstate, temperies cutis non pendet à temperie internâ, sed à temperie aëris; & sic non super illo, sed tantùm super hoc iudicari potest: imò illis temporibus temperamentum internum & externum sunt contraria: nam, vt inquit Hip. *ventres hyeme & vere sunt calidissimi*, cùm tamen externa membra tum frigeant. 5. Vt sciamus illud indicium non valere nisi in regionibus temperatis, & non in intemperatis: ratio est, quia in regionibus temperatis & internæ & externæ partes sunt eiusdem temperamenti; vnde intemperies calida externarum partium indicat etiam intemperiem calidam internarum; & contrà: sed in regionibus intemperatis non ita; quia in illis externæ & internæ partes non sunt eiusdem temperamenti; sed si externæ partes sunt calidæ internæ erunt frigidæ; & contrà. Nam in calidis regionibus externæ partes calent; & ideò in illis hominibus cutis est sicca & fusca, nigra, pili nigri, densi, crispi; internæ verò sunt frigidæ: Contrà in frigidis. *Ad argumenta Respond.*

Ad primum. Illud iudicium propterea sumi debere frequenter, & cùm, & corpus tangentis, & illius qui tangitur, sunt in statu medio, à nullâ causâ externâ affecta.

Ad secundum. Illo in casu totum corpus redigitur ad temperiem mediam, quæ optimè per tactum diiudicatur; separatim verò an cor calidum, hæpar frigidum sit, & contrà, ex propriis & peculiaribus illorum signis est distinguendum.

Ad tertium. Possumus longâ experientiâ & sequenti manus nostræ ad diuersa corpora, quorum alia calida sunt alia frigida, applicatione dignoscere, an temperies manus nostræ media sit, an ad ad alterum extremum declinet; & hoc etiam docet dignoscere Gal. aliâ ratione; quia si æquales partes capiantur aquæ calidissimæ & frigidissimæ, & illæ misceantur, illa aqua erit media inter vtrumque extremum, tam si manus nostra tali aquæ imponatur, & in illâ nullum percipiat qualitatum excessum, sed mediocritatem, est signum, quòd manus nostra sit temperata; sin minus, intemperata: nam si talis aqua ei videatur calida, manus nostra erit temperamenti frigidioris; si frigida, calidioris.

Ad quartum. Tum temperiem cognosci negatione excessus.

Problema Quintum.

An temperamentum corporis possit cognosci ex constitutione corporis

ris gracili vel pingui : siue an necessariò gracilitas indicet calorem & siccitatem ; obesitas frigiditatem & humiditatem ? *Resp.* quòd constitutio habitus corporis tum solum indicet natiuum temperamentum, quando ipsa est naturalis ; sed quando est non naturalis, sed vel ex viuendi ratione vel arte contractâ, tum non indicat complexionem natiuam, sed tantùm illas causas temporaneas, à quibus gracilitas illa vel pinguedo est producta, vt otium, exercitium, commessationes, inediam, mœrores & morbum prægressum. Distinguitur autem, an gracilitas & pinguedo sint natiuæ, nec ne ; & an natiuam complexionem indicent ; nec ne ; quia si corpus est pingue, & simul venæ corporis sunt strictæ ac tenues, tunc indicat natiuam temperiem frigidam ; quæ natiua frigiditas quia adfuit in primâ conformatione, ideò venæ euaserunt strictæ ; frigoris enim est constringere ; caloris dilatare & ampliare. At si cum obesitate venæ sunt magnæ ac laxæ, tum non indicant natiuam tempeperiem frigidam, sed alias causas ; quæ obesitatem causarunt ; nam quòd venæ sint latæ, indicium est, quod in hominis primo ortu non frigida, sed calida temperies præualuerit.

Problema Sextum.

An ex corporis pilis possit temperamentum totius cognosci? *Respond.* Cùm pili totius corporis eodem modo se habent, tùm potest ex iis temperamentum totius desumi ; sed quando diuersarum partium pili diuersificantur, tum non indicant super temperamento totius, sed super temperamento partium tantùm. 2. Quando pili recedunt à qualitatibus pilorum parentum, tum certiùs indicant super temperamento indiuidui, cuius sunt pili. At quando respondent illis, tum non indicant necessariò temperamentum sui indiuidui, sed solùm naturam potentiæ conformatricis parentum, quæ posthabito etiam temperamento ex proprietate naturæ in fœtu expressit similitudines, quæ fuerunt in parentibus. 3. Pili primò & per se tantùm indicant temperamentum cutis, & temperamentum habitus externi ; consequenter verò etiam indicant temperamentum totius internum, quatenus scilicet temperamentum sequitur & est simile temperamento interno. Verùm quia in aliquibus corporibus temperamentum externum cutis est diuersum à temperamento corporis interno ; ideò in talibus qualitates pilorum non indicant temperamentum internum : hoc autem est in iis, qui habitant in regionibus intemperatis ; nam in iis cùm externa cutis calida est & exusta, interiora sunt frigidiora : & contrà, cùm cutis externa frigida est, tum interna sunt calidiora ; & ideò & corporis color & pili indicant internum corporis temperamentum solùm in regionibus temperatis, non autem in intemperatis ; & sic in regionibus calidissimis corpora sunt fusca & nigra, & pili nigri & crispi ; & tamen membra interna sunt frigidiora.

Problema

Problema Septimum.

An ex repugnantiâ ad causas externas seu à lædentibus ac iuuantibus possit sumi temperamenti signum; atque in particulari, an facilè frigere seu facilè à frigore externo lædi, & non posse bene frigus externum tolerare, sit signum frigidi temperamenti, an verò calidi? Pro cuius solutione & explicatione dico hominẽ facilè frigere, & non posse bene frigus tolerare, interdum contingere ratione interni vel externi corporis temperamenti, interdum ratione aliarum causarum. Quando contingit ratione temperamenti corporis, tunc potest super temperamento corporis indicare; sed quando non contingit ratione eius, sed ratione aliarum causarum, tùm non potest super eo indicare, sed tantùm indicat illas alias causas. Causæ autem, à quibus hoc fieri potest, sunt variæ: primò enim potest hoc contingere ex consuetudine; nam qui frigori sunt assueti non facilè frigent, nec facilè à frigore læduntur, sed faciliùs illud tolerant: & contrà, qui non sunt assueti, vt qui continuò in stuphis iuxta ignem, bene induti sunt, statim & facillimè frigescunt, & multò minùs frigus perferre possunt, quàm operarij, piscatores, mendici, qui rarò igni assident, aut tenuibus vestibus sunt cooperti, aut aquas & res frigidas tangunt. 2. causa esse potest corporis gracilitas aut obesitas: nam macilenti possunt minùs hyemem & frigus perferre, sed meliùs ferunt æstatem & calorem: obesi verò contrà. Cuius ratio est, quia in gracilibus frigus facilè penetrat intima eorum, & statim peruenit ad neruos. In obesis verò est resistentia ex carne & adipe. In æstate verò calor per inguinem non potest exhalare ob pinguedinem circum positam, quæ poros angustat; in gracilibus non ita, quia tandem obesi in incessu magis grauantur mole corporis, & sic magis laborant in eo; & ideo magis sudant & calent, tertiò, quia illorum pinguedo inflammatur ab externo calore aëris; horum non. 3. Causa est cutis raritas vel densitas: nam in raris corporibus frigus facilè poros peruadit, & sic offendit ea; in solidis verò non ita quod docet Gal. *cap. 59. artis paruæ*, vbi dicit: *facilè frigere non solùm est signum frigidæ complexionis, sed etiam raritatis corporis: non facilè frigere non solùm caliditatis, sed etiam densitatis est signum.* Vnde potest quis propter corporis sui raritatem facilè frigere, & à frigore offendi, qui tamen non frigidi sed calidi temperamenti est. Verùm cùm secundum Gal. facilè frigere indicet frigiditatem vel raritatem, non facilè frigere caliditatem vel densitatem, quomodo distinguemus, an facilè frigere oriatur ex frigiditate, an ex corporis raritate, & an indicet frigiditatem, an raritatem? Resp. si corpus illud, quod à frigido facilè frigescit, an calido etiam facilè incalescat, & tam facilè lædatur ab vno quàm ab alio, tùm est indicium quòd hoc proueniat à corporis raritate; & tum facilè frigere non indicat corporis frigiditatem sed raritatem; sed si à frigido

facilè frigescat, & à calido tamen non facilè calescat, tum est indicium, quòd hoc non proueniat à corporis raritate sed ab eius temperie; nam si à raritate proueniret, tam facilè ab vno quàm ab altero extremo afficeretur. 4. causa est; quòd aliquando corpora habeant aliqua peculiaria vitia aliquarum partium, quæ non bene ferunt frigus, in quibus partibus cùm percipiunt frigus, statim læduntur, & incommodum sentiunt: vt si quis habeat rarum, tenue ac frigidum cerebrum & catharris obnoxium; aut vlcus alicuius neruosæ partis, aut os ab vlcere denudatum, aut articulorum aliquorum, aut alicuius partis peculiarem debilitatem, in illo casu à frigore lædi & incommodum percipere, non est signum frigiditatis totius, sed saltem est signum eiusmodi peculiaris intemperiei, aut vitij, aut noxæ in aliquâ peculiari parte; nam facilè frigere vnâ parte tantùm; non est signum frigiditatis totius, sed tantùm frigiditatis illius partis: toto autem corpore frigere, & in omnibus partibus à frigore malè habere, signum est frigiditatis totius; sic aliqui peculiariter extremo naso frigent, ac frigus non facilè ferunt sed statim liuorem contrahunt; Aliqui auribus, aliqui in pedum calcaneis statim ex frigore perniones contrahunt; alij manibus facilè frigent: Hoc autem non est signum frigiditatis totius, sed illarum partium tantùm. Ex quo patet, quòd facilè frigere est tantùm signum frigiditatis totius in corporibus habentibus temperamentum æquale, non autem in habentibus temperamentum inæquale. In his omnibus facilè à frigore vel calore lædi non est signum temperamenti totius, sed tantùm peculiarium causarum eiusmodi passibilitatem inducentium. Sed extra hos casus quæritur, an facilè frigere sit signum frigiditatis, & facilè calere caliditatis: & videtur quòd non; imò videtur, quòd facilè frigere sit potius signum caliditatis.

Probatur 1. ex communi axiomate, simile simili gaudet; nam qualitates à qualitatibus sibi similibus iuuantur, fouentur, conseruanturque; contrariæ autem oderunt & fugiunt contrarias; quia ab eis corrumpuntur & destruuntur; ergo corpora frigida gaudent & bene habent à frigore, malè à calore; & contra calida bene habent à calore, malè à frigore; ergo malè habere à frigore non est signum frigiditatis, sed potiùs caloris; & contrà: *probatur*: temperamenta & corpora omnia conseruantur à simili, læduntur à contrario: ergo corpora frigida frigendo conseruantur & bene habent; à calido verò destruuntur, alterantur & mutantur, adeò malè habent; ergo à frigore bene habere potiùs est signum frigiditatis: ab eo malè habere potius est signum caliditatis. Quòd autem similia corpora ac temperamenta à similibus conseruentur & bene habeant, probatur multis Hip. & Gal. autoritatibus: etenim Gal. 3. *artis medicæ textu* 20. dicit *calidiora corpora calidiorem, frigidiora frigiorem victus rationem exposcere*; quod idem est dicere, ac frigida corpora frigidis, calida corpora calidis meliùs conseruari. Et Hipp. 1. *Aphor.* 16.

&

& ibidem Gal. *in commentario* dicun*t*, *victu humidum conuenire febricul-sis*, *& maximè pueris*: quia cùm ætas puerilis sit humida, ei similia & naturæ suæ magis consentanea conueniunt, quibus verbis indicatur similia temperamenta conseruari ac meliùs se habere similibus. Et sub initio sexti *de sanitate tuendâ* habet hæc verba: *si seruare temperamentum studes, in humidis naturis humectante, in siccis sicco cibo vteris; si alterare placet, contrariis.* 2. si ponantur duo homines, vnus temperatus, alius calidus in primo, & obiectum sit calidum in secundo: temperatus percipiet obiectum illud calidius, quàm calidus in primo; ratio est, quia tactus percipit intentionem alicuius qualitatis, secundum quod excedit temperiem sui organi: in intemperato obiectum excedit qualitatem organi in duobus gradibus; in calido vt vnum tantum in vno gradu; ergo eâdem ratione frigidus in vno gradu percipiet illud obiectum adhuc calidius, quàm calidus in vno gradu. Itaque si frigidus percipit obiectum calidum sub maiore calore quam calidus; ergo frigidus ab obiecto calido magis offenditur, quàm calidus; ergo ab illo obiecto calido magis dolebit quàm calidus; quod *probo:* quia illud obiectum calidum excedit temperiem organi illius hominis frigidi multò magis, quàm temperiem hominis calidi; ergo illud magis afficiet & alterabit, & maiorem inferet dolorem; quia quò sensibile est maius, eò magis etiam afficit organum, & magis lædit ac destruit illud: ergo frigidus magis læditur à calido, quàm ipse calidus: ergo magis lædi à calido est signum frigiditatis; & magis lædi à frigido est signum caliditatis. 3. *probatur experientiâ:* animalia meliùs degunt in loco temperamento suo similibus quàm secus; ergo à similibus qualitatibus corpora meliùs habent, & minùs læduntur quàm à contrariis: ergo frigida corpora meliùs à frigore, & calida à calore; & contrà: ergo à frigore benè habere est signum frigiditatis; & à frigore male habere est signum caliditatis. Antecedens *probatur:* quia pisces, qui frigidi sunt, in aquâ frigidâ conseruantur, gaudent & bene habent; in calidâ extinguntur. Et Aristoteles *sexto de respiratione.* Et Theophrastus 1. *de causis plantarum cap.* 27. fatentur esse signum frigiditatis piscium, quod in loco frigido gaudeant ac conseruentur. Et reprehendunt Empedoclem, qui contrarium asserebat, sc. pisces calidos ex eo posse cognosci, quòd frigido loco conseruentur; & adferunt rationẽ, quòd scilicet vnumquodque in loco naturæ suæ simili optimè conseruetur *Probatur* 2. quia animalia calidissima vt Tygrides, Leones, Leopardi, & herbę calidissimæ, vt Zingiber, piper, cryophylla & omnia aromata nascuntur & crescunt in regionibus calidis, & ibi optimè conseruantur: in regionibus autem frigidis non crescunt, &, si plantentur, contabescunt & intereunt: hoc autem est indicium, quòd gaudeant calore, & à calore bene habeant; nam vbi vnumquodque nascitur, ibi & naturaliter magis conseruatur; natura enim fecit vnumquoque nasci in loco, vbi optimè conseruatur. 4. *Probatur* exemplo hominum sub septentrione habitantium; illi enim sunt frigidi, & tamen minùs

læduntur, & faciliùs tolerant frigus, quàm qui habitant in Aphricâ & ſub tropicis : & contrà, qui ſub tropicis habitant, ſunt calidi ; & tamen illi benè ferunt calorem, & meliùs quidem, quàm illi, qui habitant ſub ſeptendrione : imò illi frigus vix ferre poſſunt ; quia ſi venirent ad Regionem frigidam, maximè frigerent, & frigus ferre non poſſent, imò à frigore interirent ; & patet in Hiſpanis, qui cùm veniunt ad has regiones, magis frigent, magiſque à frigore læduntur, quàm nos ; ergo ſimiles facilè ferunt res ſimilis temperamenti, minus autem contrarij : ergo à frigore lædi eſt ſignum caliditatis, non autem frigiditatis.

Verùm his omnibus non obſtantibus dico ; facilè frigere eſſe ſignum frigiditatis ; & facilè calere & à calore malè habere eſſe ſignum caliditatis, non autem frigiditatis : *Et Prob.* 1. Auctoritate Galeni *cap.* 59. *artis parvæ*, vbi dicit, *in omnibus commune ſignum temperamenti eſſe à frigore vel calore facilè affici : nam ſi membrum*, inquit, *facilè frigeſcat, eſt ſignum frigiditatis*, & *ibidem* ponens ſigna frigidi temperamenti cerebri, dicit, quòd eiuſmodi temperamentum frigoris incommoda facilè ſentiat, & ab eo lædatur : & ponens ſigna temperementi calidi dicit, quòd ab ambiente aëre calido magis grauetur : & ponens ſigna temperamenti compoſiti, ſcilicet calidi & humidi, dicit, quòd Auſtri, qui calidi ſunt & humidi, ſint nociui : Aquilonales verò venti ſalutares. *Probat.* 2. auctoritate Hippocr. qui 5. *Aphor.* 18. dicit *frigidum oſſibus, neruis ac cerebro inimicum eſſe* ; quia ſi : illa ipſa frigida ſunt ; ex quo patet, quòd frigida à frigidis offendantur ; & conſequenter à frigido lædi eſt ſignum frigiditatis. *Probatur etiam auctoritate* Ariſtotelis 1. *ſectione* 4. *Problematum* 26. vbi quærens, cur æſtate viri minus, mulieres magis veneri ſint idoneæ, dicit rationem eſſe, quòd corpora virorum, quæ calida ſunt, æſtate æſtuent ; mulierum verò quæ frigida ſunt, foueantur ac vigeant. Hanc ſententiam etiam ſequitur Scaliger *exercitatione* 274. vbi arguit canes eſſe frigidos, ex eo, quòd citò frigeant, & libenter in ſole apricentur, *Probatur* 3. *ratione*. Quæ calida ſunt, frigus non facilè patiuntur, quia reſiſtunt ei : quæ verò frigida ſunt, non reſiſtunt, ſed ſtatim ſuperantur ; & ſic à frigore non facilè offendi eſt ſignum caliditatis ; facilè verò offendi eſt ſignum frigiditatis. Sic vina frigida à frigore facilè corrumpuntur & congelantur ; quia non reſiſtunt ei ; calida verò non ita, quia reſiſtunt. Sic qui frigidus eſt melius reſiſtit calori, quàm calidus ; & qui calidus eſt, magis reſiſtit frigori quàm frigidus. Qui manus habet frigidas minùs læditur à re calidâ, quam apprehendit ; & minùs recipit calorem eius, quàm qui habet manus calidas : & contrà, qui habet manus calidas, minùs læditur contrectando rem aliquam frigidam,

frigidam, quàm qui frigidas. *Probatur* 4. Temperamenta à contrario conseruantur & meliùs habent, à simili verò peiùs; ratio est, quia à contrario reducuntur ad mediocritatem, à simili abeunt in excessum; ergo à frigore lædi est signum frigiditatis; à frigido iuuari, caliditatis; loquor autem de temperamentis intemperatis, temperamentum medium sive temperatum excedentibus; quòd autem talia temperamenta à contrario conseruentur, ex eo patet; quòd per mediocriter contraria ad medium temperamenti genus reducantur; si ergo temperamenta intemperata à qualitate simili læduntur, à frigido lædi est signum temperamenti intemperati frigidi, non autem calidi. 5. *Probatur experientiâ*, quæ docet quòd frigida à frigidis statim lædantur, à calidis iuuentur: sic cachectici, hydropici semper frigent, & à frigido malè habent; quia sc. sunt frigidi. Senes etiam hyemem non bene ferunt, sed semper ægri assident. Sic serpentes Salamandræ, quæ frigida animalia sunt, in frigidis regionibus malè habent, & torpida sunt, & semimoriuntur: æstate autem alacria ac vegeta sunt.

Ad argumenta in contrarium respondetur.

Ad primum. Qualitates quidem similibus gaudent ac conseruantur, sed non corpora; quia quando qualitates sunt excedentes, corpora cum illis non bene habent, sed sunt prona ad lapsum; & bene habent, cùm reducuntur ad mediocritatem; & cùm eorum qualitas excedens corrigitur & reprimitur, illa correctio & reductio fit per qualitates contrarias, & non per similes: & sic à qualitatibus contrariis meliùs habent, & consequenter à lapsu præcauentur; & hoc est, quod iam diximus, quòd temperamenta intemperata conseruentur à contrario, non à simili. *Explico*: temperamentum calidum vt duo, quoad suum esse qualitatis conseruatur à calido vt duo, & non à frigido: nam à frigore destrueretur, & desineret esse calidum vt duo; sed corpus, quod illud temperamentum vt duo habet, illud non meliùs conseruatur ab eo, sed meliùs conseruatur à frigido; ratio est, quia cum temperamento illo calido vt duo non est constitutum in optimâ sanitate, sed vergit ad ægritudinem, & non bene habet; & ideò à calido vt duo conseruaretur in illo malo statu. Sed à temperamento contrà reducitur ad mediocritatem, & ad optimam sanitatem; & sic ab eo meliùs habet, & meliùs conseruatur.

Ad secundum. Quòd calidi meliùs ac citiùs percipiant frigus, quàm frigidi, perceptione scilicet intentionali, propter rationem in argumento positam; sed non tàm citò nec tàm facilè recipiunt frigus realiter, nec tàm facilè frigidi fiunt, quàm qui frigidi sunt; cuius ratio est, quia calidi magis resistunt frigori, quàm frigidi, & quia calidi ab excessu frigidi sunt remotiores quàm frigidi; à termino enim propinquo facilior est lapsus seu permutatio ab extremo, quàm à terminо remoto & contrario: sic calidæ manus primo attactu niuis intentionaliter suauiorem sentiunt frigiditatem, quàm frigidæ; sed contrectando diutiùs niuem non tam citò fient frigidæ, sicuti quæ ante frigidæ erant: contrarium ta-

men est in manibus frigidis, quæ tangunt res calidas; nam manus frigidæ non tam citò percipiunt calorem magnum, quàm calidæ; sed illic est alia causa,& tãtũ per accidẽs;hoc enim ideò fit,quia frigiditas obstupefacit sensum,& quia manus frigida nõ est ita apta sentire sicut calida.

Ad tertium argumentum patebit:responsio ex problemate sequenti.

Ad quartum. Hoc esse per accidens, & propter aliam rationem, scilicet consuetudinem & subitam permutationem: postquàm consuetudinem paulatim exuerunt,tùm etiam septendrionales & in calidis ac meridionalibus regionibus optimè degunt.

Problema Octauum.

An à Regione possit desumi signum temperamenti nec ne,& quomodo;an nimirum regio sit signum temperamenti similis, an contrarij; id est,an res nasci & degere in regione calidâ sit signum eas esse calidas;an verò frigidas, & contrà?Dico autem, quod hæc quæstio est eadem cum illâ,quâ quæritur,an regio producat res calidas an frigidas: nam si facit esse calidas, ergo regio est signum caliditatis earum;si frigidas, contrà: nam regio est signum temperamenti vt causa;quale autem temperamentum facit, tale significat. Quæritur ergo quale temperamentum regio communicet rebus in eâ nascentibus, simile ne an contrarium? Videtur autem quod contrarium 1. authoritate Hipp. qui *libro de aëre, aquâ & locis* dicit,*corpora Æthiopum esse frigidiora, Scytarum calidiora;& corpora Asiatica esse pusillanima*; Æthiopia tamen est regio calidissima, Scythia verò est regio frigidissima, & Aristoteles 14. *problem.*8. quærit, *cur, qui loca calida incolunt, sint timidi*, & rationem dicit: *quia loca & regiones frigidæ faciunt corpora calida, & contra regiones calidæ faciunt frigida;nam* inquit, *temperamenta & loca contrario modo se habent ad naturam:cùm loca & temperamenta sunt frigida, tum natura est calida & contrà:*& subdit, *quod qui loca frigida incolunt,insito calore abundent.*hoc idem dicit 14.*probl.* 16. & addit etiam rationem, *quia in locis calidis calor exhalat,in frigidis per antiperistasin retinetur:metus autem à frigore,fortitudo à calore producitur.*Et eadem & 7.*politicorum* 2. & Alexander Aphrodisæus 2.*problem.*6. vbi dicunt,*animosos esse qui frigida loca incolunt,vt Europæos & Scythas:imbelles,qui calida,vt Asianos.*Sed & *sect.*14.*problem.*14. nam ibi dicit: *quod septendrionales habeant oculos cæruleos,meridionales verò nigros,ex eo, quòd septendrionales habeant exuberantiam interni caloris, propter* ἀντιπερίστασιν *frigoris:meridionales verò contrà:* & *prob.*15. *in calidis locis esse sapientiores, quàm in frigidis;* ratio est,quia qui regiones frigidas inhabitant, sunt calidiores, eorum verò calor sapientiæ obest: *tales enim*, inquit, *sunt sicut ebrij,quia sicut ebrij ob vini feruorem perdunt sapientiam,ita & illi:at qui regiones calidas inhabitant, sunt frigidi, & sic illi sunt sicut homines sobrij, & propterea prudentiores.* Et eodem *libro problem.*3.dicit,*in regionibus frigidis ardores febrium fieri;quia,*inquit, *in illis interna calent, ex quo febres faciliùs fiunt.*His etiam consentit Gal.2.*de temper.*c.6. vbi dicit, quòd in Germanis,

manis Gallis & omni Francico & Scythico genere humida frigidáq; caro est, & omnis calor naturalis in iis ad viscera confugit vnà cum sanguine; vbi cùm premitur & feruet, iracundi, audaces & consiliis præcipitis fiũt.

Probatur 2. ratione: hyems facit corpora calida, pariter & nox, secundum illud Hipp. *Ventres hyeme sunt calidissimi*; ergo etiam frigida ob eandem rationem; cur enim non tam bene faceret idem regio quod hyems, & quod nox? hæc enim reddunt corpora calida; quia in eis aër est frigidus, qui calorem pellit ad interna: sed in regione frigida aër etiam est frigidus, sicut in hyeme; ergo etiam similiter calorem ad interna protrudit; & consequenter corpora calefacit.

Probatur 3. experientiâ: in aquis frigidis crescunt herbæ calidissimæ, vt nasturtium, & aliæ: in regionibus calidis crescunt herbæ & animalia frigidissima, quæ non possunt crescere in regionibus frigidis, vt lacertæ, serpentes, Salamandræ, citria, melones, cituta, mandragora, lapides & gemmæ pretiosæ; quæ omnia habent frigiditatem. Denique in regionibus frigidis homines sunt voraciores, & magis sitibundi, vt apparet ex eo, quòd magis sint ebriosi, quàm in regionibus calidis: ergo in illis sunt calidiores; quia voracitas & siticulositas indicant abundantiam caloris.

Contrà verò, quòd Regio producat in rebus temperamentum simile, *probatur* his argumentis. 1. authoritate: nam auctores circa hanc rem videntur multa habere contraria. Etenim Aristoteles 14. *probl.* 9. quærit, cur qui in calidâ regione habitant, diutiùs viuant, & dicit rationem esse, quia in regione calidâ corpora sunt calidiora, in frigidis frigidiora: vita enim in calido, mors verò in frigido consistit. Ptolomæus. 2. *quadripartiti cap.* 3. dicit, *homines, qui habitant intra tropicos, eò quod supra verticem eorum feratur sol, vstulatis nigrisque corporibus esse, capillo crispo & denso, facie contractâ, staturâ breui, naturâ calidos, moribusque feris, quos Æthiopos vocare consueuimus, & omnia animantia, & quæ ex terris nascuntur, eodem modo se habent.* At, inquit, *qui sub parallelis aquilonaribus habitant, cùm eorum punctus verticalis à Zodiaco & Solis calore longè absit, ideò etiam frigore & humiditate abundant; in quâ cùm alimenti copia insit, non exhauritur ipsa à vicino calore, ideo ibi,* inquit, *sunt homines colore albo, capillo longo, staturâ procerâ, carnosi, naturâ subgelidi, quos,* inquit, *singulariter vocamus Scythas.* Quę verba Ptolomæi è directo aduersantur supra positis Aristotelis locis. Auerroës. 3. *colloc.* ait, *quæ nascuntur in locis calidis, plerumq; calida esse; sicut,* inquit, *quæ ex Indiâ adferuntur; & quæ nascuntur in frigidis frigida; quãuis tamen,* inquit, *aliquãdo possit esse per accidẽs, quòd nascãtur calida in terris frigidis, & frigida in calidis: sicut pinus in Illyriâ, Tamarindi in Arabiâ.* Idẽ docet Plin. *li.* 2. *c.* 28.

Probatur. 2. ratione: vnumquodque generat sibi simile; ergo & Regio. Antecedens probatur: Non refrigerat & humectat, pituitam multiplicat somnum inducit: hyems corpora frigefacit; nam pituitam multiplicat, extinguit in rebus calorem natiuum: vnde plurimæ herbæ & animalia hyeme moriuntur; ergo & regio eadem facit. Sequela probatur: illæ faciunt hoc per aëris frigiditatem; ergo & regio id facit eâdem ratione.

2. Regio

2. Regio calida efficit morbos calidos. Et Hipp. & Galen. dicunt febres ardentes esse morbos æstiuos, & anni tempore calido, & in regione calidâ maximè produci: ergo regio calida calefacit corpora; si calefacit, calefacit ea calore excessiuo ac morboso; ergo multò magis calefacit ea calore moderato & naturali. 3. Vbi vnumquódque optimè conseruatur, ibi maximè generatur; sed calida corpora optimè conseruantur in calido, frigida in frigido; ergo in eo maximè generantur: sic Hispani in Hispaniâ, Scythæ in Scythicâ optimè habent; in contrariis Regionibus malè. In calidis Regionibus crescunt aromata & animalia calida; in frigidis contrà: ergo. Denique quis dicet Hispanos esse frigidiores Belgis? quis non asserat Hispanos & Italos esse calidos, Belgas esse frigidos? hoc autem solùm contingit ex eo, quòd illi in calidis regionibus, hi verò in frigidis geniti sint: ergo regio calida producit res calidas, frigida frigidas.

Pro huius quæstionis resolutione varia dici possunt, imprimis quòd corpora regionum iuxta Polum sitarum sint frigida, & quoad externas & quoad internas partes, eò quòd frigus ibi sit tam intensum, vt non solùm externas sed & internas partes peruadat & refrigeret. Corpora verò quæ degunt in regionibus mediis, sunt calida calore natiuo & naturali. Quæ in regionibus calidissimis, calida calore igneo & elementari, & non naturali. 2. Dici potest; quod regio per se producat temperamentum simile, sed per accidens aliquando producat contrarium, euocando sc. calore suo calorem corporum; vel concentrando eum suo frigore; & propterea in quibus corporibus hæc calidi concentratio vel euocatio locum habet, in iis facere temperamentum contrarium. In quibus verò locum non habet, in iis facere temperamentum simile; & sic in frigidissimis regionibus corpora omnia & animalia & plantas esse frigida; quia in iis concentratio locum non habet, eò quod in illis intensissimum frigus & externas & internas partes peruadat: In regionibus mediis, ad frigus tantùm tendentibus, vt Scythiâ, Poloniâ, Germaniâ, Galliâ, externas corporis partes esse frigidiores; eò quòd aëris frigus illas afficiat, & propterea mulieres ibi esse formosas, homines albos & pulchros, molli carne, pilis acutis; internas verò esse calidas, eò quòd illis ἀνπεῖσιν locum habet, & ideò eos esse cibi potusque appetentiores. In calidissimis verò Regionibus externas esse calidas propter Solis torrefactionem; & propterea homines ibi esse fuscos, crispos, breues, internas verò frigidas; quia à calore externo eorum calor internus euocatur; & ideò cibi potusque minus esse appetentes. Plantas pleraſque esse calidas; eò quod in illas solis calor agat, & ideò in iis ἀνπεῖσιν non habet locum, sicut in animalibus. 3. dici potest, quæ mea est sententia, regiones producere in corporibus temperamentum simile & non contrarium: & regiones calidas producere corpora calida, frigidas frigida; hoc enim est manifestum experientiâ; quia iuxtà polum, vbi est summum frigus, homines sunt frigidi, torpidi, stupidi, molles, albi, parui, animalia frigida, vt vrsi, alces, lepores, &c. In regionibus calidis,

vt

vt Hiſpaniâ, Africâ, homines ſunt parui propter calorem & ſiccitatem, fuſci nigri, iracundi, criſpi, ingenioſi; ibi creſcunt omnis generis aromata calidiſſima. In mediis regionibus corpora medio modo ſe habent. Sed in calidis regionibus corpora prædita ſunt magis calore igneo, acri & mordaci, propter corporum à ſolis oxuſtione ſiccitatem. In regionibus mediis, vt Germaniâ, Galliâ, prædita ſunt calore magis blando, propter humiditatem coniunctam cum calore tali, qui ad actiones potentiarum vegetatiuarum ac naturalium videtur conuenientior. Ad argumenta Reſpondetur.

Ad primum ab auctoritate deſumpta. Rationes, quibus Ariſtoteles colligit corpora in regionibus frigidis eſſe calida, eſſe parui momenti & friuolas; nam quòd ideò Aſianos & aliquas nationes in calidis regionibus habitantes eſſe frigidas, quia ſunt timidæ, nullius momenti eſt; quia & inter calidas & inter frigidas aliquæ timidæ ſunt, aliquæ fortes & audaces, & plerumque calidæ ſunt audaciores; & timiditas earum non eſt à temperamento, ſed ab aliis cauſis, vel quia non habent regionem munitam, vel hoſtes potentes, vel non aſſueuerunt bello, vel non habent ſufficientia armorum genera, vel laborant defectu prudentiæ, vel multo tempore vixerunt in deliciis omnium rerum, quæ faciunt homines ad bellum, moleſtias ac miſerias illas tollendas inidoneos. Et quòd dicat ideò ſeptendrionales cæſios oculos habere, ridiculum ac falſum eſt; quia cæſij oculi magis frigidum quàm calidum temperamentum indicant. Quòd dicat, in calidis regionibus homines eſſe ſapientiores, propterea quòd homines ſint frigidi; friuolum eſt ac falſum: ratio eſt, quia calor in calidis regionibus non poteſt eſſe tantus, vt faciat homines eſſe diſiros, ſicut facit calor febris acutæ. Quòd dicat in regionibus frigidiſſimis homines febribus calidiſſimis laborare, Gal. & Hipp. aduerſantur, qui eas anni tempore calido & in regionibus calidiſſimis maximè fieri dicunt.

Ad ſecundum à ratione deſumptum. Illud non multum probare: quia hoc ipſum eſt maximè controuerſum, an hyems & nox reddant corpora calida, an frigida: cùm circa hoc ſint diuerſa Gal. & Hipp. loca, alicubi dicentium mortem ac hyemem per ἀντιπεριστασιν calefacere; alicubi eadem in corpore multiplicare pituitam; de quo *in tractatu de aëre* agimus. Quòd aliqua animalia, & herbæ frigidiſſimæ in calidiſſimis regionibus tantùm naſcantur, ex accidente eſt; quia ſcilicet eorum calor natiuus tam exiguus eſt, vt in frigidâ regione extinguatur, ſed egeat à maximo calore ſolis foueri & ſuſtentari. Quòd in regionibus frigidis homines ſint voraciores ac bibaciores, ratio eſt, non quòd internus ſit intentior, ſed quòd blandior & coniunctus cum humiditate, qualis ad operationes vegetatiuas eſt conuenientior: Accedit, quòd bibacitas aliquarum nationum non eſt ex temperamento aut naturâ, ſed à malâ conſuetudine & malis moribus proueniat. Et hæc de ſignis temperamentorum.

Cap. II.

Signa Complexionum.

§. I.

Signa complexionum, quæ etsi eadem ferè sint cum signis temperamentorum, eò quòd complexio sequatur temperamentum; tamen adhuc aliqualiter ab illis differunt; nam aliud est temperamentum, aliud complexio: nam temperamentum est harmonia qualitatum corporis: complexio verò est harmonia humorum in corpore existentium. Potest autem esse, quod harmonia qualitatum corporis non sit eadem cum harmoniâ humorum; & propterea sunt aliqua signa humorum seu complexionis, quæ tamen non ponuntur inter signa temperamentorum: quòd autem non necessariò temperamentum & complexio coincidant, & se mutuò sequantur, ratio est; quia complexio & harmonia humorum pendet ex temperamento hepatis ac stomachi, seu vnius & alterius partis humores generantis: temperamentum verò totius pendet ex temperamento omnium viscerum, vt maximè ex temperamento cordis. Potest autem esse, quòd reliqua omnia membra sint calida, stomachus autem frigidus, aut hepar frigidum, & contrà; in quo casu temperamentum corporis erit calidum, complexio tamen erit pituitosa. Denique complexio etiam pendet ab alimentis; & sic fieri potest, quòd quis sit temperamento calidus, & tamen propter victus rationem & alimenta cruda sit pituitosus. Pendet etiam complexio à peculiarium membrorum humores à sanguine secernentium vitio; nam etsi quis sit naturâ frigidus, potest tamen esse, vt idem sit bilios us; si vesicula fellis naturaliter sit parua, si anguſtos meatus habeat, si debilis est virtute attractrice & idem est de liene. Denique etsi complexio & temperamentum plerumque coincidant, & se mutuò sequantur; tamen quia aliqua signa per se ac immediatè magis indicant temperamentum, aliqua immediatè ac per se complexionem; temperamentum verò non nisi mediatè ac secundariò, quatenus sc. temperamentum est causa complexionis; ideò seorsim signa complexionis sunt ponenda. A variis autem fontibus signa complexionum sumuntur, vt parentibus, ætate, regione, victus ratione; ab effectibus, vt actionibus, ab excrementis, à corporis qualitatibus & accidentibus, à morbis prægressis, à nocentibus ac iuuantibus.

§. II.

Signa complexionis sanguineæ.

Illius signa sunt; si est hilaris, ridibundus, non iracundus, liberalis, libidinosus;

dinosus; nam abundantia sanguinis causat abundantiam seminis; si somnolentus; nam oppletio venarum cerebri, & multi humidi vapores ex sanguine ad cerebrum ascendentes, capitis grauitatem ac somnolentiam causant. Aliqui sanguineos stupidos, aliqui ingeniosos faciunt; verùm medio modo se habent; si rosei coloris, si habitus est carnosus, si magnas venas habet; intelige, si cum amplitudine & tensione venarum simul sit bene carnosus; nam alioqui possent venæ esse tumidæ, non à sanguine, sed à statu, sero, ac aliis humoribus. Si de rebus rubris ac lætis somniat, si frequenter sanguinem per nares aut alias partes emittit, & cùm emittit alleuiatur, si menstrua semper sunt copiosa, si morbis sanguineis sæpe laborat, vt phlegmonibus, synocho, &c. si liberalem phlebotomiam facilè fert, si sanguis phlebotomiâ extractus sit purus, roseus, & parum aliorum humorum ei sit permixtum, si caro laxa est & mollis, si pronus est in sudores, si pulsus naturaliter semper est magnus ac plenus, si vitæ genus lautum fuerit, si corpore magno sit, & in pueritiâ celeriter acquisierit corporis incrementum, si in regione viuat temperatâ, si parentes habuerit eiusdem complexionis, &c.

§. III.

Signa Complexionis bilioſæ.

Si est audax, agilis, iracundus, vindictæ cupidus, ingeniosus, perspicax, acuti sensus, siccus, macilentus, hirsutus, crispus, caloris fusci, capillis nigris, si in pueritiâ celeris fuerit incrementi ob calorem, sed incrementum citiùs esset propter siccitatem, si fuit obnoxius morbis biliosis, vt crisipelatis, febribus tertianis, vtero, &c. Si bilioſa frequenter euomit, si excrementa naturaliter flaua, si à calidis cibis ac potu & aëre facilè læditur, si in calidissimâ regione habitauerit, si parentes tale temperamentum habuerint, si pulsus sit magnus, vehemens, velox, frequens, durus, si somnia habet de bellis, igne, insidiis, de volatu ob spirituum feruorem ac tenuitatem, si in extracto sanguine multa semper bilis supernatat, si semper à cholagogis meliùs habet, quàm ab aliis purgantibus, si sudores amari sint, ac flauo colore indusium pingant.

§. IV.

Signa Complexionis pituitoſæ.

Stupidus, segnis, torpidus, obliuiosus, somno deditus; pituita enim cerebrum frigidum ac humidum facit, & spiritus nebulosos & crassos, si pulsus paruus, tardus, rarus, mollis; si corporis habitus pallidus, obesus,

mollis, si multa pituita per varias vias exit, vt per emunctiones excreationes, deiectiones; nam sola pituitæ multæ per nares emunctio non totius corporis, sed solùm cerebri frigiditatem indicat; si sanguis phlebotomiâ extractus multum habeat pituitæ permixtum, si menstrua alba, & non multùm pannum pingentia; si à phlegmagogis meliùs habet, quàm ab aliis purgantibus, si vrinæ naturaliter albiores & crassiores cum sedimento multo, si semper pituitosis morbis fuit obnoxius; si frequenter somniet, aquas, pluuias, niues; si cibis pituitosis, vt piscibus multis, lacte, fructibus, aquæ potu vel cereuisiæ vsus fuit, si in frigidâ semper habitauit regione, aut in regione palustri & circa mare; si cibis calidis inuatur, iisque meliùs habet quàm frigidis; si aërem calidum ac æstiuum meliùs ferat, quàm alicuius alius temporis.

§. V.

Signa Complexionis melancholicæ.

Si est timidus, mœstus, taciturnus, cogitabundus, solitarius, inuidus, fraudulentus, auarus; nam hæc mœstiam, metum, sollicitudinem sequuntur; firmus in proposito nec facilè mutabilis ab eo; melancholia enim facit cerebrum solidum & siccum; hinc impressæ fortiter species ægrè eruuntur, si aspectus terribilis. Aristoteles 1. *problem. sect.* 30. dicit, *melancholicos etiam esse ingeniosos. Idem 4. problem.* 31. dicit *esse libidinosos*; si palpebrarum & totius corporis color ad fuscum vergit; si corpus siccum ac macilentum, melancholia enim, cùm frigida & sicca sit, nutrire est inepta; si somnia terribilia, turbulenta, plena timoris, de inferno, de tenebris, de rebus nigris; si morbis melancholicis sæpè obnoxius fuit, vt lienis duritiei, quartanæ, hæmorrhoidibus, si pulsus est paruus. Circa signa hæc nonnulla sese offerunt problemata.

§. VI.

Problema Primum.

An meticulositas sit signum melancholiæ; videtur autem quòd non: 1. in omni specie complexionum inueniuntur homines meticulosi & audaces: ergo meticulositas non est proprium signum eius. 2. audacia sequitur complexionem bilioſam; ergo meticulositas sequitur complexionem pituitosam, & non melancholicam: quia sicut illæ passiones sunt sibi mutuò contrariæ, ita debent sequi contraria temperamenta; sed temperamento bilioso contrarium est temperamentum pituitosum & non melancholicum: ergo 3. actiones animæ significant præcipuè super dispositione suorũ, à quibus fiunt; atqui organũ passionũ & appetitus est cerebrum:

brum: ergo illæ tantùm indicant super dispositione cerebri, & non super dispositione vel complexione totius; consequentia probatur; quia cerebrũ potest esse affectum frigiditate & siccitate, vel affici humore melancholico, etiamsi neque illud temperamentum; neque ille tumor exuberet in toto; ergo meticulositas indicat tantùm super dispositione cerebri & non totius; 4. metus & tristitia sunt actiones facultatis appetitiuæ; appetitus & actiones eius sequuntur, & mouentur ac determinantur à phantasiâ & ab intellectu; & pro variâ actione phantasiæ aliæ atque aliæ generantur appetitus passiones; ergo passiones appetitus tantùm indicant super bonitate vel malitiâ phantasiæ, super defectu vel excellentiâ intellectus, &c. & non super complexione corporis. Est equidem verum, quòd & phantasia & animæ passiones bene parùm modificentur à corporis seu organorum complexione; sed præcipuè tamen pẽdent à modo phantasiæ. 5. Quia, quâ ratione melancholica causaret meticulositatem? si enim hoc faceret, vel faceret quia frigida est, quatenus scilicet frigiditas metum facit sicuti calor audaciam; vel faceret ratione suæ nigredinis & opacitatis, quod Gal. 2. *de causis sympt. cap.* 7. Actius *lib.* 6. *cap.* 9. Serapion, Haliabbas & Alexander Benedictus dixerunt: sed neutro modo id faciunt: ergo non ratione frigiditatis, quia sic etiam pituitosi essent meticulosi, & magis quàm melancholici; & sic metus non esset proprium signum melancholiæ sed potius pituitæ: non etiam nigredo aut opacitas eius, quâ cerebrum denigrat, aut in eo tenebras parit, id facit, vt Auerroës 3. *Coll. cap.* 5. latè probauit: ergo. *Argumenta* Auerroïs præcipua sunt hæc: 1. priuatio non potest producere effectum positiuum; tenebræ sunt priuatio, timor autem effectus positiuus; ergo tenebræ non possunt timorem causare. 2. nigredo aut opacitas organi vel spirituum non possunt lædere actionem aliâ ratione, quàm quatenus ex organo aut spiritibus auferunt dispositionem ad illam actionem requisitam; nempe quatenus auferunt albedinem, vel lucem, vel perspicuitatem, sed ad actiones quæ fiunt intus in cerebro, nempe phantasiam & intellectum, non videtur vlla requiri spirituum aut organi luciditas, albedo aut perspicuitas; sed illa videntur tantùm requiri ad actionem visus; ergo non lædunt actionem phantasiæ, intellectus aut appetitus. 3. color non afficit cerebrum nisi actione intentionali & quatenus cognitus, sed color melancholiæ in corpore aut cerebro existentis non potest cognosci à cerebro: ergo non afficit aut lædit ipsum. Minor probatur: quia color est obiectum sensus externi; obiecta autẽ sensus externi non possunt cognosci à sensu interno, nisi priùs sint cognita ac percepta à sensu externo, alioqui sensus externi essent frustra; sed color melancholiæ existentis in corpore aut cerebro non percipitur à sensu externo; ergo neque à sensu interno. 4. color est tale obiectum, quod naturâ suâ non est perceptibile aut cognoscibile sine lumine; sed interius in cerebro aut corpore non est lumen, quo color melancholiæ illuminetur, vt sit perceptibilis; ergo

color melancholiæ interiùs non est percepibilis. His addi possunt alia argumenta. 5. si nigredo aut tenebræ ex naturâ suâ exterrefacerent, tunc posset dici, quòd nigredo aut opacitas melancholiæ in cerebro aut in corpore existentis possent causare quandam tristitiam aut meticulositatem; sed hoc non faciunt, quia color niger non est ex naturâ suâ magis terribiuus quàm albus: tenebræ quoque ex naturâ suâ non terrent, sed tantùm per accidens, quia in tenebris nihil videmus, & sic timemus, ne à rebus externis offendamur, vt hominibus, spiritibus, parietibus, &c & maximè, quia tum non videmus socios, qui nos iuuare possent: hæc. ratio non habet locum in cerebro. Ergo. Accedit, quòd non est plus luminis in cerebro, quando in eo non est humor melancholicus, quàm quando est; semper enim in cerebro sunt tenebræ, quia omne lumen est à sole; lumen autem solis non potest vsque in cerebrum aut ventriculos eius penetrare: Quare si tenebræ cerebri facerent meticulositatem, cùm semper in eo sint tenebræ, semper magna deberet in nobis esse meticulositas, & tam magna meticulositas, quando melancholia in cerebro non est, quàm quando est. Cui addi potest, quòd si tenebræ ex naturâ suâ terrerent, terrerent omnes homines, & in omni loco; sed tenebræ non terrent viros, præcipuè in suo cubiculo aut domo, vbi sciunt se esse securos ab externis iniuriis, sed tantùm terrent pueros & mulierculas, non prudentes, non stipatos magnâ societate, sed solos; ergo per se non terrent. 6. si nigredo melancholiæ faceret metum, hoc esset quia cerebrum aut spiritus nigrefaceret, & sic tenebras offunderet; sed hoc non facit; quia melancholia in melancholicis non est in cerebro aut spiritibus, sed in venis: ergo nec valet dicere, quòd ex illâ vnà cum sanguine spiritus ac cerebrum impleantur, & sic euadant nigri: quia si hoc esset, cerebrum melancholicorum deberet esse nigrum; atqui nullus scribit, cerebrum vllius melancholici post mortem appertum apparuisse nigrum, aut nigrius quàm alterius hominis; ergo. 7. si nigredo melancholiæ esset causa timoris, quatenus facit res percipi sub ratione, quòd sint horrendæ; sic illi qui melancholico morbo laborant, deberent omnia timere; quia nigredo illa faceret omnes res percipi sub ratione, quòd sint horrendæ: sed ipsi non omnia timent, sed aliqua tantùm: ergo: Immò aliqua, quæ naturâ suâ videtur timida, vt nox, sepulchra mortuorum, sollicitudo, illa ipsi non timent, sed potiùs sectantur & appetunt. Deniq; sequeretur, quòd Maniaci omniũ maximè deberent omnia timere; quia illorum melancholia est magis nigra, quàm melancholicorũ, cùm sit adusta & torrefacta; sed illi minùs timent. 8. Aristot. *libro de sensu & sensibili* dicit, quòd sensoriũ debeat esse denudatum ab obiecto, propterea quòd interiùs existens faceret externa talia videri, quale ipsum est; vt patet ex eo, quòd oculi flaui videant omnia flaua: Ergo, si spiritus cerebri à melancholiâ fierent nigri & opaci, omnia, quæ vident melancholici, deberent esse nigricantia; imò melancholici deberent omnes res obscurè & imperfectè videre, & quasi obductas caligine; nam si spiritus

cerebri

cerebri essent nigricantes & opaci, etiam spiritus visorij deberent esse tales, cùm sint vnus & idem; sed hoc ita non est, quia melancholici tàm perfectè ac quicquam alius rem visu percipiunt: vt v. g. chartam vident tam albam ac alij. Ergo, si tenebræ, quas melancholiæ nigredo cerebro offendit, essent causa mœstitiæ in iis, qui morbo melancholico laborant, ipsi deberent tenebras maximè fugere & timere, sed contra delectantur eis. 10. sequitur, quòd tales lumine curarentur; sed contra curantur per tenebras, & à medicis in tenebris collocantur. 11. sanguis non adfert lætitiam per suam rubedinem: ergo nec melancholia tristitiam per suam nigredinem. 12. si melancholia redderet tristes suâ nigredine, pituita deberet reddere audaces & lætos suâ albedine; sed hoc non facit, audacia enim & lætitia non ponuntur vt signa complexionis pituitosæ.

Pro resolutione huius problematis, Dico, 1. Timiditatem non oriri semper à complexione melancholicâ, sed à modo phantasiæ, iudicij, intellectus; & ideò non necessariò meticulositas in hominibus semper indicat complexionem melancholicam, sed alias causas: etsi enim organi corporalis dispositio & complexio multùm disponunt homines ad has vel ad illas animi passiones, tamen per se magis pendent à phantasiâ, iudicio, intellectu, quàm à corporeo organo: & ideò tum tantùm meticulositas est signum complexionis melancholicæ, quando illa videtur esse natiua, & quando non videtur, subest causa aliqua ex phantasiæ inopiâ, vel iudicij defectu; & interim multa alia signa complexionis melancholicæ adsunt. Quòd autem ex multis causis meticulositas & tristitia oriantur, est manifestum; nam qui lætâ societate semper sunt educati, opulenti, nullas aduersitates, sed fœlicia omnia passi sunt, cuiuscumque tandem sint complexionis, læti semper sunt; contrà verò tristes, qui in sollicitudine, miseriis perpetuis, studiisque sunt versati, & sunt cogitabundi; quia dum seria sua studia semper reuoluunt, externas vanitates, historias, fabulas, dicteria contemnunt. Superstitiosi homines, malæ conscientiæ &c. sunt meticulosi, quia mortem, Diabolos & pœnas æternas timent; Imprudentes interdum sunt meticulosi, quia æstimant res magis arduas quàm sunt; interdum temerarij, quia non aduertunt pericula, quæ possent superuenire. Imbecilli sunt meticulosi, quia agnoscunt roboris sui paruitatem ad resistendum. Qui aliquando spectra viderunt aut in tenebris læsi fuerunt timidi sunt; quia timent, ne denuò simile eis superueniat. Vxores & proles habentes in bello sunt timidiores aliis, quia de illis post mortem solliciti sunt. Præliis assueti insuetis audaciores sunt, &c. *Dico* 2. meticulositatem, quæ à melancholiâ causatur, causari partim ratione frigidi temperamenti ipsius; partim & maximè ratione proprietatis essentiæ ipsius, non autem ratione nigredinis aut opacitatis: vt ex argumentis superiùs allatis est manifestum. Ad argumenta ergo Respondetur.

Ad primum. Ille metus oritur non ratione complexionis humorum

aut

aut dispositionis organi corporis, sed defectu iudicij aut intellectus, quæ ex causis iam dictis modificantur & determinantur.

Ad secundum. Sequitur argumentum, si melancholia causaret metum ratione sui temperamenti; sed iam est dictum, quòd maximè causet ratione proprietatis suæ essentiæ ac formæ.

Ad tertium. Meticulositas est iudicium complexionis melancholicæ, quando est, natiua, durabilis & perpetua, & talis indicat organi complexionem natiuam & permanentem; permanens autem & natiua complexio sequitur complexionem totius: accedit quòd passiones animi non solùm exerceantur in cerebro, sed & in corde; in cerebro quidem formaliter, in corde verò materialiter & efficienter; cordis autem complexionem sequitur complexio totius; & sic meticulositas est signum complexionis totius.

Ad quartum & quintum. Responsio patet ex dictis.

Problema Secundum.

An libidinositas sit signum melancholicæ complexionis: seu an melancholici sint libidinosi? hoc asserit Aristoteles 4. *Problem. sect.* 3. & rationem dicit, *quia abundant flatibus*; hinc semen habent flatuosum, quod eos excitat ad libidinem; & quod euacuari eis est leuamento. Idem dicit Aëtius *lib.* 6. *cap.* 9. & Auic. 3. *Canon fen.* 2. eandem quam Galenus assignans rationem, sc. quòd tales plurimæ sint erectionis & fortis valdè, propter multitudinem inflationis. Sed cùm duplex sit melancholia, alia naturalis, quæ est quartus humor frigidus & siccus, alia non naturalis, quæ fit ex adustione bilis & aliorum humorum, quæque calida est & sic: dubitatur, cùm prædicti authores dicunt, melancholiam libidinem excitare, de quâ melancholiâ hoc sit intelligendum: An de illâ naturali frigidâ ac siccâ, an de hâc adustâ ac calidâ. Conciliator *comment. ad Problema* supra dictum, putat hoc verum esse & intelligendum de atrâ, dum de atrâ bile & non de melancholiâ naturali; quod probat. 1. quia ad libidinositatem requiruntur tria, seminis abundantia, sensibilitas partium, & flatuum copia; illa non sunt in melancholicis propriè dictis: ergo melancholia naturalis & propriè dicta non disponit ad libidinositatem: non abundantia seminis, quia materia seminis est sanguis calidus & humidus; immò Gal. *libr. artis medicæ* dicit melancholicos paucum semen habere: non sensibilitas, quia sensibilitas sequitur optimam corporis temperaturam & consequenter sequitur caliditatem & humiditatem; melancholia autem cõtrarias qualitates habet, sc. frigiditatem & siccitatem, quas potiùs sequitur insensibilitas ac stupor: non spirituum vel flatuum copia; quia spirituositas fit à calore non à frigore. Probat Conciliator. 2. Bilioſi sunt venerei, ergo non melancholici. Sequela probatur; quia contrariorum contrarij sunt effectus illæ complexiones sunt contrariæ: ergo. Verùm ndn est dubium, quin

sententia

sententia sit auctorum illa communis, quòd libidinositatem faciat melancholia naturalis, non atra bilis. Etenim Gal. 6. *Epidem. comment.* 12. supra dictum problema, adferens ex Aristotele, illud de melancholiâ naturali intelligit, non de atrâ bile. Aëtius *loco citato*, vbi asserit melancholicos esse libidinosos, loquitur & tractat de melancholiâ naturali; vt etiam patet ex ratione, quam dicti auctores alligant; quod sc. hoc fiat ob copiam flatuum, quæ fit ab eâ; flatus enim cùm fiant à debili calore, sequitur melancholiam naturalem, quæ frigida est ac sicca, & non atram bilem, quæ est calidissima. Verùm quicquid sit de mente authorum; ego iudico, melancholiam non causare libidinositatem, sed potiùs sanguinem & bilem; *quòd probo*: 1. Rationibus Conciliatoris iam allegatis. 2. probo experientiâ; quia cuiuis est manifestum colericos & sanguineos esse magis veneri addictos, quàm eos, qui habent complexionem frigidam. 2. patet, quia animalia calida sunt libidinosiora frigidis, & homines in calidis regionibus habitantes, vt Italos, Hispanos, &c. esse proniores ad venerem Belgis & Germanis. 3. Quia vere & æstate homines sunt ad Venerem proniores, quàm autumno aut hyeme, quibus temporibus regnant melancholia & pituita. 4. quia etiam in adolescentiâ & iuuenili ætate, quæ calidæ sunt ac sanguineæ & bile abundant, ille feruor maior est quàm in ætate virili vel senectute. 5. quia libidinositatem facit seminis abundantia, acrimonia & spirituositas: Abundantia seminis est ab abundantiâ sanguinis; semen ergo est ex superfluo sanguine, acrimonia seminis est à calore; spirituositas etiam est à sanguine; spiritus enim non ex melancholico sanguine vel humore, sed ex vapore optimi sanguinis maximè generantur. Neque valet dicere, quòd melancholici multos flatus habent ob suam frigiditatem, qui semini misceantur, ex quibus frequens fortisque fiat erectio, & quasi satyryasis: quia erectio naturalis non est à flatu, sed à spiritu seminis calido & subtili; nec in semine flatus sunt, sed spiritus optimi, qui ex semine & sanguine generantur; ex quo patet, fallum quoque esse, legumina, vt fabas, pisa &c. ad venerem conferre, eò quòd flatulenta sint.

Problema Tertium.

An Ingeniositas sit signum complexionis melancholicæ, seu an melancholici sint ingeniosi? Hoc asseruit Aristoteles *sectione 3. problem. 5. de generatione animalium cap. 1.* dicens, *quotquot vnquam in scientiis, artibus poëtis excelluerunt, melancholicos fuisse.* Videtur autem contra esse Hipp. *lib. de flatibus, textu. 2. & lib. 1. de morbis textu. 28.* vbi dicit, prudentiam repositam esse in sanguine; ergo non in melancholiâ. Sequela probatur: quia contrariorum temperamentorum contrarij sunt effectus: hi humores contrariantur temperamentis; ergo. 2. Ingeniositas consistit in tenui & subtili substantiâ cerebri, Galen. 12. *artis parua* attestante: at talem

non possunt habere melancholici, cùm melancholia sit humor crassus & terrestris : ergo. 3. actiones omnes corporis perficiuntur calore, frigiditas actioni est inimica. Ergo, etiam ingenium & actiones principes optimè perficiuntur calore, & non à frigore ; sed melancholia est frigida, cerebrum frigidum. Ergo. *Confirmatur* : quia experientia docet in calidis regionibus, vt Italiâ, Hispaniâ, Franciâ, homines esse ingeniosiores ; in frigidis, vt Germaniâ, &c. esse stupidiores, quod etiam Aristoteles 15. *probl.* 15. asserit. Denique homines cholerici sunt ingeniosiores frigidis & pituitosis ; ergo etiam eâdem ratione melancholicis. Huic videtur ratio adstipulari ; etenim cholerici sunt calidi ; calor autem addit actionibus alacritatem, & spiritus reddit magis tenues, puros, & igneos ; sunt etiam sicci, siccitas autem ad ingenium facit, nam vt dicebat Heraclitus : *Splendor siccus animus sapientissimus*. Denique cholerici paucis excrementis abundant : hinc spiritus eis sunt puriores. Hoc etiam confirmatur authoritate Galen. qui *in arte paruâ* mentis celeritatem inter signa calidi & sicci temperamenti ponit. 4. Melancholia reddit homines meticulosos ; meticulositas omnibus conantibus obest ; ergo fieri non potest vt melancholici in scientiis omnibus & artibus excellentissimi euadant, vt asserit Aristoteles.

Pro solutione sciendum. Quòd pura melancholia, quæ est frigida & sicca, non facit homines ingeniosos, sed illa ; quæ permixtione aliquâ bilis est temperata, vel quæ nonnihil adusta & calefacta, vel illa, quæ impropriè melancholia, propriè atra bilis appellatur, quæ humorum aliorum moderatâ adustione genita est ; & de tali melancholiâ loquitur Aristoteles *in problematibus* : Quandoquidem ibidem asserit, illam melancholiam, quæ ingeniosos facit, debere esse modicè excalefactam. Quod melancholia, quæ frigida est ac sicca, non faciat bonum ingenium, patet ex argumentis iam allatis. Quod etiam neque atra bilis valde adusta & torrefacta, manifestum est, quia illa potiùs ob magnum feruorem causat iram, furorem, mentis inconstantiam, spirituum turbulentiam & instabilitatem, & laborum impatientiam ; quæ omnia prudentiæ, ingenio, & magnæ sapientiæ contrariantur, vt *eodem problemate citato* Aristoteles testatur. At quòd melancholia parùm ex calefacta & attenuata, vel melancholia ex aliorum humorum & præcipuè sanguinis leui adustione genita, vel quæ calidorum humorum vt moderatæ bilis vel multi sanguinis permixtione est temperata, ingenij causa sit, rationi consentaneum videtur : etenim si melancholiæ bilis sit permixta, à bile erit ingenij celeritas & discursiuum ; à melancholiâ erit quædam firmitas ac constantia tum laboris tum operationum, & cerebrum erit paulò solidius densiúsque, vnde ei impressæ species firmiter inhærebunt. Ab vtroque humore, quia siccus est, cerebrum siccum euadit ; & excrementis vacuum : hoc autem ad ingenium & sapientiam facit ; nam cerebrum excrementis oneratum euadit stupidum, & spiritus gignit crassos & caliginosos : bilis attemperabit crassam & terream ac frigidam substantiam melancholiæ

lancholiæ, ex quâ meticulositas ac stupor causaretur; melancholia temperabit bilis æstum ac feruorẽ, qui spiritus nimis inflàmaret, & eos turbulentos ac instabiles redderet, ac furorem potiùs quàm sapientiam causaret: sic Galen. 10. *de naturâ humanâ commentario ad textum* 39. *animi acies*, inquit, *ac intelligentia à bilioso humore; consistentia ac siccitas à melancholico oriuntur*. Quòd autem moderata bilis, idem etiam ac multus sanguis melancholiæ permixtus præstat propter easdem causas: atra bilis etiam facit ingeniositatem, nempe quæ ex sanguinis moderatâ adustione genita est; nam quæ genita est ab adustione bilis, ea ingenio & prudentiæ est inidonea; cùm sit nimis calida & feruore suo spiritus adurendo, potiùs iracundiam, furorem, mentísque alienationem inducat. Dico, ex sanguinis moderatâ adustione genitâ, quia immoderatâ adustio idem faceret, quòd iam de atrâ bile ex choleræ adustione genitâ, diximus: moderata autem sanguinis adustio facit, vt spiritus multus generetur propter sanguinem, & tenuis, purg ac subtilis propter adustionem. Atque hæc de signis totius: nunc ad particularia.

CAP. III.

De Temperamentis membrorum in particulari.

§. I.

Signa Cerebri.

SIgna cerebri sumuntur à figurâ capitis, ab actionibus, excrementis, à iuuantibus ac lædentibus; quæ omnia ponit Gal. *in arte paruâ*.

Signa Cerebri bene temperati sunt: si actiones omnes ad cerebrum pertinentes, vt sensus externi, sensus interni, seu actiones principes, vt phantasia, memoria, ratiocinatio bene habeant, & in nullo eorum sit defectus; si somnus naturalis, nam somnus ad sensus pertinet; si facultas motiua etiam vegeta est; si animi passiones, vt ira, metus, audacia seruent mediocritatem; si caput nullis doloribus est affectum, si nulla pulsatio, nec vertigo sentiatur; si caput est bene conformatum, neque nimis paruum, neque nimis magnum; si oculi sint vegeti & viuaces; si excrementa auriũ & narium sint moderata secundum omnia accidentia, & secundum substantiæ modum, si pilorum color, qualitas medio modo se habent; si in pueritiâ flaui sint & paulatim ad moderatam nigredinem seu fuscedinem vergant; si canities & caluitium iusto tempore, neque nimis citò neque nimis serò adueniant; si à vento & aëris mutationibus, qualescunque sint, siue calidæ, siue frigidæ, non facilè afficiatur; si nec nimis citò nec nimis difficulter inebriatur; si ab odorib. nõ statim doleat, sed omnes facilè ferat. &c.

Signa Cerebri calidi; si sensus externi vegeti sint & acuti, propter spirituum subtilitatem, quam calor facit, si ad somnum minimè est

propensus, sed potiùs ad vigilias; si agilis est ac in velox in motu, si ingenij habet promptitudinem & discursuum celeritatem; si excrementa cerebri pauca; si à vino facilè lædítur & inebriatur, si à calidis odoribus, à solis radiis statim caput dolet; si pili nigri, crispi, duri; & mox natis statim valde crescunt; si citò calueſcit, &c.

Signa Cerebri frigidi sunt: si sensus sunt obtusi; si piger, torpidus, tardus, stupidus somnolentus, si excrementa aurium, oculorum, narium, palati multa sunt & cruda; si difficulter inebriatur; si à vento frigido facilè lædítur & catharris vexatur; si pili rufi, recti, longi; si statim caneſcit, minimè autem calueſcit.

Signa cerebri humidi sunt: si facilè addiscit & apprehendit, difficulter autem memoriatur, si sensus externi sint obtusiores, vt si minùs exactè olfacit aut audit, sine vitio particulari partium illarum; si paruo robore artuum præditus est; nam robur neruorum in siccitate consistit; si facies tumida, mollis & obesa; si caput magnum; nam humiditas ad incrementum facit; si excrementa capitis mucosa abundent; si pili flaui, longi, citò caneſcentes, non calueſcentes; si sæpius inebriatus à vino non offenditur, nec caput dolet, sed meliùs habet; si à vento australi & aëre pluuioso ac nebuloso caput notabiliter lædatur.

Signa cerebri sicci. Si adest sensuum perspicacitas, memoriæ bonitas, artuum robur, agilitas ac longitudo, excrementa pauca, caput paruum, facies sicca, macilenta, capilli curti, duri, celeriter nascentes, crispi; si citò calueſcit; ad vigilias, minimè verò ad somnum est pronus; si lædítur à siccis, ab humidis bene habet, &c.

§. II.

Signa Temperamenti Cordis.

Illa etiam *in arte paruâ* Galen. ponit: & desumuntur ab iisdem etiam fontibus, à quibus signa cerebri, maximè verò ab actionibus, vt pulsu, animi passionibus, respiratione, thoracis conformatione, &c. ab excrementis enim hic nulla signa sumuntur, quia nulla à corde procedunt.

Signa Cordis calidi sunt: si pulsus magnus, vehemens, velox, frequens; si respiratio magna; si est audax, iracundus, furiosus; si thorax latus, & hirsutus; thoracis enim magnitudo secundum necessitatem magnæ aut paruæ respirationis, & consequenter secundum cordis maiorem aut minorem calorem conformatur; hirsutus, nam magnus calor fuligines multas excitat, quæ sunt pilorum materia; totum corporis temperamentum calidum, nisi constet hepar peculiariter frigiditate suâ obsistere.

Signa frigidi cordis. Si omnia contraria sint prædictis.

§. III.

Signa temperamenti Hepatis.

Signa calidi hepatis sunt: sanguis calidus & nigricans, totum corpus calidum, nisi forte cor suâ frigiditate percipiatur obsistere; flaua bilis multa etiam in ætate iuuenili, venæ corporis latæ, &c. si vini potu statim totum corpus, facies, & volæ manuum inflammantes; facies rubicunda & pustulas multas habens, siticulositas, &c.

Signa hepatis frigidi à contrariis sumuntur.

Signa Ventriculi calidi. Si hypochondria egregiè caleant, si potus multus & frigidus iuuat; si multum comedat & optimè digerat; si post cibum assumptum etiam duriorem neque ructus neque tensionem, neque dolorem sentiat. *Signa frigidi contraria sunt.*

§. IV.

Signa Testium calidorum sunt: Si illi semper calidi percipiantur, si genitalia omnia magna sint; si citò pubescant, & cum abundantiâ pilorum, si est ad venerem pronus, fœcundus, masutorum generator *Frigidorum*, his sunt contraria.

Signa Vteri calidi sunt: si menses abundant, & sæpe recurrunt; si præmaturè apparuerunt, si citò acquisierit pubertatem; si ad venerem prona; si vterus siccus, & nullius humoris pituitosi expurgationi obnoxius, si masculos plurimos generauerit, &c. Et hactenus de signis salubribus. Sequuntur insalubria, sed quia illa longiorem habent tractionem, ideò primò de neutris agemus.

SECTIO III.

Signa neutra.

§. I.

SIGNA neutra sunt, quæ indicant corpus quidem non esse ægrotum, sed tamen non perfectam habere sanitatem, & morbis imminentibus obnoxium esse; & sic signa morborum imminentium sunt signa neutra. Morbos futuros prædicere ex parte spectat ad tractatum de prognosticis; sed quia prognostica signa magis significant futurum in morbis præsentibus exitum, quàm futurorum morborum aduentum, ideo hîc futurorum morborum signa ponimus; nam cùm hîc ponantur signa sanitatis perfectæ, & signa mor-

borum; meritò etiam signa poni possunt sanitatis neutræ & declinantis, ex quibus futuri morbi cognoscuntur: futuri autem morbi difficulter cognoscuntur, aliqui breui futuri sunt, aliqui diu post siue tardè; illi faciliùs, hi difficiliùs cognoscuntur. Morbi, qui causas habent fortuitas, non necessarias, & multis aliis morbis communes, vel causas partiales mediatas, aut tales, quæ non nisi multis aliis concurrentibus effectum suum producunt, cognoscuntur difficulter: Qui paulò post futuri sunt, at iam breui imminent; quia illi habent iam de facto dispositiones manifestas ac necessarias ad illos, faciliùs cognoscuntur: omnia enim futura ex causarum præcognitione deprehenduntur. Externæ causæ non necessariò effectum producunt; internæ autem multò citiùs.

Signa ergo neutralitatis & imminentium morborum ab actionibus & excrementis,& corporis qualitatibus cognoscuntur; nam si illa omnia medio modo se habent, neque optima sint, neque tamen adhuc sint morbosa, & si non se habeant quoad omnia, sicuti solent tempore perfectæ sanitatis, tamen mutatio non est notabilis, nec actiones vllæ notabiliter læduntur, signum est neutralitatis, imperfectæ sanitatis, & morborum imminentium: Tales sunt aliqui dolores in partibus,sed non notabiles, tumor corporis, ventris gracilitas, decoloratio, procliuitas in somnum magnum,vel peruigilium insolitum,frequenter expergisci de nocte,& iterum dormire,frequenter in lecto verti,nec posse bene in vno situ diu iacere,appetentia non bona,sitis vel nimia vel nulla,aliqua circa naturæ statum esse variata, colores excrementorum corporis esse mutatos,vel substantiæ modum,vel quantitatem, vel odorem, &c. sapores insoliti linguam afficientes, lassitudines spontaneæ,genua ab incessu facilè fatigari, facilè sudare præter solitum, crebra vlcera hinc inde in corpore oriri, corpus plus solito calere, somnia tumultuosa, oscitatio multa,fœtor oris, &c.

Ad signa neutra referuntur omnia signa repletionis; quæ signa ex tractatu de cibo & potu sunt petenda. Videamus porro, in quos morbos quispiam in particulari sit lapsurus. Hoc autem ex causis cognosci debet; quapropter omnes causæ tam internæ quàm externæ sunt examinãdæ;& quales morbos earũ singulæ producere natę sint,est videndum;tum ex præsentiâ earum futuri morbi species est præcognoscenda.

§. II.

Futurorum ergo morborum signa desumuntur ex causis sequentibus, & primùm internis. Itaque si præcesserint causæ calefacientes,incidet in morbos calidos;si frigefacientes, in frigidos. Sic 3.*Epidem. comment.* 6. *sect.*89. adolescens Melibæi ex nimio potu & venere diu excalefactus decubuit.Et *Epid.*1.*com.*5. silenum ex lassitudinibus, potationibus,exercitationibus intempestiuis ignis corripuit.

A paren

A parentibus desumuntur signa ; nam quorum parentes laborarunt morbo aliquo hæreditario, vel morbo Gallico, Elephantiasi, Phthisi, Podagrâ, Calculo, &c. eorum quoque filios esse laboraturos est suspicio.

Ab aëre: quos morbos & anni tempus, & regio nata sint inducere, in tractatu de sanitate tuendâ, capite de aëre est videndum.

A cometis etiam & siderum constellationibus signa sumi possunt; nam cometæ siccitates, ardores, putredines, pestes futuras indicant.

A cibis, nam qui ciborum consuetudinem antiquam immutant, in iis morbi timendi sunt, & tales, quales ille cibus producere natus est, quos autem morbos singuli cibi inferre possint, ex diætetice quærendum. Cùm est penuria tritici & bonorum alimentorum, malorum verò, vt fructuum copia, morbi ex corruptione humorum, vt febres ac pestes prædici possunt. In quo anno est copia fructuum adstringentium, vt pyrorum, cotaniorum, mespilorum, cornorum, sorborum, mororum, &c. dysenteriæ, alui fluxus, febres: etenim illi adstringendo humores prauos in corpore retinent ; ipsemet quoque in corpore putrescunt, acrimoniam acquirunt, & sic interna vlcera causant.

A multâ crapulâ, conuulsiones, paralyses, hydropes timendæ.

A cruditatibus, obstructiones, febres, &c.

Ab exercitij genere signa quoque sumuntur: In otiosis morbi ex pituitâ expectandi. Vehementia exercitia facientibus, altè canentibus, concionantibus venæ ruptiones & herniæ fiunt : sedentariis catharri, obstructiones, calculi generantur. A multâ scriptione, præcipuè prono corpore, pectoris dolores, hepatis lienisque fiunt obstructiones. Ex assiduitate circa fornaces, oculorum rubedines. Ex argenti viui multâ tractatione, tremor. Ex frequenti plumbi fusione, aphonia. Laniones & Coriarij, qui pelles & morticinia multa tractant, anthrace, inquit Rondeletius, corripiuntur: Acupictores oculis sunt imbecilliores ; vt imaginum ærearum sculptores. Infectores in phthisin facilè cadunt. Qui post cibum statim exercitia faciunt, cruditates & obstructiones patiuntur. Hipp. *lib. de aquâ aëre & locis* dicit, *Scythas multos fieri arthriticos & impotentes, propter equitationem.*

A somno multo, Catharrhi, apoplexiæ, dolores capitis, grauitas: à vigiliis melancholiæ, phrenitides, morbi ex cruditate expectantur.

Ab animi affectibus: ab irâ febres, apoplexiæ ; &c. à tristitiâ phthisis, melancholia, &c.

A temperamento etiam signa petuntur ; sic calidi calidis morbis obnoxij sunt, febribus ardentibus, tertianæ : humidi, putredinibus, destillationibus, vermibus, fluxionibus, &c. sicci, febribus acutis; Melancholici melancholicis ; bilioſi, bilioſis morbis obnoxij sunt, & sic de cæteris.

A sexu : sic mulieres obnoxiæ sunt multis vitiis mammarum, vteri, aliisque per consensum vteri & menstruorũ immoderatione fientibus: sic

obesa

obesas mulieres non concipere, dixit Hipp. quòd in iis uterus nimio abdominis tumore prematur.

A corporis dispositione & habitu: astricta morbis, qui à prohibitâ transpiratione: laxa & molliti iis, qui à nimio effluuio fiunt: angustos meatus habentia, obstructionibus. obesa, morbis acutis, difficili respirationi, apoplexiæ, repentinæ mo.ti, fluxionibus, putredini: Macilenta febribus ardentibus, marcosi obnoxij sunt. Sic Hipp. dixit: *qui naturâ admodum crassi sunt citius intereunt, quàm qui graciles.* Qui angustum thoracem habent, phthisi; qui collum curtum, grossum, apoplexiæ, gibbosi asthmati, & aliis affectibus pectoris sunt obnoxij.

A corporis qualitatibus signa desumuntur: pallidi biliosis morbis; nigri melancholicis, & biliosis morbis: rubicundi sanguineis obnoxij sunt: quibus sonitus multus in ventre auditur, dolores colici, ilij expectandi sunt: quibus cibi amari videntur, biliosi; quibus acidi, melancholici; quibus insipidi, pituitosi morbi timendi sunt. Quibus odor putridus exhalat à corpore ceu hircinus, iis magni & putridi morbi metuendi sunt.

Ab ætate: Gal. *Epid. 3. com. 5.* dicit; *infantes aphthis facilè corripi ob tres causas; quòd corpora sint mollissima; quòd potui in utero non assueta; quòd lac aliquando acrimoniam habeat. 1. Epid. 2. comm. 5.* dicit, pueros etiam conuulsioni obnoxios esse propter infirmitatem corporis, & neruosi generosi generis mollitiem, ad quos neruos vapores ex cruditatibus & vermibus efferuntur, qui conuulsiones in iis faciunt. 3. *Aph. 24.* dicit, etiam iis fieri aurium humiditates, quia ipsi humidi, & caput eis humidum; & quia multa ob voracitatem excrementa accumulant: propter quam causam etiam capitis scabiei obnoxij sunt. Plurimis etiam pueris tenasmum accidisse scribit Hipp. 3. *Epid. 5.* porrò & dentitioni, & alui fluxibus, & febribus ac conuulsionibus pueri obnoxij sunt: adultiores pueri vermibus & calculo laborant: cujus causam statuit Hipp. 2. *de naturâ humanâ,* quòd calore abundent, ac humoribus scateant, & ductos angustos habeant: Ætas adolescentiæ; quia sanguinea est, morbis sanguineis, febribus, synochis, & sputo sanguinis est obnoxia. Hipp. 3. *Aphor. 27. grandioribus,* inquit, *& iam ad pubertatem accedentibus sanguinis profluuia è naribus fiunt*; & 1. *prognost. 27.* fluxum sanguinis in iis, qui intra annum 35. sunt, espectandum esse ait: quia sc. illa ætas sanguine abundat: vltra hanc ætatem, inquit, morbi laterales, pulmonis inflammationes, phrenetides, ardores, choleræ. Dicit etiam Hipp. *in Aphoris.* Iuuenes tabi obnoxios esse: quod Galen. *in comm.* dicit, non tam ratione ætatis per se euenire, quàm potiùs per accidens; quòd in iis magnæ exercitationes fiant saltationum, equitationum, clamorum, magnumque interdum frigus, interdum calor perferantur. Declinans ætas morbos ex atrâ bile & pituitâ producit, vt hæmorrhoïdes destillationes, apoplexias, oculorum & aurium humiditates, vt Hipp. 1. *de naturâ humanâ sect.* 28. testatur; insuper tremores, paralyses, tusses, pervigiliæ, cæcitates, &c.

Ab

Ab excrementis etiam signa sumuntur: si quis minus excrementorum, quàm par est, excernat, morbi ex multitudine timendi: si plus, morbi ex siccitate; si bilioſa, bilioſi; si pituitoſa, pituitoſi. Ex omni nimiâ ſanguinis euacuatione, hydrops, atrophia ſequitur.

Ab aliis corporis diſpoſitionibus ſigna deſumuntur. Sic Hipp. *6. Aphor.28. Eunuchi*, inquit, *neque podagrâ laborant, neque calui fiunt*, & *Aphor. 29. podagrâ*, inquit, *mulier non laborat, niſi menſtrua defecerit*, & *Aphor.30. puer podagrâ non laborat ante vſum venereum*, & *Aphor.33. qui acidum eructant, non valde morbo laterali laborant*, & *Aph. 34. quicumque calui fiunt; illis magnæ varices non fiunt; quibus verò caluis magnæ varices fiunt, iis rurſus capilli creſcunt.*

A morbis & ſymptomatibus præſentibus etiam alij morbi ſecuturi, vel non ſecuturi cognoſcuntur. *Qui Regio morbo laborant, non multùm ventoſi fiunt*, inquit Hipp. *5. Aphor.72. Et 65. Quibus tumores in vlceribus apparent, non conuelluntur maximè, neque inſaniunt.* Et *Aphor.70. Quartanis laborantes non admodùm conuulſionibus capiuntur; ſi verò priùs conuulſione laborent, & quartana ſuperueniat, conuulſione liberantur.* Et 5. *Aphor.8. pleuritis, ſi non infra dies 14. purgetur, in Empyena tranſit.* Et 5. *Aph.1. quicunque ab anginâ liberantur, iis ad pulmones vertitur, & in 7. diebus pereunt: ſi verò hos effugerint, ſuppurantur.* Sic *lib.6. Aphor.48.* indicat *lienoſis difficultatem inteſtinorum ſæpe ſuperuenire. 7. Aphor.11. pleuritidi peripneumoniam.* Porrò aſſiduum fluxum lachrymarum epiphora ſequitur: dyſenteria morbos acutos, & hepatis affectus, & omnes internas inflammationes frequenter ſequitur: hydrops & cachexia apoplexiam ſequitur: paralyſis colico dolori & conuulſio ſuperuenit; tertianæ quartana: in cubo & vertigini epilepſia; tremori paralyſis; tinnitui aurium, ſurditas; ſuffuſioni cæcitas; hæmoptyſi, phthiſis; phrenitidi, lethargus; herniæ, hernia ſcroti; ſuppreſſionibus menſium, febris pallida virginum: febri pallidæ, hydrops: ſcirrhum quoque hepatis ac lienis etiam hydrops ſequitur: à longo fluxu muliebri, vlcus in vtero; ab vlcere penis carnoſitas oritur: vlcera hydropicorum in gangrænam frequenter abeunt; laſſitudo futuræ febris indicium eſt; faciei pallor cum palpebrarum tumore, cachexiæ: capitis grauitas & brachij pondus vel frigiditas ac ſtupor, hemiplexiæ: in apoplexiâ cum nauſeâ & ventris ſuppreſſione colicæ, pruritus ani, hæmorrhoidum prænuntia ſunt.

Quo tempore quis in morbos incidet, ſic cognoſcitur: ſi cauſæ vel ſymptomata, ex quibus futuri morbi indicantur, ſint magna & efficacia, citò futurum morbum indicant; aliàs ſerò, ſi corpus debile eſt, citiùs in morbum lapſurum, quàm ſi validum; in corporibus humidis, vt in pueritiâ, humidi morbi magis timendi ſunt; in calidis, vt iuuentute, calidi; in frigidis, vt in ſenectute, frigidi: ſi ſcilicet cauſæ & accidentia, quæ morbum minantur, ſint ſimilia temperamento corporis, qualia ſunt anni tempus, victus ratio, exercitia, &c. illis caſibus citiùs quis in morbum incidet, quàm ſi hæc omnia eſſent contraria, ſic quando abun-

dantia bilis præsens, vel vomitus biliosus, vel amaritudo oris, calidum morbum minantur, citiùs ille futurus est, si instet æstas, quàm si hyems; si corpus natura calidum est, quàm si frigidum : æstiui morbi æstate sunt expectandi; frigidi hyeme; melancholici morbi melancholicis in autumno sunt expectandi; sanguinei sanguineis in vere, biliosi biliosis in æstate: aliqui etiam morbi ex naturâ suâ ac proprietate vno tempore anni magis oriuntur, quàm alio; apoplexia in autumno; epilepsia, podagra, catarrhi in magnis temporum mutationibus, vt præcipuè autumnali & mense martio. Qui caput vel thoracem habent debilem, hyeme maximè morbos vereri debent. Et hæc de signis neutris.

SECTIO IV.

Signa insalubria.

CAP. I.

De signis Anamnesticis & Diagnosticis.

§. I.

SIGNA insalubria, vt dixi, alia sunt præteritorum, & vocantur Anamnestica seu rememoratiua; alia præsentium, & vocantur diagnostica, alia futurorum, & vocantur prognostica : anamnestica non magnum vsum habent, & panca sunt; propterea, quòd præterita meliùs ex ægrotis & assistentibus, quàm artificialibus coniecturis cognoscuntur. Nonnulla tamen ponemus, quæ ex relatione haberi non possunt, sed arte & ratione debent inuestigari, vt v.g. causæ effectuum seu membrorum præsentium: illæ causæ debent cognosci ex effectibus. Ergo ab effectibus fontes istorum signorum sunt petendi.

Quo morbo quis mortuus sit, sic cognoscitur : si post mortem exanthemata apparent nigra aut liuida; si tumores inguinum ac maxillarum, indicium est hominem habuisse pestem, ac ex eâ mortuum esse : si post mortem pus per nares exit, abscessum in cerebro fuisse : si per os exit, in ventriculo vel vicinâ parte : sic etiam si post mortem statim fœtidus odor erumpit, indicium est internum abscessum disruptum esse, ex eoque ægrum subitò interiisse : si in aliquâ parte cutis appareat violacei & liuidi coloris, & ibi æger viuens de dolore fuerit conquestus, indicium est subtus phlegmonem fuisse : sic ab anginâ mortuis, circa collum liuidus & violaceus circulus; à pleuritide mortuis

sæpe

sæpe macula magna liuida, vnius duorum vel trium palmorum ad costas apparet.

An puer, si subitò mortuus est, à nutrice suffocatus in lecto, an sponte suâ & à morbo mortuus, sic cognoscitur: si ante bene valuit, non fuit querulus, non plorauit, si subitò mortuus, si nutrix crassa, somnolenta, ebriosa, difficulter ex somno excitabilis, si circa os & nares pueri mortui apparet spuma, si facies non pallet, sed est liuidi & violacei coloris, si aperto corpore spuma in asperâ arteriâ & pulmone multa adhæreat signum est quòd sit suffocatus.

An quis ex fulminis ictu mortuus sit, cognoscitur; quia, si fulminarit, si in loco seu campo aperto mortuus inuenitur, nullum vulnus habens, odorem spirans grauem ac sulphureum, sic vt nec canes nec aues cadauer attingant, si in parte aliquâ, quâ tactus est, macula liuida apparet cum notis vstionis, indicium est, quòd sit fulmine tactus. Scribit Plinius, quòd qui vigilans fulmine tangitur, cum mortuus est, eius oculi sint clausi; qui verò dormiens fulmine tactus est, eius oculi sunt aperti. Aliqui dicunt, corpora fulmine tacta non putrescere, & ideò veteribus nec solere cremari, nec sepeliri.

An quis sit suspensus mortuus an viuus, cognoscitur: quia si viuus est suspensus, funis vestigium in collo erit liuidum & nigricans; cutis circum contracta ac rugosa propter funis compressionem, facies, brachia & crura erunt liuida, spuma circa os apparebit, & mucus spumosus circa nares: si verò mortuus nihil istorum.

An mortuus quis an viuus sit vulneratus, cognoscitur: quia si viuus, vulnera apparebunt rubra ac cruenta, labra in ambitu tumida ac liuida: si mortuus, non item.

An quis sit proiectus in aquam mortuus an viuus, cognoscitur: quia si viuus, totus venter aquâ intumescit, circa nares ac os spumosa & mucosa excrementa cernuntur extremi digiti detriti & excoriati ex vi contra terram illatâ: si mortuus, contrà; quia mortuo non attrahitur aqua in ventrem, cùm omnes meatus tunc sint occlusi, & frigore constricti.

An quis armis venenatis sit interfectus, cognoscitur: si statim sæua symptomata insurgunt, virium labefactatio & magna deiectio, cordis delirium & palpitatio; si membrum redditur imbecille, si caro vulneris & circa vulnus à carne sanâ multum diuersa apparet, vt pallida supra modum, vel subliuida, vel vt mortua.

An quis venenū per os assumpserit, etiā signis cognosci potest: hoc autē medicū scire magni refert, siue æger adhuc viuat vt curetur, vel mortuus sit, vt medicus in iudicio testimoniū veritatis ferre possit, à quo sæpe eorū qui accusantur, vita depēdet. Circa hoc autē sciendum est, medicū debere valde esse circūspectum, ne temerè pronuntiando hominē de crimine suspectum, innocenter in vitæ pericula adducat. Difficilè autem est iudicare, an quis veneno mortuus sit, nec ne: etenim tum est suspicio veneni,

quando quis repentè magnis ac sæuis symptomatis corripitur; atqui talibus corripi potest à prauis, corruptis ac venenatis humoribus in corpore genitis : Er. *Minor prob.* etenim venena in corpore gigni possunt: ergo & effectus venenorum absque eo, quòd venena per os assumpta sint. *Antecedens prob.* authorit. Etenim Galen. *cap.5.6. de locis affectis*, quærit, an venena in corpore nostro gigni possint ? & respondet quòd sic, & idem asserit *lib.4. cap.7. & 2. proreticorum, comment.17. & 6. epid. sect.6.* Et Aëtius *sermone 5. cap.129.* asserit, humores corporis posse euadere venenatos & vero veneno similes. Quod etiam probatur exemplo pestis, epilepsiæ, causatæ à vapore ex pollice pedis, vel digitis manuum ascendente; & semine & menstruo putrefactis, in quibus ex malitiâ symptomatum manifestum est, humores veneni naturam acquisiuisse *prob.* 2. à peste contingunt tam sæua symptomata, & tam citò contingit homines interire, quàm à veneno assumpto; ergo in corpore gignuntur mala, quæ non minora symptomata venenis inferunt; ergo & alia similia in corpore generari possunt. *prob.* quia *lib.1. Epidem. sect.3.* est exemplum Critonis, quem rectè ambulantem pedis dolor fortis cepit, à magno digito, & decubuit; eidem superuenit horror, & cibi fastidium, & paruus calor; nocte secutum est delirium; secundâ die tumor per totum pedem apparuit subruber, pustulæ nigræ, febris acuta, delirium maius, bilis vomitus copiosus; mortuus est secundâ die: hæc symptomata sunt maxima, & non minora, quàm eorum, qui venenum assumpserunt, & quibus talia superueniunt, præcipuè in partibus internis, in iis meritò suspicio esse possit veneni, cùm tamen nullum fuerit assumptum, sed omnia à venenatis humoribus sint causata, vt ex eo patet, quòd nullam ibi Hipp. veneni faciat mentionem. Aliud exemplum est 3. *Epid. sect.3. ægroto quarto.* Primâ die vomuit, æruginosa, febris cum horrore, sudor multus capitis & continuus, grauitas cum dolore, vrinæ tenues, delirium, nunquam dormiuit, secundâ die mane fuit sine voce, febris acuta, sudauit, non intermisit, palpitationes per totum corpus, nocte conuulsiones, tertiâ die omnia exacerbata sũt, mortuus est; hæc omnia possent meritò veneni signa æstimari, cùm tamen ab humorum solùm malitiâ fuerint producta. Ex his patet arduum esse de venenis iudicare; potest tamen iudicari, si plura signa simul concurrant, & maximè ea quæ sequuuntur venenum. 1. si quis sanæ mentis, bene valens, & bonâ viuendi ratione vtens statim à cibo aut potu aut pharmaco assumpto, maximis ac variis symptomatibus corripiatur, si statim ventriculi superueniat æstuatio & anxietas, corporis iactatio, coloris faciei varia mutatio, nausea, vomitus fœtidus aut niger, tussis, singultus, tremor, stupor, punctura, mordicatio, rosiones intestinorum, cordis palpitatio, membrorum contractio aut conuulsio, sanguinis tetri per os eiectio, molesta vrinæ excretio, feruor totius corporis, vel frigus eiusdem, eruptio papularum aut macularum liuidarum per corpus, intumescentia ventris vel totius corporis, vertigo, lipothymia, syncope, ἀσθυξία, virium summa prostratio, lingua & labra tumefacta ac nigricantia,

nigricantia, extrema corporis, præsertim vngues liuidi, sudor frigidus circa frontem & tempora, oculi torui & mobiles etiam; si corpus mortuum aperiatur, & in gulâ vel stomacho exulceratio, rubedo, caro nigra, exusta appareat; si cibus in stomacho inuentus voraci cani obiiciatur, & paulò pòst etiam moriatur.

An vulneratus ex vulnere mortuus sit, an ex aliâ causâ, etiam dignosci potest. Hæc quæstio est quotidie obuia, & eius decisio ordinariè à magistratibus medicorum iudicio subiicitur; est autem ardua, quia ab eâ dependet vita ac salus illius, qui vulnerauit: vnde si medicus nimis temerariè iudicat, vt sæpe fit, reus est ipsemet mortis & supplicij vulneratoris. Difficile est autem hoc bene iudicare: nam etiamsi quis vulneratus sit, non propterea sequitur, quòd ex vulnere mortuus sit, sed potest esse mortuus ex aliâ causâ. Nos ergo, ne erremus, diuersis propositionibus & quęsitis rei difficultatẽ explicabimus. *Dico* itaq; 1. Si quis sit vulneratus fit, & vulnꝰ nõ sit absolutè lætale, & constat vulneratũ, vel medicum, vel chirurgũ notabilẽ errorem cõmisse, cuius ratione verisimile sit mortẽ causari potuisse, nullâ ratione pronuntiandũ est, vulneratum ex vulnere obiisse, aut vulnerantem mortis reũ esse, sed obiisse ex errore cõmisso; quia si potest ex errore commisso obiisse, etiamsi fortè non obierit, & hoc adhuc incertum sit, si saltem non est certum ex vulneris magnitudine eum obiisse, non est pronuntiandum, vulnerantem homicidij reum esse. Dico, si verisimile sit mortem ex errore causari potuisse, hoc autem cognoscitur ex symptomatibus, quæ ante mortem eueniunt, nam si talia symptomata eueniant, qualia sequi possunt errorem commissum, est indicium eum ex errore commisso obiisse; si verò talia sunt, quæ ex naturâ suâ non sunt nata sequi talem errorem commissum, sed quæ potiùs vulneris magnitudinem sequuntur, signum est mortem non ex errore commisso, sed ex vulnere eueniſse; sic si chirurgus suâ ignorantiâ non sciuisset fluentem venam compescere, & inde secuta fuisset magna debilitas, vultus pallor, asphygmia, est indicium mortem esse secutam errore illius chirurgi; quia talem errorem talia symptomata sequi nata sunt: si chirurgus neglexisset adhibere repellentia, & exinde secuta esset maxima inflammatio; vel nimis frigida adhibuisset, & exinde secuta fuisset gangræna, ex eáque mortuus esset, verisimile est eum mortuum esse errore chirurgi, non vulneris magnitudine: nam tale symptoma natum est sequi talem errorem commissum: si æger continuò vinum bibisset, & secuta inde fuisset vulneris inflammatio, vel sanguinis fluor, aut magna febris, & ratione eius æger mortuus esset, verisimile est eum ex errore proprio & non vulneris magnitudine periisse; & ita, dico, iudicandum est, etiamsi ipsum vulnus sit magnum ac graue; nam etiamsi magnum sit ac graue, forsan tamen sine tali errore interueniente curari potuisset, nam etiam grauia ac magna vulnera à peritis chirurgis sæpe sanantur. Verùmtamen, si vulnus sit absolutè lætale, etiamsi error aliquis commissus sit, nihilominus mors tum vulneris magnitudini, & non commisso

errori imputanda est: ratio est, quia tum non est certum, quòd ex commisso errore sit secuta; sed hoc est certum, siue commisso, siue non commisso errore, æquè bene mortem fuisse secuturam ex vulneris magnitudine, & sic penè certum est & multò probabiliùs, mortem ex vulneris magnitudine, quàm ex errore commisso secutam, talis erroris commissi exempla sunt apud Hipp. 4. *Epid. parte* 15. in puero Metrophanto, qui ideo, quòd scalpello vicus nudasset, vnde ipsum est refrigeratum, mortuus est, & 5. *Epid. parte* 14. in Philes filio, qui nudatione frontis factâ nonâ die, in febrem incidit, liuidum factum est os, & obiit. Verùm quando quis est vulneratus, & post vulnus sequuntur eiusmodi symptomata ac morbi, vt phlegmone, conuulsio, gangræna, hæmorrhogia; & ratione eorum vulneratus moritur, estne talis dicendus mortuus esse ex vulnere, nec ne? aliqui dicunt quòd non; nam talis, aiunt, moritur ratione illorum morborum, qui vulneri superueniunt; ergo non ratione vulneris: sequela probatur, mors est adscribenda causæ proximæ & immediatæ, nõremotæ, sed in hoc casu vulnus est causa mediata & remota mortis, morbi illi sunt causa immediata & proxima; Ergo iis mors est adscribenda non vulneri. Sed dico, si tales morbi & symptomata oriuntur ex vulneris magnitudine, & non ex commisso errore aut aliâ superueniente causâ, mors tunc vulneri est adscribenda. *Resp.* argumento allato: quòd etsi hi morbi sint causa proxima, & non vulnus; tamen vulnus est causa principalis & prima, & causa illorum morborum; & sic est etiam causa mortis, quæ ex illis morbis & symptomatibus sequitur: nam quod est causa causæ, est etiam causa causati. Et ita sentit & resoluit Galen. *lib. de causis procarcticis cap.* 2. & 3. vbi hanc quæstionem disputat. Sed si post vulnus sequitur alius morbus, quem probabile esset non oriri ratione vulneris, sed ex aliâ causâ propriâ & particulari, tum non esset mors vulneri, sed illi morbo imputanda. Vt, verbi gratiâ, si esset quis læsus in ventre, & superuenerit apoplexia, & vulneratus esset senex, probabile esset, illam apoplexiam ortam esse ex propriâ causâ & dispositione cerebri, & non ratione vulneris illius; quia talis morbus non est natus sequi tale vulnus, & verisimile est talem apoplexiam euenturam fuisse, etiamsi vulnus illud non fuisset inflictum; & proinde non vulneri sed apoplexiæ est imputanda. Sic si quis in capite vulneratus esset, & superueniret phlegmone, & inde gangræna in pede, ex quâ mors sequeretur, tum censendum esset illum non ex vulnere, sed alio morbo, qui forte ò superuenit mortuum esse. Vbi tamen distinctione opus est; quia si vulnus est tale, quod ex naturâ suâ est aptum corporis humores commouere, tum si quæ mala ex illâ humorum agitatione oriantur, ratione quorum æger moritur, omnia illa mala & mors ipsa vulneri tanquam primæ suæ causæ sunt adscribenda: sed si vulnus tale sit, quod ex naturâ suâ non est aptum sic humores corporis agitare, vt si vulnus sit paruum, in externis partibus, tùm si quæ mala superueniant ex quibus æger moritur, illa non sunt vulneri adscribenda, sed propriæ

causæ

causæ ex dispositione, & morbo ex tali dispositione genito. Ex quo sequitur, quòd quando vulnus est absolutè lætale, qualiacunque tum mala vulnus ipsum sequantur, omnia illa & mors ipsa vulneri tanquam potissimæ causæ sunt adscribenda.

Est alia difficultas; si ab illato vulnere etiam magno post aliquot dies incipiat æger conualescere, & postea iterum incipiant pessima symptomata, & æger moriatur, estne talis mors vulneri adscribenda? videtur ex parte, quòd non: nam ex eo, quod æger post aliquot dies melius habuerit, cùm inceperit conualescere, videtur quòd vulnus non fuerit lætale, & quòd ex parte illius non fuerit periculum aut difficultas; nam si lætale fuisset, æger non melius, sed paulatim peius peiúsque habuisset, quòd autem postmodum tam sæua symptomata apparent, videtur certum esse, quòd vel ex parte medici, vel ægri aliquis error sit commissus, etiamsi is non innotescat; vel quòd alius affectus superuenerit, non ratione vulneris, sed ratione propriæ suæ causæ & corporis indispositionis, cuius ratione vulneratus mortuus sit, cuius mortis superuentus non debet ipsi vulneri imputari, & sic neque etiam mors, quæ illius morbi ratione est causata. Sed *Resp.* quòd æger priùs semper visus fuerit melius valere, & quòd non nisi post longum tempus sæua symptomata superueniant non excusare, quo minùs illa symptomata & mors vulneri imputentur: quia vulnera talia sæpe sunt, vt ipsa videãtur curari, & æger melius habere, & tamen serò post maximè ingraueſcunt quòd contingit illis vulneribus, in quibus intùs materia aliqua aut sanguis retinetur, qui demum progressu temporis putrescit & suppurantur & interiùs phlegmonem, vlcera, gangrænam, aliáque mala & symptomata causant: sic sæpe in vulneribus capitis contingit, vt illa tantùm parua & superficialia esse videantur, & sine vllâ cranij fracturâ, & tamen ex contusione factâ fuit subtus vena disrupta, & sanguis extrauasatus, qui paulatim putrescens, demum 17. aut 18. die pessima symptomata & mortem infert. Dico tamen, quòd ordinariè & extra talem casum, si vulneratus melius habuerit, & visus fuerit conualescere, & per plateas aut ad templum exierit, si dum contingat interea mori, mortem non esse vulneri, sed alicui à se errori commisso adscribendam.

Alia est difficultas; si quis esset vulneratus vulnere paruo & non lætali, & esset debilis, puer, senex, plenus malis humoribus & cachecticus, sic vt ratione suæ debilitatis, & malæ dispositionis ex vulnere moreretur, ex quo est verisimile eum minimè moriturum fuisse, si illam debilitatem, ætatem, & malam corporis dispositionem non habuisset, v. g. si quis esset paruo vulnere in tibiâ læsus, & ob cachexiam vel senectutem gangræna sequeretur, ex eáque moreretur, esset ne mors illi vulneri adscribenda, sic vt vulnerator homicidij reus pronunciandus, nec ne? Aliqui dicunt, quòd non, & videtur probabile; quia tale vulnus ex se non est lætale; ergo mors non est ei adscribenda; talis curaretur, si non esset tam debilis, cachecticus, &c. ergo eius debilitas,

cachexia,

cachexia, ætas, est causa mortis non vulnus; ergo mors non est vulneri adscribenda, & per consequens vulnerator illius mortis reus non est, cùm sit mortuus ratione suæ malæ dispositionis, cuius dispositionis vulnerator ipse non est causa, sed ipsemet vulneratus : neque potest dici, quòd vulnus sit saltem causa occasionalis mortis, quia effectus non est causæ occasionali adscribendus, sed tantùm veræ causæ efficienti principali; quia si vulnus & mors ex eo sequens possent causæ occasionali adscribi, sic sæpe eiusdem homicidij multi essent rei; nam qui amicum suum ad cœnam inuitauit, & inebriatus in plateâ lites quærat & occidatur; vel qui dum ab aliâ plateâ, per quàm ire debebat, diuertit, & sic in mortem incurrat, qui rixarum est origo, qui interfectori casualiter dedit gladium, aliisque varij, quibus tamen nunquam mors à vulnere causata imputatur, nec vnquam homicidij aut mortis reus declarandus. Pro resolutione *dico*, distinguendum esse; nam si vulnus est valde paruum, puto mortem tunc vulneratori non esse imputandam, sed potiùs malæ dispositioni & debilitati interfecti : contrà dicendum si vulnus sit mediocre, ratio est, quia si vulnus inflictum non fuisset, æger adhuc diutissimè vixisset, cum illâ suâ dispositione, debilitate & senio: ergo vulnus est causa mortis; neque quicquam est, quod dicatur esse mortis causa tantùm occasionalis, quia verè est causa efficiens; & senium & debilitas & cachexia non sunt causa mortis effectiua, sed sunt tantùm causa per accidens, quatenus non potuerunt vulneri & accidentibus, quæ ex eodem vulnere sunt secuta, resistere; aut sunt tantùm causa adiuuans mortis : præcipua autem causa mortis est vulnus; vulnus autem per se causa accidentium, & accidentia per se sunt causa mortis; & ita vulnus est quoque causa per se mortis; cui accedit, quòd in dubio semper pronunciandum potiùs est in fauorem illius qui vulnerauit, quàm contrà: ne temerario Medici iudicio, qui forsan innocens esset, ad supplicium perueniat; nam etsi illud vulnus non sit tam magnum, quod in iuuene robustissimo & optimè sano, gangrænam, febrem, aut debilitatem tantam inferre potuisset, quòd talis ex eo mori potuisset; tamen quia vulnus tantum est, quod saltem naturaliter in tali ætate & tali dispositione, & non solùm occasionaliter, sed verè effectiuè potuerit eiusmodi accidentia causare: & quia talia accidentia alioqui orta non fuissent, & ex paruâ causâ oriri non potuissent, sed orta sunt ex morbo seu vulnere, quod respectu ætatis & dispositionis corporis est magnum, ideo verè vulnus eiusmodi accidentium & mortis causa est iudicandum. Hæc de signis Anamnesticis.

§. II.

Signa Diagnostica.

Diagnostica signa sunt signa præsentium, præsentia quæ cognosci debent,

debent vel ſunt cauſa, vel morbus, vel pars affecta : hinc Diagnoſtica alia ſunt ſigna cauſarum, alia morbi, alia partis affectæ. Diagnoſtica cauſarum differunt ab anamneſticis per hoc, quòd anamneſtica ſint cauſarum præteritarum; & ſic præcipuè cauſarum externarum : Diagnoſtica verò ſunt cauſarum præſentium, quæ adhuc ſunt, & morbum actu faciunt ac fouent; & ſic maximè cauſarum internarum.

CAP. II.

De Signis Diagnoſticis cauſarum morbificarum in genere.

DIagnoſtica cauſarum præſentium alia indicant bilem, alia melancholiam, &c. nam hi humores ſunt cauſæ communes omnium morborum. Supra inter ſigna ſalubria egimus, de ſignis complexionis biliosæ, melancholiæ, ſanguineæ, &c. Sed illa ab his differunt; nam ibi ponuntur ſigna complexionis naturalis; hîc verò ſigna humorum morbos facientium; propterea ſigna, quæ hîc ponuntur, ſunt ab illis parùm diuerſa : aliud enim eſt dicere aliquem eſſe complexione naturaliter & toto corpore ſanguineum, biliosum, &c. aliud in eo hoc tempore bilem vel ſanguinem redundare; & hoc tempore & hâc parte morbum à ſanguine vel à bile generari, poteſt enim eſſe, vt aliquis ſit naturâ ſuâ ſanguineus, & tamen bilis in eo hoc tempore, hâc parte abundet, aut morbum faciat; & ſic alia ſunt ſigna, quæ naturalem complexionem biliosam vel ſanguineam indicant; alia quæ cauſam vel humorem hoc tempore præſenti morbis facientem vel fouentem : ſic ſenſus impediti, cogitatio tarda, grauitas capitis, oculorum rubor, non ſunt ſigna complexionis ſanguineæ naturalis; quia potiùs contra ſanguinei ſunt ingenioſi, ſed tantùm ſunt ſigna ſanguinis pro tempore circa caput abundantis : eodem modo & tenſio vaſorum, laſſitudo ſpontanea, pruritus circa locum, vbi aliquando ſit ſecta vena, non ſunt ſigna naturalis complexionis, ſed ſunt ſigna ſanguinis pro nunc contra naturam abundantis, vel ſanguineæ ac morboſæ conſtitutionis, & ſanguinis morbum vel facturi vel facientis.

Porrò morbificæ cauſæ ex variis cognoſcuntur, & 1. ex iuuantibus ac lædentibus; ſi calida iuuant cauſa morbi eſt vel melancholia vel pituita vel flatus vel ſerum: ſi frigida, contrà. Sic Hipp. *lib. de ratione victus in morbis* docuit, in dolore lateris morbi cauſam per appoſita fomenta cognoſci; nam ſi æger iis iuuatur, debet morbi cauſam eſſe flatum; ſi læditur, calidum humorem ac ſanguinem ac veram pleuritidem eſſe.

A cauſis etiam externis, quæ præceſſerunt internæ cognoſcuntur: tales ſunt anni tempus, regio, victus ratio, &c. nam ſi eſt ver, & ſi æger ſit iuuenis, ſi vſus ſit potu meraciori, victu liberaliori & ſanguinis multi-

plicatiuo, signum est, sanguinem in eo abundare, & morbum facere. Iuuenilis ætas morbis à bile laborat, senilis à pituitâ; æstate à bile, vere à sanguine, hyeme à pituitâ morbi fiunt. In Hispaniâ à calidis humoribus, in regione frigidâ à frigidis; in mulieribus mensium, in viris item consueta vacuatio suppressa, vt hæmorrhagia, hæmorrhoides suppressæ, sãguinẽ abundare indicant. A simili etiam causæ morbi cognoscuntur; si æger solet morbis à sanguine laborare, cùm aliàs ægrotat, suspicio est sanguinem & tunc morbi causam esse. Ex iis, quæ sequuntur & symptomatibus etiam in causarum notitiam venimus; sic pustulæ rubræ, paruæ, rotundæ ex bile fiunt; latæ & sine pruritu, ex humore frigidiore; deliria fera atrocia, ex bile, iucundiora à sanguine; à bile inuasiones febriles sunt tertianæ, à melancholiâ quartanæ, à sanguine continuæ; à bile symptomata omnia & dolores sunt acutiora, ab aliis humoribus mitiora. Dolorum species etiam morbi causam indicant, dolor pungens bilem, grauatiuus pituitam, tensiuus flatum indicat. Tumores, qui obriuntur in morbis, sæpe morbi causam indicant; phlegmone sanguinem scirrhus seu tumor frigidus & durus, melancholiam; œdema, id est, tumor laxus ac mollis pituitam indicat; tumores tensi instar tympani & perlucidi flatum & aquam.

Qualitates externæ corporis etiam causam indicant: perpetuum frigus externum frigidum humorem, calor maximus calidum, color citrinus faciei vel totius corporis bilem, liuidus color melancholiam, facici & oculorum rubedo, sanguinem.

Propria morborum symptomata etiam causam indicant: sic peruigilium calidos humores, somnolentia frigidos indicat; sitis calidos, asitia frigidos; pulsus celer, magnus calidam causam; lentus, tardus frigidam.

Excrementa morbi causam omnium maximè indicant: nam quale excernitur, tale esse quod in corpore abundat, est suspicio; sæpe bilem vomere signum est abundantis in corpore bilis, pituitam pituitæ, &c.

Pars affecta cognita etiam aliquando ducit in cognitionem causæ, vt si affectus est in vesicâ, vel regione renum, calculi suspicio suboritur; si in intestinis, flatuum vel vermium; si in vtero, seminis vel menstrui putrescentis: Et sic de aliis. Et hi sunt fontes signorum.

CAP. III.

De Signis Diagnosticis causarum morbificarum in particulari.

§. I.

Signa sanguinis abundantis.

IN particulari signa sanguinis abundantis vel morbum facientis sunt in primis complexio sanguinea, & signa suprà omnia allata, quæ complexionem

plexionem naturalem sanguineam indicant: insuper si prægressit victus ratio sanguinis multiplicatiua, conuiuia multa & lauta, vita otiosa & læta; si est ætas iuuenilis, ver, regio, calida, si æger aliquo membro magno est mutilatus; nam tunc in reliquo corpore facilè sanguis abundat, si solitæ sanguinis euacuationes, vt phlebotomia, hæmorrhagiæ, hæmorrhoïdes, menses, sunt suppressæ; si morbi sanguinei, synochi, phlegmone sint adhuc antea prægressi, si pustulæ aliquæ appareant, si præcesserint somnia de rebus rubris, si sanguis ex aliquibus partibus, vt per nares, excernitur; si febris species quâ æger laborat sit synocha; si vrina crassa, rubra multa, si pulsus magnus, plenus, vndosus, sputum dulce, sudor fœtidus & multus, capitis grauitas, temporum pulsatio, vultus rubicundus, totius corporis venæ & in oculis rubicundæ & turgentes, pruritus in loco vbi aliquando vena secta fuerit, respiratio magna, sensuum stupiditas, oculi contusi & turgidi, cogitatio tarda, oscitatio, pandiculatio, spontanea lassitudo, incubus nocturnus, sputa dulcia, facile tolerare multam sanguinis euacuationem, &c. si in extracto per phlebotomiam sanguine, multus purus sanguis, cum paucâ aliorum humorum permixtione reperitur, si morbi sanguinei passim per vrbem vagantur, &c.

§. II.

Signa Bilis abundantis.

Signa bilis in corpore abundantis aut morbum facientis: si color oculorum & faciei & totius corporis pallidus est & fuscus, sputa & excrementa citrina ac flaua, fortè etiam alba vt in phrenitide; si erysipelata vspiam appareant, si periodus febris, quâ æger laborat, est tertiana; si morbus exacerbatur in meridie, hoc enim est tempus, quo bilis in corpore maximè grassatur; si aliàs & antea biliosis morbis ægrotarit; si in extracto per phlebotomiam sanguine plurima bilis supernatat, si somnia turbulenta & truculenta de incendiis, rixis & pugnis præcesserint; si vigiliæ seu defectus somni adsit; si æger calidis cibis, vt vino & aromatibus, vsus fuerit; si valde afficitur frigidis ac humidis cibis, à calidis verò læditur; si morbus, quo laborat, maximus est & acutissimus, si dolores intensissimi & pungitiui; si æger complexionis est biliosæ si iuuenis; si est æstas & regio calidissima; si biliosi morbi grassentur, vt dysenteriæ, erisipelata, tertianæ, si sitis est vehemens, lingua citrina, amara, nigra; si ab assumptis cholagogis meliùs habet, eàque faciliùs fert; si consuetæ fortè bilis vomitus cessauerint, si æger est iracundus, inquietus; vrina flaua, ignea, mordax, cum pauco sedimento; pulsus celer, magnus, frequens, durus; sudores flaui seu indusia flauedine tingentes; si aurium excrementa multa & flaua, &c.

§. III.

Signa Pituitæ abundantis.

Signa pituitæ abundantis vel morbum facientis sunt: sensus hebetes, motuum tarditas, partium omnium grauitas & segnities, mentis pigritia, obliuio, somnolentia pulsus tardus, paruus, rarus, mollis, corpus album, molle, frigidum tactu, ætas puerilis aut senilis, hyems, morbi pituitosi, grassantes, si æger aliàs morbis pituitosis laborarit, phlegmata alba, mucosa, multa è corpore prodeuntia, per nares, os vomitum, deiectiones, saliua dulcis, insipida, paucitas sitis, nisi forsan phlegma, quod in corpore est, sit salsum, appetitus calidorum & iuuamen ab eis, læsio à frigidis, nausea, eructatio, diminuta coctio, ructus acidus, temperamentum ægri frigidum ac humidum, ætas senilis, victus prægressus pituitosus, vita sedentaria, habitatio circa mare, regio frigida, hyems, sexus muliebris, tumor in corpore œdematosus, dolor grauatiuus, menses albicantes pituitosi, vrina alba, pallida, modò tenuis, modò crassa & turbida, pedes œdematosi, in extracto sanguine pituita multa, somnia de aquis & pluuia, &c. si typus febris est quotidianus, cùm morbus est, qui à variis humoribus gigni potest; quando est à pituitâ, erit minor, ac leuior, & symptomata mitiora. A morbi genere etiam pituita cognoscitur, vt si est paralysis, epilepsia, apoplexia; nam hi morbi à pituitâ maximè oriri solent. A parte affecta, vt si est caput, stomachus, intestina, vesica; nam hæ partes maximè à pituitoso humore molestantur.

§. IV.

Signa Melancholiæ abundantis.

Si est solito timidior, mœstus, solitarius, color faciei liuidus; insomnia turbulenta, terribilia; morbi melancholici aliàs prægressi, vel nunc etiam præsentes, vt lichenes, varices, quartanæ, scirrhus lienis; si morbi melancholici grassantur, si tumor vspiam durus & frigidus, dolor grauatiuus, si est autumnus æger complexionis melancholicæ, si consuetæ hæmorrhoïdes vel sint suppressæ, vel fluant & æger eis iuuetur; pulsus paruus, tardus, durus; ructus acidus, vrina nigra, crassa, interdum & tenuis, cùm scilicet nihil melancholiæ expurgatur; menses nigricantes, sudores linteamina nigrefacientes, si excrementa nigra per vomitum vel deiectiones expurgantur, præcedens victus ratio melancholica, si melanagogis assumptis iuuatur, appetitus deprauatus seu caninus. Morbi species melancholiam ostendit, vt si est cancer, elephantiasis, quartana, scirrhus, varices, scorbutus, hæmorrhoïdes. Pars affecta etiam ostendit melancholiam; vt si in regione lienis dolor sentiatur.

§. V.

Signa seri abundantis.

Stomachus frigidus, lienis durities & obstructio, sputatio multa, vrina supressa vel valde multa, sudor suppressus aut magna pronitas ad eum; facies, pedes tumidi & œdematosi, æger pallidus, cachechius, in extracto sanguine serositas plurima; parte aliquâ tactâ vel vulneratâ serositas multa effluens, vrina cruda & aquosa, alui deiectio liuida ac mollis; ab hydragogis iuuatur; aquositas multa à pharmaco purgatur, pruritus multus per totam cutem sine scabie aut pustulis; si multa aquæ potio præcessit, & vsus fructuum frigidorum, vt cerasorum, persicorum, cucumerum, melonum, &c. adest corporis ἀθηρία, sitis quoque ob seri salsitudinem, venter tumidus & asciticus, scrotum aquâ tumet, hydatides seu vesiculæ aquâ plenæ in corpore apparent.

§. VI.

Signa flatuum abundantium.

Ventriculus frigidus ac humidus, caloris debilitas, vsus ciborum: flatulentorum prægressus, complexio melancholica, lien melancholico humore turgens & obstructus, nam melancholia flatulentiam parit. Alij à flatu affectus prægressi vel comitantes, vt aurium tinnitus, oscitatio, palpitatio, colica, frequentes ructu crepitúque flatus, & ij cum leuamine; à crudis & frigidis læditur, & à calidis ac flatus discutientibus iuuatur; vsus ciborum flatulentorum prægressus, vt cereuisiæ recentis, leguminum musti, fructuum ac olerum, murmur in ventre frequens, vrina bullosa, si flatus in ventre concluditur, venter percussus instar tympani sonum edit.

CAP. IV.

Signa Diagnostica morborum.

SIgna morborum alia ostendunt morbi speciem, ala morbi differentias, scilicet, an morbus sit vnus, an plures, simplex an compositus, primarius an per consensum, mali vel boni moris, magnus aut paruus, acutus vel longus, &c. Signa, quæ morbum indicant, sæpe etiam indicant partem affectam: & contrà interdum pars affecta citiùs cognoscitur, quàm morbus, interdum contrà: sic si excernatur pus, statim cognoscitur morbus, & scitur esse vlcus vel abscessum; sed adhuc ignoratur in quâ parte consistat; contrà, si dolor in vesicâ sentiatur, aut vrinæ

suppressio adsit, statim cognoscitur pars affecta, sc. vesica; sed affectus propterea adhuc non cognoscitur: si dolor maximus est in stomacho vel cãpite, cognoscitur bene pars affecta, sed non ipse affectus. Aliqua symptomata sunt, quæ maximè sequuntur naturam partis, vt propriæ partium actiones læsæ: aliqua verò quæ situm partis, vt dolores; & talia maximè indicant partem: aliqua non tam naturam partis sequuntur, quàm potiùs naturam causæ morbificæ aut morbi, vt sputa cruenta & purulenta; & illa potiùs indicant morbum ac morbi causam, quàm partem affectam.

Porrò morborum inuestigatio est difficilis valde, causæ variæ sunt: prima est, quia morbi interdum sunt recentes & primùm incipiunt: nam incipientes morbi difficulter cognoscuntur, eodem modo quo herbæ recenter & terrâ pullulantes. Ratio est, quia tum symptomata adhuc non sunt manifesta, neque tam multa; plurima enim demum post vel in ipso morbi decursu solummodò superueniunt; cui accedit, quòd in morbis à fluxionibus materia huc illuc fluctuet, priusquam parti insederit. Hinc in principio symptomata sunt confusa ac diuersa, provt variæ partes afficiuntur, ex quibus non potest præcisè morbus vnus cognosci. Secunda causa est, quòd multi morbi ab eâdem causâ oriantur, & quòd diuersi morbi in eâdem parte resideant. Eadem autem causa materialis, & eadem pars affecta plurima symptomata eadem producunt: eadem autem symptomata eundem affectum indicant; & ideò per illa diuersi affectus non possunt bene distingui. Propter hanc causam synochus putrida à non putridâ difficulter distinguitur; febris tertiana à febre ardente; quia vtriúsque ferè eadem est materia, eadem pars affecta, & sic ex consequenti symptomata non multùm diuersa. Tertia causa est partium vicinarum vnio ac consensus, propter quæ fit, quòd malum existens in vnâ parte, etiam coafficiat aliam, & sæpe plures; vnde non solùm fiunt symptomata consequentia vnam partem affectam, sed diuersas; quæ symptomatum confusio ac diuersitas est causa, cur medicus nequeat scire, quæ pars affecta, quis morbus, aut quæ causa eius: sic vicinia renum & intestinorum nephriticum dolorem cum colico sæpe confundunt: Continuitas extremitatis penis cum vesicâ, facit aliquando vt cognosci nequeat, an affectus in pene sit an vesicâ: quandoquidem à vesicæ vlcere & affectu penis extremitas eodem modo dolet & prurit, ac si affectus esset in eo. Dolor, qui ad clauiculam ascendit, multos quotidie in penis inflammatione à dextri lateris pleuritide distinguendâ decipit: peripneumonia à pleuritide difficulter distinguitur, præcipuè in iis, qui pulmonem costis ad natum habent, quòd non paucis contingit. Quarta causa est: quòd multæ partes ad eandem actionem conspirent, & eiusdem actionis sint instrumenta; hinc illâ actione læsione, ignoratur cuius instrumenti vitio ea sit adscribenda, an huius an illius; & consequenter, quis affectus per eam significetur, non scitur. Tussis, difficilis etiam respiratio, & tracheæ, & diaphragmatis, & pulmonis, & coctarum vitio oriri possunt,

possunt,& sic nullum peculiarem affectum indicare possunt. Nimia symptomatum vehementia etiam reddit morbos occultiores ; nam facit vt per sympathiam multa alia symptomata oriantur, quæ non sunt secundùm sed extra naturam morbi ; & tùm in illâ diuersitate symptomatum nescit Medicus, ex quo symptomate debeat de morbi causâ, de morbo, & parte affectâ iudicare ; quia non potest dignoscere, quæ inter omnia illa symptomata sint essentialia morbi, quæ consequentia, & quæ per consensum facta ; sed hoc symptoma hanc, illud illam partem affectam indicat ; hoc talem, aliud alium morbum vel causam ; vnde in tanto symptomatum concursu nescit, quo se vertere debeat, & cui morbo debeat illa præcipuè imputare. Quinta & maxima causa est, morborum diuersorum concursus ; vnus enim morbus habet vnius tantùm generis symptomata, multi verò concurrentes, habent symptomata diuersa : multitudo & confusio illa symptomatum parit difficultatem, vt dictum est ; nam scire non possumus, an illa symptomata sint ab vnâ causâ, an verò à diuersis, an à se mutuò dependeant, & quomodo possint esse simul, an ob mutuum consensum partium, an aliquâ aliâ ratione. Et cùm videmus omnia illa symptomata ab vno morbo oriri, putamus nos morbum ignorare, & esse nouum morbi genus nobis incognitum. Etsi symptomata aliquando sint contraria ; si ex vno nobis videmur cognoscere morbum aut causam, ex altero contrarium, quod ex tali morbo vel causâ scimus oriri non posse, tunc iudicamus nos totum affectum ignorare; ex quo maximus error contingit. Alia causa ignorationis morborum est, quando vnus morbus in alium morbum mutatur; vt cùm phrenitis transit in lethargum, pleuridis in peripneumoniam, colica in paralysin, &c. tunc enim diuersa & contraria symptomata se mutuò consequuntur, quæ eandem, quæ iam dicta est, pariunt confusionem.

CAPVT V.

Signorum Diagnosticorum Morborum fontes.

SIgna Diagnostica morborum ex variis fontibus sumuntur; generatim autem maximè ab his quatuor: causis sc. internis, symptomatibus, parte affectâ, iuuantibus & nocentibus. Sub causis continentur, ætas, regio, anni tempus, parentes, aëris constitutio, victus ratio, sexus, dispositio corporis, vt obesitas vel gracilitas, figura vt magnitudo ventris, crurum &c. consuetudo, complexio, &c. Sub symptomatibus continentur actiones læsæ, corporis affectus, excrementa vitiosa, dolores, &c.

A regione morbi cognoscuntur, quia certi morbi in certis regionibus magis grassantur ; sic sudor Anglicus in Angliâ : scorbutus in maritimis Regionibus: Elephantiasis Alexandriæ; Podagra & Anxiones ad articulos in Scythiâ.

Ab

Ab anni tempore: nam similia anni tempora similes morbos inducunt; æstas biliosos, hyems pituitosos, catarrhos, &c.

A cibi genere: nam ab eo, quòd aliquis semper est vsus cibis calidis, cognoscitur morbus aut intemperies, quâ intus in stomacho, hepate, aliisque partibus laborat, esset calida.

Ab epidemiâ aëris constitutione: quia si aliqui morbi communiter grassantur, de iis statim potest esse suspicio.

Ab ætate: si senex est, colligitur morbus frigidus & à pituitâ si iuuenis, calidus & biliosus.

A parentibus: nam si parentes fuerint arthritici, phthisici, calculosi, leprosi, aut aliquo morbo hæreditario laborantes, de iisdem in filiis suspicio est.

A consuetudine; vt si æger aliquis aliquo morbo frequenter solet laborare; nam si quis pleuritide frequenter laborauit, cùm dolorem in latere sentire incipit, suspicio iterum erit pleuritidis.

A sexu; sic Eunuchi neque podagrâ laborant, neque calui fiunt, mulier etiam, inquit Hippoc. podagrâ non laborat, nisi menstrua defecerint.

A vitæ exercitio: sic studiosi distillationibus pituitosis, & melancholicis morbis obnoxij sunt; sedentarij omnes facilè calculum incurrunt; qui multum scribunt, pectoris dolores & viscerum obstructiones; acupictores oculis debilitantur; infectores pannorum phthisi facilè corripiuntur; auri fabri & typorum fusores paralysi; nautæ & qui mari adhabitant, scorbuto.

A corporis dispositione & figurâ: obesi morbis frigidis, apoplexiæ, obstructionibus obnoxij sunt; qui venas latas habent, in morbos calidos sunt proni, qui verò angustas, in frigidos.

Ab animi affectibus: Iracundi, celeri ingenio præditi calidis ac biliosis morbis; torpidi, stupidi & somnolenti morbis pituitosis.

Ab intermissâ aliquâ solitâ euacuatione, morbi etiam possunt dignosci: sic si quis post hæmorroïdes suppressas in morbum incidat, illum esse melancholicum colligi potest; eodem modo de suppressis aliis euacuationibus iudicandum est.

Porrò à symptomatibus etiam cognoscuntur morbi, vt actionibus læsis, excretis, corporis qualitatibus: sic pulsus celer, creber, magnus febrem indicat, deglutitio læsa anginam; mictio impedita calculum aut carunculam; dolor pulsatorius ac punctorius phlegmonem, &c. rigor febres intermittentes indicat, non continuas; sed rigor tertianam indicat, frigus quotidianam, horror quartanam.

Tempus symptomatum etiam morbum indicat: sic dolores nocte magis augeri, morbi gallici indicium sunt; auersiones tabidis de nocte magis quoque fiunt, &c.

Ab excrementis: si pus excretum vlcus vel abscessum significat: sic si caro aut membranæ excernantur, idem indicant; nam si caro, vlcus in

visceribus

viſceribus ac partibus carnoſis, vt pulmone, hepate, renibus, &c. ſi membranæ, in partibus membranoſis, vt trachæâ, inteſtinis, veſicâ; Et arenæ in vrinis calidam intemperiem & calculum ſignificant; alui fæces, ſeminibus cucurbitæ ſimiles, latum vermem ſignificant; cibi non mutati diarrhœam, potus non mutatus diabetem; ſuppreſſa excrementa & flatus in eo, qui ventris dolore laborat, colicam indicant; vrina crocea & fæces albæ iterum; ſanguis per venæ ſectionem extractus & non concreſcens ac putridus, elephantiaſim indicat.

A qualitatibus: vngues curui tabem ſignificant; lingua nigricans, lentores circa dentes & in faucibus, febrem ardentem; calor flauus totius corporis vel oculorum, iterum; niger, aquatum, pallidus in virginibus menſes retentos, & vteri obſtructionem; maculæ liuidæ in tibiis & ſcapulis, præcipuè ſi cum exulceratione gingiuarum aut palati ſint coniunctæ, ſcorbutum indicant; magnus rubor maxillarum peripneumoniam; fœtor exeuntium putredinem ac corruptelam aliquam humorum; maximus fœtor putreſcere partes indicat; tumor pectinis in iſchuriâ obſtructionem meatus vrinarij ſeu colli veſicæ; tumor dextri hypochondrij obſtructionem & ſcirrhum hepatis: ſiniſtri ſcirrhum lienis indicat; tumor inguinis & ſcroti herniam; tumor œdematoſus pedum, cachexiam & hydropem incipientem totius corporis ſeu anaſarcam; ventris totius aſcitem ac tympanitem; aſcitem, ſi venter vnâ manu percuſſus contra alteram manum, quaſi fluctuantem aquam, proiiciat; tympanitem, ſi inſtar tympani percuſſus ſonet.

Ex parte affectâ morbus aliquâ ratione noſci poteſt, dolor renum & lumborum calculi ſuſpicionem mouet; dolor in perinæo calculi veſicæ; dolor ventris colicæ, aut in pueris vermium. In ſummâ, quo morbo vnaquæque pars magis affici nata eſt, illius morbi ſuſpicionem parit, ſi ipſa malè habere percipiatur.

A iuuantibus & nocentibus morbi quoque cognoſcuntur: ſi calida iuuant, intemperies eſt frigida; ſi frigida, calida; quæ colicam, ſcorbutum, calculum, &c. iuuare prædicantur, colicæ, ſcorbuti, calculi ſuſpicionem faciunt. Et hi ſunt fontes ſignorum, vnde ſigna diagnoſtica morborum deſumuntur: nunc ad ipſa ſigna in particulari tranſeamus.

CAP. VI.

Signa differentiarum morbi accidentalium & generalium.

§. I.

Signa Morbi magni vel parui.

MOrbus eſt tripliciter magnus; vel eſt magnus ſecundum accidentia, quia ſcilicet, eius propria & pathognomonica ſymptomata ſunt

magna & valdè intensa: vel est magnus ob suam malignitatem ac malum morem; vel est magnus ob nobilitatem partis affectæ, quam occupat.

Signa morbi magni etiam triplicia sunt: nam & illa signa, quæ morbum secundum essentiam suam magnum esse indicant; & illa, quæ indicant morbum malignum esse; & ea, quæ indicant morbum consistere in parte principe seu nobili; omnia sunt signa magni morbi.

Magnitudo autem morbi secundum essentiam cognoscitur vel per se ipsam, seu ex propriâ suâ naturâ, vel ex magnitudine causæ prægressæ vel præsentis, vel ex magnitudine effectuum seu symptomatum; nam de signis malignitatis mox seorsim agemus. Per se ipsum cognoscitur morbus magnus, vt si est Apoplexia, gangræna, cancer, elephantiasis, &c. illi enim morbi ex naturâ suâ sunt magni: & sic cùm sunt præsentes ex se ipsis cognoscuntur esse magni sine vllis aliis signis: sic intemperies tùm est magna, cùm calor est maximus; postremò vlcus vulnus etiam sunt magna, si ipse tumor, vlcus, vulnus oculis videntur maxima; & sic de aliis. 2. cognoscitur magnitudo ex magnitudine causæ, vt si causa est sanguis; nam ille est principalissimus humor, & in toto corpore est copiosus: si venenum assumptum morbi causa sit; si magnum vulnus, si magnus lapis super caput ceciderit, cognoscis morbi magnitudinem.

Ad magnitudinem causæ refertur dissimilitudo morbi à naturâ ægri, anni tempore, regione, ætate, &c. contrario enim naturæ & anni tempore morbo laborare, causæ & proinde etiam morbi magnitudinem arguit. Cognoscitur etiam magnitudo morbi secundum essentiam ex propriis & pathognomonicis signis maximis, quando scilicet propria symptomata morbi in suo genere sunt maxima, vt cùm est affectus ventriculi, si inappetentia sit magna, si vomitus sit maximus, &c. Cùm est affectus oculi, si cœcitas sit maxima. Cùm est colica, si dolor est intensissimus. Cùm est pleuritis, si respiratio sit difficillima, tussis maxima, dolor intollerabilis: in summâ, quando vnaquæque actio in suo genere maximè est læsa, tùm dicitur ille morbus in suo genere magnus. Morbus magnus cognoscitur etiam non solùm ex pathognomonicis signis magnis, sed etiam ex multitudine & magnitudine aliorum symptomatum superuenientium sic: aut assidentium; vt si est incompescibilis sanguinis fluxus, dolor maximus aut valdè diuturnus, vigiliæ, cibi fastidium, conuulsiones, deliria, syncope, pulsus parui inæquales, excrementa liuida, virium deiectio, excretio alicuius excrementi per vulnera, & quando talia symptomata sunt simul causæ morbificæ.

Magnus morbus etiam cognoscitur ab excellentiâ partis affectæ, si sit cerebrum, cor, hepar, stomachus, &c. hinc vulnera dicuntur magna, si neruos, thoracem, ventriculum, intestina afficiant. Magnitudo morbi etiam ex iuuantibus & nocentibus cognoscitur, vt si multis magnisque remediis non cedat; si statim quàm maximè augeatur, nisi magna remedia sint adhibita, &c.

§. II.

§. II.

Signa Morbi maligni.

Malignus morbus idem ferè est quod magnus ; nam morbi maligni sunt magni morbi ; in eo tamen differunt, quòd morbus magnus habeat symptomata pathognomonica magna, malignus verò non; sed habet symptomata parua, & sic ipse morbus videtur paruus; & interim clam cordi, spiritibus, calori natiuo & vitæ insidiatur, & habet aliqua symptomata superuenientia maxima & lætalia, vt conuulsionem, delirium, animi deliquia, fluxum sanguinis per nasum aut intestina, exanthemata, &c. Porrò signa malignitatis à plurimis etiam sumuntur, vt ab ipsâ morbi essentiâ, causis, parte affectâ, effectibus & symptomatibus.

A morbi essentiâ; quia si est Elephantiasis, cancer, carbunculus, pestis, &c. eo ipso, quo tales esse cognoscuntur, sine vllis aliis signis, cognoscuntur esse maligni.

A parte affectâ: sic vlcera vteri, tendinum, ani caries ossium, vulnera neruorum possunt dici morbi maligni.

A causis; nam si à vitio aëris fit, ab aquis putridis, à venenis, à cibis malignis, assatione & putredine humorum, cognoscitur quòd sit morbus malignus; nam etiamsi non adsint pessima symptomata, est tamen timendum, quòd breui superuenient, æquè bene potest esse morbus malignus; nam tales morbi clam homines interimunt, etiamsi nulla signa magna aut mala videantur apparere: cuius ratio est, quòd natura in talibus causæ succumbat, nec cum eâ pugnet.

Cognoscuntur etiam ab effectibus seu symptomatibus ; quia nullum adesse magnum aut vehemens symptoma, & nihilominus tamen laborantem esse anxium, inquietum, summè debilem, signum est malignitatis: sic etiam si malum parùm remittit, & à leui remissione iterum celeriter exacerbatur. Insuper adsunt sudores & excretiones in principio, & iis æger non leuatur, & simul extrema esse frigida, & peruigilium adesse.

A principio quoque corripi ægros summo cum dolore & tensione hypochondriorum, horrere sine causa, incalescere, sudare, sanguinem è naribus stillare, maximè si febricula sit lenta, & reliqua signa appareant veluti salutis; in principio apparere tumores paruos & minores, quàm morbo conueniant; inter plura signa nihil aut parum ostendentia vnum adesse valdè malum & pernitiosum, fraudulentum est & signum malignitatis; sine magnâ febre dentes nigro lentore abduci, & linguam esse acidam ac nigram, & cum tali siccitate non sitire ; faciem mox à principio morbi esse indicibili quodam modo mutatam ; oculos calidos & rubicundos, cum colore subfusco carnis circumpositæ, & palpebrarum demissione seu conniuentiâ ; pulsum in magnitudinis febris comparatione paruum valdè esse, cum incredibili celeritate & frequentiâ; à paruâ

euacuatione vires esse valde deiectas, & statim pulsum paruum, inæqualem & frequentem fieri; deliquia animi frequenter sine causâ obuenire, omnia sunt signa malignitatis. Porrò maximus capitis & cordis dolor, isque mox à principio, corporis citra magnum dolorem inquietudo, inappetentia magna, vomitus, nauseæ sine causâ, difficultas respirationis, corporis intumescentia, excrementa valde esse mutata, æruginosa, nigra, vel flaua admodùm; sudores pauci frigidi per frontem ac ceruicem tantùm emanantes, vrina pauca intensè rubra subiugalis cum sedimento crasso, oleosa, viridis, nigra & similia, ad signa malignitatis sunt referenda.

§. III.

Signa morbi longi & breuis.

Longitudo ac breuitas morbi à variis noscuntur; à morbi specie, motu, prauitate, aut magnitudine, à parte affectâ, viribus, à causis internis & externis, à symptomatibus, à iuuantibus & lædentibus.

A morbi specie: quia morbi acuti sunt breues; acuti sunt, quia celeriter mouentur & statim habent maxima symptomata. Tales morbi breues sunt apoplexia, angina, pleuritis, viscerum & internarum partium magnæ inflammationes, febres acutæ & ardentes, &c. Morbi longi sunt paralyses, obstructiones, scirrhi, phthisis, hydrops, calculus, quartana, elephantiasis, morbus gallicus, scorbutus, podagra, melancholia hypochondriaca, vlcera interna, &c. Morbi omnes magni & maligni sunt breues; quia naturam citò prosternunt. Morbi parui etiam sunt breues; quia citò à naturâ superantur, vt ephemera febris omnia itaque signa, quæ indicant morbi magnitudinem, indicant etiam breuitatem. Morbi in passiuis qualitatibus tardè curantur, maximè in siccitate; vt in hecticâ & hydrope patet; in actiuis verò, & maximè in calore sunt breuiores difficilibus; morbi plures simul iuncti, cum vires sunt robustæ, faciunt longitudinem; cum vires sunt debiles, breuitatem, quia citiùs hominem perimunt. Morbi similes naturæ, ætati, regioni, &c. sunt diuturni, quia ab illis fouentur. Morbi etiam, qui per accessiones inuadunt, sunt longiores continuis, simplex morbus citiùs soluitur composito. Vlcera caua, sordida, fistulosa, callosa, aliis curatu sunt difficiliora.

A parte affectâ, quia morbi, qui multas simul partes occupant, si magni sint & periculosi, sunt breuiores; si salutares, sunt longiores. Morbi calidi & magni in partibus nobilibus, sunt valde breues, nec possunt esse diuturni, in ignobilibus verò possunt; partes enim nobiles magnas læsiones non diu ferunt. In ossibus vitia diutiùs durant, quàm in carne. Neruorum vulnera seriùs curantur quàm carnis. In profundis partibus, ad quas medicamenta non possunt bene peruenire, diutiùs durât morbi, quàm in externis. Febres diu durant in corporibus vbi cutis est adstricta;

adstricta; in quibus verò non est adstricta non item. Partes calidiores, rariores, laxas habentes cauitates, per quas medicamenta assumi, & excrementa excerni possunt, citiùs curantur aliis. Vlcera ossium, pudendi, vteri, neruorum & articulorum, & quæ fouentur à continuo affluxu, humorum, sunt diuturniora. Partem affectam cordi esse vel propinquiorem vel remotiorem, morbos facit breuiores vel longiores. Apostemata in externis & remotis partibus seriùs suppurantur, quàm in cordis vicinis, ob caloris imbecillitatem. In parte quæ continuò moueri debet, vlcera seriùs curantur, vt patet in phthisi, quæ difficulter curatur, quia pulmo semper mouetur.

A robore virium: nam virium robur lætales morbos prolongat, salutares abbreuiat; & contrà virium imbecillitas lætales morbos abbreuiat; cùm sic ob earum imbecillitatem natura minùs valeat causæ morbificæ resistere; salutares verò prolongat.

A causis: à bile & sanguine sunt breuiores, & à pituitâ & melancholiâ sunt longiores: sic scirrhus, elephantiasis, quartana, contumaces morbi sunt; quia à melancholiâ oriuntur: paralysis, podagra, obstructiones, catarrhi; quia à pituitâ. Causæ magnitudo, multitudo & glutinositas in acutis celeritatem, in longis diuturnitatem parit. Mobilitas humorum & turgentia morbi faciunt celeritatem, non solùm in lætalibus sed & salutaribus. Errores, qui in ægris committuntur, salutares morbos prolongant, lætales abbreuiant. Ætas, Regio, anni tempus morborum etiam celeritatem causant vel longitudinem, nam morbi frigidi in senibus diutiùs durant, quàm in iuuenibus. Frigidarum regionum morbi sunt diuturni; autumnales quartanæ diuturniores sunt æstiuis. In corporibus pessimâ dispositione præditis, si morbus occidit, occidit celeriùs; si curatur, curatur seriùs. Qui calido sunt temperamento breuioribus laborant morbis, quàm qui frigido.

A symptomatibus omnium optimè breuitas ac longitudo morbi cognoscitur: In quo morbo symptomata multa & magna statim fiunt, & symptomata pathognomonica statim valdè augentur, & epiphænomena statim superueniunt, ille morbus breuis est futurus; id est, cuius morbi motus est celer, is quoque breuis est futurus; nam qui citissimè suum principium & augmentum transit, & statim ad statum venit, is breuis est futurus; contrà, qui illis temporibus diu hæret. An autem sua tempora citò & celeriter transeant, ex symptomatum incremento & epiphænomenorum superuentu cognoscitur; quapropter omnia illa signa, quæ apta sunt morbi tempora indicare, etiam possunt indicare morbi breuitatem vel longitudinem. Si morbus per paroxysmos inuadat, & paroxysmi anticipent, si sint intensiores, morbus erit breuis; si contrà, diuturnus. Accessio æqualis breuiorem, inæqualis & inordinata longiorem morbum indicat. Febres, quæ tertiâ die recurrunt, sunt breuiores; longiores, quæ quotidie; longissimæ, quæ quarto quoque die recurrunt. Plerumque symptomatum magnitudo morbi breuitatem indicat. Est

tamen distinguendum ; nam in morbis lætalibus, quò symptomata sunt maiora, eò ipsi morbi sunt breuiores; in salutaribus verò quò maiora, eò sunt longiores : contrà, cùm minora symptomata, quæ acutos morbos indicant, vt febris continua, pulsus celeritas, magnitudo, capitis dolor, sitis, vigiliæ, deliriũm, linguæ ariditas & nigredo, inquietudo, anxietas, vrina rubicunda, &c. signa sunt breuium ac celerum morborum. Morbi qui facultates animales afficiunt, sunt longi, nisi respiratio grauiter lædatur. Morbi qui naturales facultates afficiunt sunt breuissimi : qui vitales, quò plures facultates afficiuntur, eò morbus maior est ac breuior.

Ab excretis, sic breuitas cognoscitur, cùm signa concoctionis apparent, & quò ea citiùs apparent, eò breuior morbus erit, nisi errores interueniant. Cùm concoctio perseuerat, breuior morbus est, quàm cùm est interrupta. Si concocta facilè & sine labore excernuntur, breuitatis morbi indicium sunt; præcipuè si excretio continuetur; nam si cessat, vel mortis vel salutis indicium est. Ea quæ & substantiâ & colore variant, morbi longitudinis indicium sunt : nam varij colores varios humores & varias dispositiones indicant, quæ difficilius vincuntur. Vnde Hipp. *in Aphor.* dicit; *frigidos sudores & deiectiones varias in morbo salutari longitudinem indicare*; dicit *(in salutari)* quia in lætali mortem accelerant. Excrementorum crassities & viscositas in acutis & lætalibus morbis breuitatem ac celerem mortem : in salutaribus tardam curationem indicant. Aquosa sanies in vlceribus eorum longitudinem indicat. In febribus sudores crassi & tenaces earum longitudinem indicant. In pleuritide sputum tenue vel nimis crassum malum est, & citam mortem; mediocre breuem curationem ostendit. In morbis, in quibus nulla fit concoctio, quantò tenuiora sunt excrementa, tantò faciliùs euacuantur, & tantò indicant morbum breuiorem ; nam in morbis, qui concoquuntur, crassities indicat celeritatem; quia indicat coctionem : coctio enim procedit incrassando. Humores per vias latas & è directo excerni, securioris & breuioris curationis signum est, quàm contrà. Humorem extra corpus expelli, breuioris curationis signum est, quàm in apostemata conuerti.

§. IV.

Signa Morbi spurij vel exquisti.

Morbus spurius cognoscitur etiam ex iisdem fontibus. 1. Ergo ex symptomatum magnitudine vel remissione : nam in spuriis ea semper sunt remissiora. Sic tertiana exquisita, quæ ex solâ bile fit, habet maiora symptomata, quam quæ ex bile pituitæ permixtâ. Sic pleuritis spuria non est tam vehemens sicut exquisita. Cognoscitur etiam ex motu morbi; nam morbum habere citissimum motum, & citissimè sua tempora pertransire,

transire, & ad statum venire, breuem; & symptomata statim crescere & augeri, accessiones ipsas esse magnas & intensas, signum est morbi exquisiti, & ex calidissimis humoribus orti: contraria verò spurij, & ex pituitâ vel melancholiâ permixtis geniti signum sunt.

Ab ipsâ etiam morbi essentiâ cognoscitur: nam in febribus, si calor tactu percipitur mordax & intensus, febris est exquisita, aliud spuria.

Ab excrementis etiam cognoscitur: si sedimentum in vrinis acutorum est crassius & pituitosius, signum est morbi spurij: si humor, qui expellitur tussi, vomitu, deiectionibus, &c. non est ita bilioſus, sed habet multam materiam albam, viscidam, pituitosam aut serosam admixtam, morbus spurius est. Sic in pleuritide sputum minus flauum, sed albicans, signum est pleuritidis nothæ.

A parte affectâ: etenim morbus dupliciter spurius est, & ratione causæ, & ratione partis affectæ; sic in pleuritide dolorem ad scapulas ascendere est signum pleuritidis veræ & exquisitæ; quia signum est eam esse in costis veris: descendere verò eam ad hypochondria, signum est eam esse in costis mendosis. Sic in anginâ respirationem & deglutionem esse difficillimas, & exteriùs nullum tumorem apparere, nec dolorem ad tactum exacerbari, signum est anginæ veræ; quia est signum phlegmonis existentis in musculis internis faucium: at illa contrario modo se habere, signa sunt anginæ spuriæ.

§. V.

Signa Morbi primarij vel per consensum.

Ex iisdem etiam fontibus petuntur: petuntur scilicet ex morbo, parte affectâ, causis, symptomatibus, iuuantibus ac nocentibus, &c.

A morbo; quia si præcessit morbus in parte vnâ, & sequatur morbus in aliâ parte, est indicium morbum secundum esse per sympatheiam; maximè si partes sunt tales, quòd inter se solent habere sympathiam. Sic si quis oculos caligine obductos habeat, & simul adsit dolor stomachi vel præcesserit, indicium est caliginem illam esse per sympathiam stomachi; maximè si oculi per se non videantur malè habere: hoc manifestiùs erit, si vnâ parte malè habente altera etiam peius habeat; & contrà. Vbi magnitudo est signum protopathiæ, remissio & paruitas est signum sympathiæ; maior enim est morbus per protopathiam, quàm qui est per sympathiam: sic intensissimus dolor capitis non potest esse nisi per protopathiam; mediocris etiam potest esse per sympathiam. Symptoma ergo esse minora, & etiam non esse omnia, quæ in morbo per protopathiam adesse solent, signum est sympathiæ; nam morbi per protopathiam in eodem magis tenore perseuerant, quia causa eorum semper est præsens parti affectæ; proinde eam perpetuò eodem &. æquali tenore afficit. Morbi per sympathiam magis per intervalla recurrunt; quia causa est absens,

absens, & tantùm per interualla parti communicatur; sic mala & dolores, quæ secundum accessiones febrium in aliquibus partibus oriuntur, sunt per consensum.

A parte affectà hoc etiam colligitur: nam si pars affecta talis sit, vt alicuius alterius consensu pati nata sit, cùm ipsa affecta est, per consensum laborare suspicio est. Sunt enim in corpore aliquæ partes, quæ aliarum consensu magis affici solent: sic caput ventriculo condolere consuevit, & etiam contrà, ventriculo affecto, dolores capitis sequuntur: capite læso, vt in vertigine, cranij fracturâ, ventriculi nausea & æruginosæ bilis vomitio subsequuntur. Caput etiam vtero summè condolet, maximè eius pars posterior: non rarò etiam intestinis, vt in vermibus puerorum patet. Ventriculus etiam vtero condolet, renibus, vesicæ, & intestinis; sic colicam, calculum, vomitiones, stomachi debilitas comitatur. Caput pedibus etiam consentit; nam à pedum frigiditate & humiditate capitis dolores, & refrigerationes, & catarrhi oriuntur: ab aurâ venenatâ à pedibus ascendente aliquando epilepsia contingit. Iecur cum clauiculâ, dorso, & costis mendosis circa partem dextram consensum habet. Affecto stomacho dolor sub & in dorso sentitur. Vesicâ affectâ dolor in extremo siue supremo virgæ percipitur. Vterus cum inguinibus & mammis consensum habet. Rectum intestinum cum vtero & collo vesicæ. Hinc à partu contingunt hæmorrhoïdes; à calculo vesicæ intestini recti læsa retentio: cùm enim calculo vesicæ affecti mingere volunt, etiam excrementa reddere coguntur. Aures & fauces pulmonibus consentiunt; hinc cùm in faucibus aliquid instillat, tussis subsequitur; cùm aures purgando scalprum profundiùs imponimus, itidem tussis exoritur. Cor stomacho condolet, vt in cardiacâ est manifestum. Tandem omnes partes cordi, & cor omnibus partibus principibus facilè consentit.

A causis etiam colligitur consensus: nam si causa est talis, quæ facilè vel difficulter affectum per consensum facit, ex eo, qualis affectus sit, facilè cognosci potest. Morbi qui ex pituitâ & melancholiâ sunt, non sunt per consensum. Sed magis qui ex flatibus, vaporibus, calidis tenuisque humoribus oriuntur; propterea, quod hæ natæ sint facilè ab vnâ parte in aliam ferri; illi non item. Si nullæ præcesserint causæ, quæ morbum per consensum facere potuerint, signum est eum per protopathiam ac primarium affectum esse.

A symptomatibus signa capiuntur; nam in quâ parte symptomata priùs apparuerunt, illa ægrotat per essentiam: in quâ secundò, illa per sympathiam. In quâ priùs etiam desierit, illa per consensum laborat, in quâ diutiùs perseuerat, illa per essentiam. Symptomatum magnitudo, vt dictum est, indicat protopathiam. Nonnulla symptomata aliis magis per consensum fiunt: sic capitis dolores, vomitiones, peruigilium, delitia, deiecta appetentia, sæpe non vicinæ partis, sed remotarum consensu fiunt.

A iuuantibus & lædentibus etiam signa capiuntur: sic dolente capite si remedia ventriculo adhibeantur & prosint, signum est dolorem capitis vitio ventriculi esse factum; sin minus, primario vitio cerebri.

Verùm Notand. 1. In hâc morbi primarij ac per consensum indicatione interdum deceptionem contingere posse; nam, vt docet Auerrhoës 4. *Coll. cap.* 45. sæpe affectus putatur esse per sympathiam, cùm tamen reuerâ sit per essentiam. Pro quo sciendum est, consensum esse duplicem; alium accessionis, alium morbi; potest morbus secundum accessionem aliquam esse per consensum, & tamen secundum se totum esse per protopathiam: verbi gratia, potest esse, quòd quis habeat caput valde debile & alio vitio affectum, sic tamen, quòd illud vitium in eo non causet dolorem; tùm ascendente aliquo vel minime vapore ex ventriculo, qui aliàs, si caput non ægrotaret, non esset sufficiens dolorem inferre caput dolebit; ille dolor est quidem per consensum secundum illam accessionem, & tamen caput interdum est reuerà affectum per essentiam. Morbus ergo, & debilitas, & læsio in capite est per protopathiam, sed tamen illa accessio doloris est per sympathiam. Ex hoc autem potest deceptio contingere; quia ex hoc, quod ille dolor propter aliquorum vaporum ascensum colligatur esse per consensum, posset cogitari, quòd cerebrum tantùm per consensum ægrotaret, & nullus sit in eo affectus aut debilitas per consensum; cùm tamen contrarium esset verum. Sic potest aliquis laborare Epilepsiâ per essentiam, & tamen fieri, vt eius accessiones aliquæ aliquando fiant per consensum. Qui autem videret illas accessiones esse per consensum, si ex eo iudicaret totum morbum esse per consensum, iste absque dubio in eius curatione grauiter erraret.

Nota 2. quòd pars, quæ antea semper per consensum laborauit, tandem etiam idiopathiam induat; ex quo etiam deceptio fieri potest quia si ex eo, quòd antea per sympathiam laborauit, iudicaremus, quod post & semper adhuc sympathiâ laboraret, erraremus; sympathia enim paulatim in idiopathiam transit, vel secundum totum, vel saltem secundum partem. Hoc autem an factum sit, cognosci ex eo potest; quia si pars mandans & primariò affecta meliùs habeat, & tamen secundarius affectus propter hoc non iuuatur, signum est partem secundariò laborantem etiam affectum aliquem per essentiam induisse, aut morbum primarium admisisse.

Nota 3. quòd aliquando duæ partes ab vnâ eademque causâ lædantur; in eo casu, eò quòd vna parte affectâ altera etiam afficiatur, suspicio esse potest, quòd vna pars afficeretur per consensum alterius; sed deceptio ex eo esset, quòd ab vnâ causâ vtraque æquè primariò posset laborare: sic, verbi gratiâ, ex defluxu humoris bilioſi in caput & ventriculum potest vtraque pars æquè primariò affici; sic tamen quòd priùs afficeretur ventriculus ob vicinitatem, seriùs cerebrum ob distantiam: in illo inquam casu facilè putari posset, cerebrum laborare vitio stoma-

chi;ex eo, quod cerebrum laboret posterius, ventriculus priùs;& quòd i la mala se mutuò sequantur; & vno posito alterum ponatur, & vno cessante alterum cesset;& tamen vtraque æquè primariò laborauit.

§. VI.

Signa Morbi simplicis vel compositi.

Simplex morbus cognoscitur, cùm symptomata sunt pauca, vel simplicia, & omnia eiusdem generis,& sibi mutuò consentientia,& in vnius solius affectus declarationem conspirantia. Morbi verò complicati censendi sunt, quando varia diuersi generis symptomata & ferè contraria sunt,& quæ omnia ab vno simplici morbo vix proficiscì posse videntur; & talia,quæ diuersas partes affectas esse indicant;nam cùm diuersæ partes affectæ esse indicantur, tùm verisimile est diuersos etiam esse affectus: nam pro diuersitate subiectorum diuersificantur sæpè accidentia; sic cùm est læsa visio, & simul læsa respiratio, indicantur diuersæ partes affectæ, oculi scilicet & pulmo; & consequenter indicantur diuersi & complicati morbi : vnus enim idemque affectus non videtur posse vtrique parti insidere; interim tamen iudicium hoc est adhuc incertum; nam sæpe contingit vnum eundémque morbum diuersas partes occupare,& tunc ex diuersitate partium affectarum non potest diuersitas morborum iudicari. Pro quo sciendum est, difficile esse morbos complicatos cognoscere:ratio est,quia in tali casu non est signum aliquod pathognomonicum proprium alicuius morbi, sed symptomata sunt plura ac confusa;vel non sunt sincera sed permista, & vnum est retusum ab altero, & habet aliquid de altero sibi permixtum; vnde symptomata fiunt obscura & obfuscantur, & sic nullum symptoma syncerum pathognomonicum cognoscitur:aut in multitudine symptomatum, etiamsi sincera sint,non potest sciri, quodnam ex iis omnibus sit pathognomonicum, & an sit vnum, an plura. Notandum ergo, quod morbi complicati vel sint cum sui generis morbis, vel diuersi : quando complicantur cum morbis diuersi generis, tùm illi faciliùs inter se distinguuntur;ratio est, quia tum singulorum symptomata sunt diuersa & diuersi generis, adeò vt ostendant se non posse ab vno eodemque affectu causari, sed tantùm à diuersis. At cùm complicantur cum morbis eiusdem generis,tùm difficiliùs distinguuntur; quia ob similitudinem symptomata putantur ab vno morbo proficisci. Denique illi morbi, qui complicantur vel sunt in eadem parte, vel in diuersis partibus, vel vterque in toto. Si vterque est in toto, vel eâdem parte, tùm difficiliùs distinguuntur;si in diuersis, faciliùs : ratio est, quia diuersæ partes affectæ producunt diuersas genere læsas actiones, ex quarum diuersitate dum iudicamus diuersas partes affectas, iudicamus diuersos esse morbos. Et cùm in eâdem parte sunt plures morbi, ex vnitate partis affectæ putamus vnum esse morbum;

morborum; & contra, quando vnus morbus est in diuersis partibus, ex pluralitate partium affectarum iudicamus plures esse morbos, & sic fallimur, maximè dico, quia vel ipsa pathognomonica morborum signa permixtione illâ inter se sunt obscurata; vel quia in multitudine symptomatum non cognoscitur, nec scitur, quænam ex illis sint vera signa pathognomonica, &c. Et hæc signa sunt differentiarum accidentalium & generalium. Sequuntur signa differentiarum essentialium & magis particularium: & primò intemperiei.

CAP. VII.

Signa Differentiarum morbi essentialium & magis particularium.

§. I.

SIgna morbi calidi, frigidi, humidi & sicci omnia etiam petuntur à fontibus supra dictis.

Signa Morbi calidi.

A causis: si præcesserunt causæ calefacientes; vt anni tempus calidissimum, mora sub sole, vina calidissima, alimenta calida, exercitia vehementia, balnea, ira, complexio sanguinea ac biliosa, iuuentus, &c.

A parte affectâ: quia si est cor, hepar, pulmo; de affectibus calidis: si ventriculus, stomachus, intestina, vterus, cerebrum; de frigidis suspicio est.

Ex symptomatibus: si calor tactu percipitur, si adest febris, rubedo vultus & totius corporis, vigiliæ, sitis, cibi fastidium, cutis arida, lingua sicca & nigra, pulsus magnus, celer, creber, somnia turbulenta ignis, incendij, &c. delirium furiosum, sodores, biliosa vomitio, vel deiectio, vrina rubra, morbus celeriter inuadens, & subitò maxima symptomata orientia.

A iuuantibus & lædentibus: si calidis læditur, frigidis iuuatur, &c.

Signa frigidi morbi his omnibus sunt contraria.

Signa morbi sicci.

Si præcesserunt inedia, abstinentia à potu, vel vsus vini meracioris, exercitia nimia, mora sub sole, balnea in aquis thermalibus, vt sulphureis & vitriolatis, nimiæ aliquæ euacuationes, tristitia, venus immoderata, cutis arida & rugosa, habitus constrictus, siccitas alui, sitis,

morbus valdè lentè inuadens ; nam ſiccitas paulatim inducitur ; læditur à ſiccantibus, ab humidis iuuatur.

Signa morbi humidi.

Signa morbi humidi his contraria ſunt : ſi præceſſerint pluuiæ multæ & magnæ aëris nebuloſa conſtitutio, ventus auſtrinus, tempus hybernum, habitatio ad mare vel in loco aquatico & paludoſo, in cubiculo humido & ad terram ſito, exercitium in aquis vel circa aquas, victus ratio humida, olerum, lactis, piſcium, &c. multa potio, præcipuè aquæ aut cereuiſiæ tenuis, ſomnus longus, balnea aquæ dulcis, medicamentorum humectantium vſus ; adeſt corporis mollities ac tumor ventris laxitas, excrementa aquea ac pituitoſa, ſputum multum tenue, &c. Vrina multa alba cruda, pulſus mollis rarus, complexio humida, crura œdematoſa, torpor & pigritia corporis, debilitas potentiæ motiuæ ſeu imbecillitas caloris, actiones intellectus, memoriæ ac ſenſuum debiles ac obtuſæ, diminutio facultatis retentricis, auctio expultricis ; etenim ex aliquorum ſymptomatum læſione & proprietate intemperies excedens faciliùs cognoſcitur ; aliquæ enim actiones vno, aliæ alio temperamento magis gaudent & offenduntur. Sic appetentia magis gaudet frigore concoctio calore ; vnde læſa appetentia caliditatem indicat, coctio læſa frigus : motus, ſenſus tam interni quàm externi, facultas retentrix, &c. ſicco perficiuntur : expultrix à ſicco læditur, humido gaudet.

§. II.

Signa morborum Inſtrumentalium.

Tumores & Apoſtemata interna indicant dolores, tenſio, grauitas, faciei decoloratio, partis alicuius actio grauiter læſa. Si tumores calidi ſint, modò ſint magni, & in partibus præcipuis, febricula adeſt, æſtus maximus intus percipitur, dolor magnus & punctorius, ſitis, lingua arida, pulſus magnus, celer, durus : Apoſtematum tamen in generali pauca ſigna poni poſſunt : quia præcipuè deſumuntur ab actione læſæ ipſius partis, vbi inſunt ; vel ſymptomatibus ipſi parti propriis : ſic pulmonis inflammatio cognoſcitur ex genarum rubedine, difficultate ſpirandi, tuſſi ſiccâ, grauitatis ſenſu in medio thoracis. Inflammatio pericardij iiſdem ſignis cognoſcitur ; ſed difficultas ſpirandi eſt minor, dolor eſt punctorius, adeſt delirium, &c. Inflammatio iecoris cognoſcitur ex dolore graui à dextro hypochondrio ad clauiculam vſque exporrecto, difficultate ſpirandi, tuſſi ſiccâ, ardore magno, ſiti, febre continuâ, æger in dextrum latus facilius decumbit, quàm in ſiniſtrum ; præſertim quàm diu ſtomachus eſt vacuus ; nam ſtomacho repleto & poſt cibum faciliùs in ſiniſtrum latus decumbit. Particularia ſingulorum membrorum

ſigna.

signa proferre non est huius loci, ea ex authoribus practicis, qui particulares morbos describunt, sunt sumenda.

§. III.

Signa obstructionum.

Signa obstructionum in generali sunt: si præcesserunt causæ obstruentes, vt aëri frigido, hyemali, nocturno multùm fuit expositus, si otium præcessit, somnolentia, cibi crassi succi, vt carnes porcinæ, leporinæ, ceruinæ, fructus austeri, corna, sorba, mespila, cytonea, castaneæ, potus vini crassi, austeri, nigri, si pituita multa in corpore abundat; nam illa maximè omnium humorum obstruere nata est, si tensio, si grauitas sentitur, si quæ naturaliter transire debent, vt spiritus, excrementa, &c. transire impediuntur; si talia symptomata oriantur, quæ ex tali impedito transitu oriri nata sunt: sic obstructio in neruis cognoscitur per paralysin; in neruis opticis, per cæcitatem, nullo alio extremo oculi vitio apparente: obstructio asperæ arteriæ, per læsam respirationem; faucium œsophagi per impeditam deglutitionem, & cibi ac potus per os ac nares reditum: obstructis venis meseraicis chylus per aluum excernitur, quia per venas illas ad hepar transire non potest: meatu vrinario obstructo vrina supprimitur: vnde circa vesicam tumor durus, magnus, ac rotundus fit; Renibus obstructis etiam vrina supprimitur, sed sine tumore vesicæ; lumborum autem grauitas adest. Sunt & hîc singularum obstructionum signa à practicis petenda.

§. IV.

Signa vlcerum.

Signa vlcerum internorum sunt; si præcessit vsus acrium ciborum, si salsæ pituitæ, destillationes biliosæ, multæ & amaræ bilis per aliquam partem euacuationem; si præcessit sanguinis per aliquam partem euacuatio, & succedat euacuatio materiæ albæ & purulentæ, & cum hoc dolor in aliquâ parte sētiatur præcipuè qui exacerbatur, cùm salsæ alicuius aut mordacis materiæ per illam transitus fit; si lenta febricula adest; partis actio læsa; si illi materiæ albæ ac purulentæ aliquando sit aliquid sanguinis permixtum, & per interualla sanguinis alicuius fit euacuatio, signum est interni vlceris.

CAP. VIII.

Signa Diagnostica Partis affectæ.

PArs affecta ex variis cognoscitur; actione læsâ, excrementis, situ ipsorum accidentium; vt à situ doloris, tumoris grauitatis, caloris, qui percipitur; à propriis accidentibus, quæ vnam partem propriè ac peculiariter consequuntur, aliam non: sic flauedo corporis sequitur affectam vesiculam fellis: à doloris differentiâ; nam dolor grauatiuus parenchyma, punctorius & tensiuus membranam affectam significat. Ab actione læsâ cognoscitur pars affecta; nam actio læsa indicat vitium illius partis, à quâ ipsa læditur; sic actiones animales læsæ indicant affectum cerebrum, læsa concoctio stomachum, læsa respiratio pulmonem, læsio motus neruum ac neruorum principium, læsa mictio, vesicam, &c.

Notand. autem, ob alias causas non posse sæpe bene partem affectam ex actionibus læsis cognosci. Prima causa est, quia actio sæpe læditur etiamsi illa pars, quæ primariò ac principaliter illam actionem efficit, non sit affecta, sed sæpe tantùm pars aliqua illi parti vicina, vel pars aliqua ad dictam illam actionem aliquo modo concurrens; ratio est, quia ad vnam actionem debent frequenter multæ partes cooperari & concurrere, quia actio non semper perficitur ab vnâ parte, sed sæpe à pluribus; quarum cùm vna tantum læditur, læditur tota actio. In illo casu ex illâ actione læsâ non possumus certò dicere, quænam ex illis omnibus partibus, ad vnam actionem concurrentibus, sit affecta; nam quæcunque earum affecta sit, actio semper est læsa: sic ad respirationem concurrunt trachæia, pulmo, musculi thoracis, diaphragmatis; ad visionem, tot membranæ, tot humores, neruus opticus; cerebrum, musculi ad motum, tendines, spinalis medulla, &c. ad omnes actiones concurrunt cor, & partes aliæ principes; hinc respiratione læsâ non possumus dicere, an affecta pars sit pulmo, an thorax, an diaphragma, &c. læsis actionibus animalibus non possumus certò asserere cerebrum esse affectum; quia cerebrum potest esse sanum, & tantùm cor esse affectum, vel alia pars sine quâ non; sic in syncope ob affectum cordis, in apoplexia ob carotidum obstructionem, actiones omnes animales læduntur; cerebro tamen non affecto. Actio ergo læsa non solùm indicat vitium partis principaliter actionem facientis, sed etiam alterius quaquâ ratione ad actionem concurrentis. 2. Causa est, quia actio partis instrumentalis læditur propter læsionem partis similaris, ex quâ illa instrumentalis cõstat; vnde qui ex læsâ actione instrumẽtali vellet necessariò colligere partem aliquam instrumentatẽ esse læsam, posset falli; cum possit actio instrumẽtalis esse leſa, & tamẽ non esse leſa instrumẽtalis in quantũ instrumentalis est; sic ambulatio læditur propter magnam cruris intemperiem: actiones

omnes,

omnes, etsi sint instrumentariæ, lęduntur propter febrem. 3. Causa est, quia actio aliquando læditur sine eo, quòd pars illam actionem afficiens sit læsa, sed ideò solùm læditur, quod cum aliâ verè affectâ consensum habeat. In illo casu, qui ex actionis alicuius læsione iudicaret, partem illius actionis efficientem læsam esse, erraret; cùm possit eius actio esse læsa & ipsa tamen esse sana. Hoc autem contingit in iis partibus, quæ inter se mutuò consensum habent: sic ex dolore capitis non potest colligi cerebrum aut caput esse affectum, quia potest caput dolere, & nullum esse in eo vitium, sed tantùm in stomacho, vel vtero, vel aliis cum quibus consentit: sic ore stomachi laborante; cor etiam vehementer afficitur: In icteris magnâ affectione singultus sequitur; vtero laborante respiratio læditur. 4. Causa est, quia interdum multæ actiones læsæ & multa symptomata simul concurrunt; tunc autem est difficile partem affectam cognoscere; nam vnum symptoma indicat vnam partem affectam, aliud aliam; & sic non potest verè pars affecta dignosci; & non potest distingui, an sit vna affecta an plures, & an vna sit affecta per consensum alterius, an vtraque æquè primò ac per se affecta sit. Hoc autem contingit in morbis magnis, qui multa variáque symptomata inferunt, & propterea difficile est in iis partem affectam bene distinguere. Quando omnia symptomata coincidunt in iudicando partem affectam, tunc quidem illa euidenter cognoscuntur; sed quando sunt diuisa, vt hæc hanc, illa aliam partem affectam indicent; tunc non bene scitur, an sint plures partes affectæ, an vna tantùm; & an aliæ tantùm afficiantur propter affectum prioris; & quæ sit illa, quæ primariò afficitur, hæcne an illa. Cùm affectæ partes plures sunt vicinæ, & in communem actionem conspirantes, tunc difficilè est verè & primariò affectam bene distinguere: facilè autem, cùm sunt remotæ, & ad diuersas actiones natæ; nam cùm sunt vicinæ & in eandem conspirantes, tunc habent symptomata similia, adeóque signa communia; nam quæcumque tunc illarum partium lædatur, ferè eadem actio læditur; imò sæpe tam bene actio læditur, cum tantùm læditur pars aliqua minus principalis concurrens tantùm vt causa adiuuans, aut vt causa sine quâ non, quàm cum læditur ipsa principalis. Pro quo notandum, in illis casibus maioris certitudinis gratiâ, plura semper symptomata esse coniungenda, & ex pluribus, non ex vno tantùm esse iudicandum; & cùm ex actione læsâ solâ non potest pars affecta cognosci, etiam deberi considerari alia symptomata huic vel illi parti magis propria, ex quibus possumus in verè affectæ partis cognitionem peruenire. Not. 2. quòd ex pluribus actionibus læsis certiùs cognoscitur pars affecta, quàm ex vnâ tantùm; sic ex gustatione, tactione, & motu linguæ simul læsis certiùs cognoscitur lingua affecta, quàm ex læso motu solùm; nam potest gustus esse læsus per consensum stomachi vel cerebri; sed quando plures linguæ actiones sunt læsæ, debet ipsa lingua necessariò esse affecta. Not. 3. Quò plures actiones & quidem diuersæ sunt læsæ, eò iudicatur membrum affectum esse magis

principale

principale seu generale; sic si tantùm retentio stomachi sit læsa, non iudicatur per hoc totum stomachum esse læsum, sed eius pylorum tantùm sed si omnes actiones ventriculi sint læsæ, tunc iudicatur totus stomachus esse læsus: si tantùm visio oculi læditur & non motus, iudicatur tantùm neruus opticus esse affectus, sed si præter visum etiam motus læditur, iudicatur neruus communis esse affectus: si tantùm motus pedum læditur, obstructionem saltem esse in ramis neruorum inferioribus spinalis medullæ; sed si etiam motus brachiorum læditur, iudicatur læsio esse in superiori ramo spinalis medullæ, vel in cerebro. Not. 4. Quando pars aliqua est affecta, tunc eius actio necessariò læditur; at contra, quando eius actio est læsa, tunc ipsa necessariò non est læsa; quia potest esse læsa per consensum: quapropter oportet videre, an pars, cuius actio est læsa, sit talis, vt habeat consensum cum aliâ, necne; si non habet, tunc iudicatur ipsamet esse læsa, si verò habet, suspicio est, fortè non esse læsam, sed tantùm condolere, & propterea tunc sunt signa inuestiganda, per quæ cognosci potest, an primariò, an per consensum læsa sit, & oportet videre, quæ partes, quibus condolere natæ sint, de quibus supra: oportet etiam distinguere, an partes tales sint, vt habeant actionem insitam, an tantùm influentem: quia si actio quæ læditur, est insita, indicat suam partem effectiuam per se esse læsam; sed si actio sit influens, etiamsi ipsa sit læsa, non propterea pars illius efficiens est læsa. Sic læsâ visione oculi, non propterea oculus est læsus, sed potest esse vitium in cerebro. Læso motu brachiorum & crurum non est necessariò vitium in brachiis aut cruribus; sed potest esse in spinali medullâ, aut cerebro; propterea, quod illæ actiones sint influentes.

Porrò sicut ex actione læsâ cognoscimus partem affectam, ita ex actione non læsâ cognoscimus partem non esse affectam; vnde bene sequitur, non est læsio visus, ergo oculus non est læsus: Item non est læsa respiratio, ergo non est læsus pulmo. Et sicut ex actione læsâ non semper iudicatur esse læsa pars illam actionem efficiens, sc. quando tantùm est læsa per consensum; ita contrà, sæpe iudicatur alia pars affecta, cuius consensu actio partis secundæ læsa est. Sic ex respiratione læsâ & tussi sicca sæpe colligitur affectus hepatis, ex cardiacâ colligitur affectus stomachi, ex stupore crurum affectus renum, ex vomitu post casum caluaria fracta, ex vomitu cum dolore intestina affecta in colicâ, ex pruritu virgæ calculus vesicæ.

Dolor multis modis partem affectam indicat, & ratione suæ essentiæ, & speciei, & magnitudinis, & modi, & situs, & temporis.

Ratione suæ essentiæ: nam cùm dolor est, cognoscitur affectum non esse in parte sensu carente: sic dolor arthiticus ad tendines & membranas pertinet, quia os sensu destitutum est. Dolor thoracis non potest esse in pulmone. Dolor capitis, non potest esse in cerebro, quia cerebrum sensu caret.

Ratione suæ speciei & differentiæ: quia dolor pulsatorius arterias

aut

aut partes arteriis adiacentes affectas indicat; talis dolor pulsatorius non est in peripneumoniâ, neque in hepatis inflammatione, nec in glandulis, nec liene, nec renibus; quia aliqua illorum sensu, aliqua arteriis carent. Dolor punctorius & fodicans membranam inflammatam significat; ex eoque oritur, quòd membrana ampliùs dilatari nequeat, talis dolor est in pleuritide, phrenitide, in colicâ à vitreâ pituitâ; in cephalæâ, cùm membranæ cerebri sunt affectæ. Dolor conuulsiuus tractiuus neruos affectos indicat, extensus venas & arterias, dolor latus etiam membranas affectas indicat, dolor obtusus & grauatiuus indicat affecta viscera, & partes magno sensu destitutas, & per membranas aliis partibus annexas, dolor circa pectus & caput, si ad tactum exasperatur, est externus; sin minus, est internus. Cùm dolor tensiuus aut pulsatorius est in capite, affectus non potest esse in substantiâ cerebri, sed in venis aut membranis cerebrum circumdantibus; quia cerebrum est indolens.

Ratione situs, nam vbi dolor est, ibi malum. Dolor profundus ac pulsatorius in pectore ad musculos intercostales & arteriis vicinos attinet. Dolor instar cinguli adstrictioris sub ventriculo est in vase venoso ad lienem. Dolores ventris profundi in ventriculo sunt, aut in intestinis; sublimes verò in musculis epigastrij. Dolor in imo ventre, pectine ac perinæo indicat vesicæ affectum. Profundus dolor brachiorum aut crurum ossium membranas affectas indicat. Si ex aliis signis constet vlcus esse in ventriculo, si dolor percipitur in parte anteriori, & inferiori, est in orificio superiori; si posterius autem, in dorso & inter scapulas, est in orificio inferiori.

Ratione temporis: si affectus in ventriculo existens, dum sumitur cibus aut potus, percipitur, est in orificio superiori; si verò eo tempore, quo chylus è stomacho exit, est in orificio inferiori; si toto tempore, quo cibus est in stomacho, totus stomachus est affectus, si deglutita aliquà re acri aut salsâ dolor percipitur inter deglutiendum, affectus est in œsophago; si post deglutitionem est in ventriculo. Si sût signa vlceris intestinorum, & post alui deiectionem statim oriatur dolor, vlcus est in intestinis inferioribus; si diu ante deiectionem, est in superioribus. Si dolor sentiatur parte ventris infernâ, vlcus est in crassis intestinis, si supernâ in tenuibus. Si est in thorace dolor, qui post inspiratum frigidum aërem, vaporem, vel fumum augetur, vlcus inibi est. Si post mictionem dolor sentiatur, vlcus est in vesicâ. Not. tamen, quòd aliquando ex situ doloris affecta pars non bene cognoscatur, quando scilicet multæ partes sunt vicinæ & sibi mutuò incumbentes; quia tum dolor potest tam bene vni parti quàm alteri esse communis.

Ab excrementis etiam cognoscitur pars affecta, præcipuè quando excrementa sunt alicui parti propria, aut per vnam tantùm partem transeunt; nam quando per multas partes transeunt, tunc ex iis non potest vna certa aliqua pars indicari, eò quòd ipsa sint communia omnibus: sic cùm vrina est purulenta aut sanguinolenta indicatur quidem vlcus, sed

non indicatur, in quâ parte præcisè sit; nam potest vrina esse talis, siue vlcus sit in vesicâ, siue in renibus, siue in hepate, siue in mesenterio siue thorace: si id, quod excernitur, est de essentiâ partis, tunc deducit nos in cognitionem perfectam partis affectæ; si verò non sit de essentiâ, indicat quidem eam, sed non ita certò.

A particulâ partis excretâ sumitur significatio, sic cartilago per tussim iecta, significat asperam arteriam læsam, caruncula per tussim iecta pulmonem, substantia membranosa, crassa ac viscosa, epiglottidem & laryngem, tenuis tracheiam vlceratam; Caruncula cum vrinis exiens renes, membranulæ vesicam exulceratam: ramentum cum alui fœcibus exiens, si tenuius intestina tenuia, si verò crassius & carnosum, rectum intestinum esse affectum significat. In vulneribus thoracis carnis particula exiens pulmonem vulneratum. In vulneribus abdominis dextri lateris carnea pars exiens hepar, sinistri lateris lienem vulneratum ostendit. In vulneribus capitis aliquid simile substantiæ cerebri exiens, menynges & cerebrum vulneratum. In vulneribus abdominis pinguedinem exire, vulnus esse penetrans indicium est, & peritonæum & omentum læsa. In vlceribus si ramentum ossis exit, os carioſum esse significatur.

Contenta partium exeuntia sic partem effectam indicat: vrina per vulnus exiens vesicam vel aliquam viam vrinariam læsam significat. Stercus per vulnus exiens læsa intestina; chylus exiens stomachum; chylus flaueſcens ac bilioſus tenue intestinum; sanguis exiens cùm saltu & impetu arterias, exiens sine saltu venas læsas ostendit; aër per vulnus thoracis exiens vulnus esse penetrans ac profundum & pleuram esse læsam; semen sponte effluens etiam vigilanti, vel etiam nimis crebro dormienti, vasa spermatica debilia esse indicat; sanguis exiens per oculos, aures nasum, palatum, &c. cerebri venas intus ruptas, ac menynges esse affectas; vbi sudor exit, ibi malum est. Vrina per sedem exiens intestinum rectum vulneratum vel exulceratum, simul etiam vlceratam vesicam vel perforatam indicat.

Indicant autem exeuntia variis modis; vel ratione suæ substantiæ, vel ratione viæ, per quam exeunt, vel ratione modi quo exeunt, vel ratione qualitatum, quibus sunt affecta; interdum magis vnâ, interdum magis aliâ ratione. Modo exeundi; si cum tussi exeat, prodit ex thorace vel pulmone; si cum tussi magnâ, ex thorace; si cum paruâ ex tracheiâ vel pulmone; si vomitu ex stomacho; si excreatione ex faucibus, aut palato; si mixtione ex renibus aut vesicâ; si sanguis exit saliendo, alteria aliqua est vulnerata; sin minus, vena; si multus & subitò sanguis excernitur, è magnis venis prouenit; si lentè & paucus, ex paruis; si sanguis exit cum dolore, ex partibus sentientibus promanat; si sine dolore ex partibus parenchymaticis & nullo sensu præditis; materia aliqua si exit cum dolore, vbi dolor percipitur inde exit: si statim à dolore ventris sequitur deiectio, intestina interiora affecta esse indicatur; si diu post superiora. Si

aliquid

aliquid exit purum & impermixtum, vt sanguis, pus, &c. ex proximis sedibus profluere indicatur; si reliquis excremẽtis permixtum, ex longinquis: sic in vlceribus intestinorum, si pus & sanguis exeunt ante feces, vlcus est in intetestino recto; si verò pus vel sanguis cum admixtione alterius alicuius substantiæ, vlcus est in remotioribus; eo quod in longâ viâ debeat permisceri fœcibus; si pus quod exit cum vrinâ, & vrinam antecedit, vlcus est in virgâ; si post, indicat vlceratas esse partes superiores, vt vesicam, renes, vreteres, hepar, &c.

Ratione qualitatum quibus sunt affecta, indicatur pars ægra; nam chylus flauescens excrementitius ab intestinis tenuibus, vt dictum est, promanat. Sanguis tenuis, fluidus, paucus ab asperâ arteriâ venit, spumosus à pulmone, ater à thorace; chilo permixtus à ventriculo prodit: si sanguis est excrementis mucosis permixtus, & antea per nares fluxerit, & post per os fluat, ex capite in tracheiam delapsus esse censeri debet. Fœtor ex vulnere abdominis exiens, læsa indicat intestina.

Ratione viæ excernendi; quia via illa siue exitus non potest indicare læsionem alicuius alterius partis, cui transitum non præbet: sic quod excernitur tussi, per asperam arteriam; quod vomitu per œsophagum; & debet prouenire ex aliquâ illarum partium, quæ cum asperâ arteriâ & œsophago habet communitatem viarum. Quod per aluum exit, à stomacho intestinis, mesenterio, hepate, prouenire debet: quod per vias vrinæ, à vesicâ, venis emulgentibus, renibus, hepate, &c. & sic è contrà, quod per mixtionem exit, non potest venire ab intestinis: quod per vomitum, non potest venire à pulmone, & sic de aliis.

Retenta, quæ exire deberent, illam partem affectam indicant: in quâ retinentur: sic menstrua retenta affectum vteri: fœces retentæ intestina; vrina retenta vesicam ac affectos renes indicat.

A qualitatibus corporis & accidentibus, (quæ tertia species est symptomatum) pars affecta cognoscitur. Color flauus oculorum & faciei folliculum fellis indicat esse affectum. Color liuidus ac maculæ liuidæ, vt in scorbuto, lienem. Rubor faciei, inflammationem pulmonis. Faciei pustulæ, maculæ, & exanthemata hepatis vitium & ardorem, faciei decoloratio in iuuenibus fœminis, vteri obstructionem, in aliis debilitatem hepatis & frigiditatem indicat.

A tumoribus corporis pars affecta cognoscitur: nam vbi tumor apparet, ibi affectus esse dignoscitur. Tumor durus sub hypochondrio dextro, nota est affecti hepatis, sub sinistro, lienis. Tumor in pube vesicam affectam indicat, sub osse pectoris, stomachum. Apostemata circa caput orta, cerebri; circa alas, cordis; circa inguina hepatis affectus ostendunt.

Calor quoque & æstuatio, quâ parte percipitur, in eâ malum esse significant. In Empyemate an pus sit in dextrâ, an verò in sinistrâ parte thoracis, cognoscitur ex situ maioris caloris, vt docet Auicenna; si linteum madidum pectori imponatur, omnibus partibus, quâ parte linteum

citiùs exsiccatur, eâ parte affectum latus iudicatur, atque pus ibi coaceruari; nam vbi pus est, ibi maior calor; vbi autem maior calor, ibi linteum exiccatur citiùs. Calor in volâ manus & plantis pedum ordinariè citra febrem, hepatis calidam intemperiem ostendit.

A murmure, & flatuum sonitu,& fœtoribus è corpore prodeuntibus etiam pars affecta cognoscitur. Si murmura in ventre percipiuntur, intestina sunt offensa; si ructus obueniat, stomachus laborat. Si concusso corpore sonitus aquæ in pectore percipiatur, in thorace aqua esse cognoscitur; si in ventre ille sonitus edatur, aqua est in abdominis cauitate: si fœtor ex ore exit; vel dentes sunt affecti, vel in stomacho vel in intestinis est corruptela. Si in alui fœcibus fœtor ille est, intestina sunt affecta: si in vrinâ, vlcus veficæ portendit.

A causis morbificis pars affecta cognoscitur. A parentibus; quia si parentes aliquibus morbis hæreditariis laborarunt, quâ parte illæ fuerunt affecti; eâdem & proles affectas esse, suspicio esse potest.

Ab ætate: sic pueri doloribus dentium & intestinorum, vermibus, veficæ calculo, solent laborare.

A sexu; nam si mulier aliqua ægrotat, de affectu aliquo vteri mox incidit suspicio.

Ab assumptis: sic crapulâ cerebrum debilitatur, &c. à crudis & flatuosis sumptis, intestina flatibus implentur & dolent, ab vsu vinorum calidorum hepar offenditur & inflammatur: à frigidorum vsu nimiâ ingurgitatione ciborum, stomachus debilitatur. Si subest aëris vitium & corruptela, cerebrum, cor, pulmones affici posse iudicatur. Lepus marinus assumptus pulmonem peculiariter lædit, cantharides veficam.

Ab exercitij genere: quia sicut exercitia certum morbi genus indicare nata sunt; ita & partem affectam, in quâ illud morbi genus subiectari solet: sic pannorum infectoribus pulmo phthisi infestari solet: deauratoribus & typorum fusoribus cerebrum & nerui solent debilitari: nautis lien intumescere & corrumpi.

Ex partium etiam quarundam naturâ pars ægra aliquando cognoscitur: sic si dolor est, cognoscitur malum non esse in parte insensibili. Sic ex pure iecto cognoscitur esse vlcus aut apostema: illud tamen in corde non esse certum est, quia cor neque vlcus, neque apostema ferre potest. Si cognoscitur pars mandans, ex eiusdem notitiâ deuenitur etiam in notitiam recipientis: nam pro certo tenetur illam affectam esse debere, quæ cum mandante sympathiam ac ductum habet communem.

A iuuantibus & lædentibus etiam pars affecta cognoscitur: si diuretica & renes expurgantia conferant, renes affecti cognoscuntur; si clysteres statim dolorem sedant, intestina; si ructus, ventriculus; si flatus emissi, intestina; si fœtida odorata & vterina iuuant; vterus affectus cognoscitur. In vulnere si frigida valde nocent, neruus denudatus esse indicatur.

Ex morbi genere etiam pars affecta cognoscitur: sic in scorbuto certum

tum est lienem esse affectum; in paralysi, neruos; in cachexiâ, hepar; in apoplexiâ caput. Si febris pallida virginum adsit, vterus laborare censetur.

CAP. IX.

Signa Diagnostica Symptomatum.

SYmptomatum pauca sunt signa, nam symptomatum pleraque sensu sunt manifesta, & ipsamet ferè sunt signa, saltem præcipua, omnium aliorum, & quia ipsamet inter omnia, ex quibus signa desumi possunt, sunt manifestissima; ideò nulla sunt signa eorum; quia nulla eis sunt manifestiora: signum enim debet esse manifestius signato. Nihilominus aliqua symptomata per se non sunt adeò manifesta; quare etiam & ipsa per signa sunt inuestiganda: & sic præter signa morborum, causarum & partis affectæ, dantur etiam signa symptomatum: illa autem petuntur ab aliis symptomatibus manifestioribus. Symptomata, quæ inuestigari possunt, sunt, an facultas attractix sit læsa: an retentio in membris non bene fiat: an concoctio, vel humorum in partibus maturatio an suppuratio in apostematibus non bene fiat: de quibus iam ordine.

An læsa sit attractio cognoscitur, si frigiditas corporis est aucta; nam calor attractionem iuuat; si corpus contabescit, sine aliâ causâ manifestâ, & tamen coctio bona sit, & nulla læsio expultricis appareat; si bonum alimentum, quod attahi debet, elabatur, vt sanguis, chylus. Læsa attractrix lienis cognoscitur ex arquato nigro; hepatis ex fluore alui chyloso; folliculi fellis ex ictero.

Signa læsæ retentricis sunt; si statim cibi etiam indigesti & post paucas horas exeunt; si adsit vomitus perpetuus; si exeunt illa, quæ retineri deberent, vt in epilepticis, stercus, sperma, sanguis: in phthisicis sudores, vomitus perpetui: in moribundis deiectiones perpetuæ.

Signa læsæ concoctricis: si æger frigidi sit temperamenti, fastidium cibi, absentia famis tempore consueto, ructus acidi, grauitas stomachi post assumptum cibum, vrina cruda tenuis, aquosa cum crasso sedimento, excrementa mucosa, pituitosa, valde fœtentia, sputum multum, vomitio aquæ multæ, mane adhuc pondus circa stomachum esse, si assumpta sint cruda, frigida, dura, glutinosa.

Defectus maturationis humorum in singulis partibus, cerebro, thorace, &c. etiam suis signis cognoscuntur, vt & defectus suppurationis; quæ hîc referre singula nimis longum foret.

SECTIO V.

De Signis Prognosticis.

PROOEMIVM.

HActenvs de diagnosticis & anamnesticis, nunc de prognosticis. Pro quo sciendum est, quod scientia prognosticandi sit valde difficilis & incerta: quæ difficultas & incertitudo pendet à variis causis, vt hîc immediatè patebit.

CAPVT I.

§. I.

HVius itaque difficultatis prognosticandi variæ sunt causæ, 1. quia in morbis multi effectus & mutationes proueniunt à causis externis superuenientibus, quas medicus non potest præuidere. Causæ illæ externæ sunt à cœlo, aëre, animi passionibus, quæ ægro aliquando contingunt, vt à tristi nuntio, iurgiis domesticis, &c. huc referuntur errata quæ committuntur tum ab ægro, tum ab adstantibus, tum ab ipso medico; quæ omnia faciunt, vt aliter eueniat in morbis, quam euenturum fuisset, si in nullo peccatum esset; talia motum, & morem & magnitudinem morbi possent variare; facere scilicet, vt ex paruis magni, ex benignis maligni euadant; possent crisim accelerare vel retardare; & possent esse causa, cur noui morbi contingerent.

2. Causa est, noui morbi superuenientes, siue ex erratis, vt iam dictum est, siue ex causis externis vel internis latentibus: ij enim totum decursum prioris morbi conuertunt, incipientes concoctiones impediunt, & destruunt, & naturæ conatus conuertunt, sæpeque faciunt, vt qui anteà videbatur conualiturus, noui morbi superuentu moriatur.

3. Causa est, quia in morbis sæpe vel iam turgent humores, vel postea turgebunt; tum autem inordinato motu per corpus fluctuant; ex quo motu incertum est, in quam partem humores sint incubituri; nam si in partem ignobilem ferantur, æger conualescit; si in nobilem, moritur. Hinc prædictio est incerta.

4. Causa est, quia, vt inquit Hipp. 8. *epid. text.* 8. *comment.* 26. *signa sæpe à similitudinibus sumuntur, circa quas sæpissimè error contingere potest.*

5. Causa

5. Causa est, quia cùm in morbis varia signa appareant, aliqua bona, aliqua mala; ad bene prognosticandum oportet illa signa inter se conferre, & conferendo iudicare, vtra aliis præualeant, & secundum ea prædicere: signa autem omnia inter se conferre, & iudicare, quænam inter ea efficaciora sint in significando, est valde difficile, vt Gal. demonstrat *cap.* 13. *lib.* 1. *de crisibus & 2. prognosticorum* 55. denique oportet conferre naturæ robur cum magnitudine morbi; hoc autem, præcipuè quando vnum ab alio non multum superatur, difficile est bene æstimare.

6. Causa est, quia futura debemus prædicere ex præsentium cognitione, seu vt effectus præsentium; at cognitio præsentium sæpe est incertissima: quare vt prædictio futurorum adhuc multò sit incertior est necesse.

7. Causa est, quia morbus sæpe est à venenatâ qualitate, & occultâ proprietate, cuius effectus sunt varij, admirabiles, ignoti; & partium mirabiles sunt consensus, propter quos eadem symptomata à diuersis membris affectis possunt prouenire.

8. Causa est, quia vt ait Auerrhoës 7. *Coll. cap.* 21. *sicut in reliqua naturâ, sic in medicinâ nostrâ miracula eueniunt:* vnde multi morbi adiudicati non rarò reuiuiscunt.

9. Causa est, quia præsagitio in Medico tria requirit; summum studium, diuturnam praxin, & magnam memoriam omnium signorum, quæ toto morbi decursu contigerunt, vt sic ea valeat prudenter simul connectere, & conferre: at illa omnia pauci medici habent. Ergo, &c. & ideò prædictio non nisi medici experti est, qui longo vsu & experientiâ nouerit naturæ vires ex pulsu & aliis operationibus morborum causas & mores & necessitatem aut contingentiam futurorum effectuum ex causarum maiore vel minore efficaciâ æstimare; ideò Rhases 1. *continentis* 31. *monet*, ne medici statim respondeant ægris aut adstantibus, volentibus præscire, quidnam in morbo sit futurum, & Hipp. *in initio* 21. *prognosticorum* monet medicos, vt valdè sint cauti, tum in reliquâ arte, tum in prædictionibus; quia inquit, si prædictio successerit, erit in admirationem, sin minùs, in ridiculum.

Not. autem, quòd prædictio in omnibus morbis non sit æquè incerta, sed in aliquibus est certior, in aliis incertior. Dico. 1. quòd prædictio in morbis malignis & exitialibus sit magis incerta; ratio est, quia habent incertos motus, vnde possunt sæpe medicum imprudentem decipere; tales enim furtim vitæ insidiantur sine magnis symptomatibus, etiam tum, cùm adhuc notæ concoctionis apparent. 2. Dico: certior & firmior est prædictio in morbis ortis à causa externâ manifestâ & cognitâ, & occasione recenti, quàm in ortis à causâ paulatim in corpore succrescente, vel quorum nulla causa cognoscitur: ratio est, quia in illis morbis quantitas causæ cognita est, quæ declarat morbi magnitudinem; in his verò, in quibus humor paulatim per annos coaceruatur, est difficillimum

causæ

causæ quantitatem metiri. Dico 3. prædictiones omnes sunt securiores in progressu morbi,quàm in principio morbi : causa est,quia in progressu morbi, quando morbus adultior est, & plura ac manifestiora se offerunt symptomata , magis est cognitus, quàm quando incipit, & quando symptomata nondum apparuere , nec ita sint euidentia. Accedit , quòd ex signis concoctionis mors vel salus optimè prædicatur : signa autem concoctionis post apparent , non autem in principio ; & hæc est causa, propter quam Rhases loco cita dixerit , medicum non debere statim prædicere in principio, sed solùm in progressu morbi.

Quæritur , an prædictio sit securior in morbis acutis quàm longis, 1. auctoritate Hipp. *lib.de naturâ humanâ*; vbi dicit, *in morbis , qui subitò oriuntur,& quorum manifesta sunt causæ,verissimas esse prædictiones*.prob.2. ex eo,quòd Gal. *lib. de crisibus & diebus criticis* acutorum morborum, non autem diuturnorum prognosin explicauerit ; quo videtur indicare, in diuturnis morbis nullam esse prognosin: nam si in illis maior certiorque esset prædicendi occasio , vtique non minùs prædictiones in diuturnis quàm in acutis tradidisset. prob.3.quia signa criseos acutorum sunt maiora & magis clara , quàm diuturnorum ; diuturnorum enim morborum materia magis altè infixa iacet præcordiis, & est frigida, & difficulter coquitur , & coctionis eius signa sunt obscura & tarda ; & cum eorum humores sint frigidi ac lenti, non possunt à naturâ ita exactè expelli, sicut materia acutorum,quæ est tenuis & fluida ; & ita diuturni morbi non ita profectè soluuntur vt acuti , & ideò magis repugnant, quàm acuti ; & sic eorum prædictio est incerta, cùm sæpe recrudescant, quando putantur curati, quod non videtur ita fieri in acutis. 4. quia dictum est, errata, quæ in morbis contingunt esse vnam causam incertitudinis prædictionum ; at plura errata contingunt in morbis longis, quàm in acutis , ob longitudinem durationis eorum. E. Hinc Rhases *Aphor.* 19. 21. Aphorismum exposuit his verbis : *acutorum incertus est exitus : Ergo incertior*, inquit, *erit exitus diuturnorum*.

Pro resolutione dico , prædictiones esse incertiores in acutis morbis, quàm diuturnis : hoc docent manifestè Hipp. & Gal. 2. *Aphor.*19. & ratio est, quia in morbis acutis humores turgent, & in hanc vel illam partem feruntur. Ille autem humorum tumor siue turgentia est causa , cur prædictiones sint incertæ , vt supra. Denique in acutis humor est mordax, & ideò intempestiuè aliquando facultatem irritat : ex quo multa præter ordinem fiunt,& præcipuè in iis talis fit irritatio, qui bilioſi sunt & acuto sensu præditi.

Ad argumenta in contrarium Respond.

Primò ad loca Hip.*lib.de natura humanâ*:non ibi velle Hipp.in morbis acutis esse magis certas , sed dicere,quòd in omnibus morbis tam acutis quàm diuturnis,in quibus morbi causa est recens, externa , & manifesta, prædictio sit certior quàm in iis, quorum causa est occulta & interna,& paulatim ac latenter in corpore genita.

Ad

Ad 2. Galenum ibi docere, morbos acutos quidem habere crebriores crises, non tamen negare, quin diuturni etiam suas habeant, etsi non ita manifestas. Interim tamen etsi crises acutorum, & signa criseos eorum sint clariora & euidentiora, non ideo sequitur, quod propterea signa exitus illarum criseon sint certiora.

Ad 3. Etiam materiam acutorum sæpe in præcordiis latere; & etsi signa critica sint certiora in acutis quàm in diuturnis, non tamen ideò sequitur omnia signa salutis vel mortis in acutis quàm diuturnis esse certiora; non enim signa critica sola sunt signa salutis & mortis, sed etiam multa alia, quæ tam bene, & quidem meliùs possunt ostendere quid futurum sit in diuturnis, quàm in acutis.

Ad 4. Propter diuturniorem morbi durationem posse plures errores committi in diuturnis, quàm in acutis; sed hoc est externum: & nos hic tantùm loquimur de certitudine prædictionis, quæ desumitur ex naturâ & essentiâ morborum, non de illâ quæ fit propter errata externa, quæ errata non comittuntur neque necessariò nec semper, & possunt non fieri, imò possunt interdum maiora fieri in vnâ horâ, quàm in multo tempore; cui accedit, quòd etsi in diuturnis possint committi plura errata, tamen quæ cómittuntur in illis non sunt ita dãnosa sicut quæ committũtur in acutis; quia quæ committuntur in diuturnis possunt corrigi; datur enim tẽpus & curandi occasio, in acutis non itẽ: cùm occasio sit præceps in acutis; & erratum paruum in maximis morbis etiam sit magnum.

Cùm igitur prognosis difficilis sit ac incerta, quæritur quomodo se medicus gerere debeat, vt sine errore prognosticet. Dicit Celsus *lib. 6. cap. 3.* Medicum vt omnia signa, ex quibus prædicere debet, obseruet, debere assidere ægroto in lumine, & ex opposito eius; ratio est; vt cùm maxima signa, salutis vel mortis ex colore vultus, linguâ, nasi acumine, oculorum splendore vel cauitate petantur, ipse illa omnia discernere debet, quod non posset bene facere, si ægrum in tenebris iacentem visitaret. 2. debet medicus videre, vt in morbis malignis acutis, & generatim in morbis, in quibus diximus incertam esse prædictoinem, non facilè aut temerè iudicet, sed cum quadam dubitatione. 3. Etiam cum signa coctionis & salutis adsunt, adhuc non debet medicus absolutè prognosticare, nisi cum illâ clausulâ (nisi error aliquis committatur). Sic faciebat semper Galen. vt ipse refert, *libro de constitutione artis cap. 18. & 1. de diebus decretoriis cap. 11.* sæpissimè enim errores & externæ causæ incidunt, quæ totum bonitatis statum ex improuiso immutant: iis causis tantum tribuit Galen. vt 6. *de morbis vulgaribus cap.* 8. dixerit, *silenum custodem palæstræ ob aquæ potum interiisse; & alium quendam mortuum esse, eò quod intempestiuè sanatus esset, vt refert ibidem lib. 1. sect. 3. comm. 29.* 4. debet Medicus cauere, ne suas prædictiones faciat in principiis morborum: epiphænomena enim signa, ex quibus de salute & morte iudicatur non statim, sed postmodum apparent: hinc Galen. dicit 3. *de locis aff. cap. 3.* Se nunquam in suis prædictionibus errasse, eò quòd semper signa

coctionis expectaret, antequam prædiceret, etenim 3. *de crisibus cap.* 8. dicit, se nunquam vidisse morientem, cui signa concoctionis apparuerint. 5. debet cauere, ne faciat suas prædictiones, quamdiu humores turgent, & sunt inquieti; sed quando iam quieuerunt: alioqui prædictio erit incerta & temeraria. 6. non debet Medicus prædicere ex vno signo solo, sed ex omnibus simul collatis; & debet omnia signa inter se conferre, & secundum ea, quæ præponderant, debet suam prædictionem facere; ex quo non debet signa semper numero sed dignitate inter se comparare: vnum enim signum solum aliquando plus indicat, quàm multa alia simul sumpta; maximè autem debet virium robur cum magnitudine morbi conferre: ex eâ enim tota ratio exitus morbi ad vitam vel ad mortem pendet. 7. Medicus potest multò esse facilior in prædicendo mortem quàm vitam; nam si promittat vitam & contingat ægrum mori, infinitam parit calumniam; putatur enim per ignorantiam suam mortis causa esse; sed si mortem prædicat, & æger conualescat, non refert calumniam, sed potiùs gratiam; & putatur morbum lætalem suâ doctrinâ & diligentiâ superasse: & sic etsi malè prædixit, tamen bene curauit, quòd homines pluris faciunt, quàm bonam prædictionem. 8. non debet medicus temerè prædicere mortem; vel si prædicat mortem non debet tamen ipsi ægrotanti dicere, sed solùm adstantibus: nam imprimis per hoc æger consternatur & desperat, ex quo morbus ingrauescit. Secundò; quia medicus, qui prædicit mortem, facilè ab ægro aut amicis dimittitur, & aduocatur alius, qui promittit sanitatem; putant enim eum qui prædicit mortem, de propriis viribus diffidere; & credunt fortè morbum non esse adeò difficilem, sed medicum esse tam indoctum, qui non valeat talem morbum curare; & sic factâ prognosticatione de morte, & tamen superueniens secundus casu morbum curet, omnis prioris medici fama destruitur.

Quæritur, quid medicus in morbis debeat scire prædicere; seu quarum rerum prognostica sint signa? Hipp. *lib. de diebus decretoriis in principio*, & 3. *Epid. sect.* 3. *in fine*, docet medicum debere tria scire prædicere. 1. futuras anni tempestates, ac morbos, qui ex illis oriuntur, seu morbos, sanis euenturos. 2. præsentium longitudinem seu breuitatem. 3. morborum præsentium exitum ad vitam vel ad mortem. Verùm futuras anni tempestates & morbos, qui sanis ex iis proueniunt, docere non est huius loci, nec hoc solent medici communiter tractare inter prognostica; nam inter prognostica non tractant medici de morbis, qui sanis sunt euenturi, sed quis exitus ægri ex præsenti morbo sit futurus. Restat igitur, quòd duo reliqua debeant prædici; sub exitu autem ad vitam vel ad mortem continetur modus exitus eorundem.

§. II.

§. II.

Signa Prognostica quid significent.

Per Prognostica tria colligi & præuideri debent: 1. exitus morbi ad vitam vel ad mortem, id est, an æger sit conualiturus an moriturus. 2. morbi breuitas vel longitudo, id est, an diu sit duraturus, necne. 3. modus exitus, id est, quomodo & quâ ratione morbus sit finiendus, an per crisim, an simplicem solutionem: & si per crisim, quo tempore, & per qualem crisim, & per quas vias: si per solutionem, quo etiam modo, & quâ ratione illa sit futura. De illis ergo tribus distinctè tractabimus.

§. III.

Signorum Prognosticorum fontes.

Signa omnia vel sunt causæ, vel effectus, vel coëffectus suorũ signatorũ signa prognostica non possunt esse effectus; quia quando aliquid est signũ vt effectus, tunc est signum suæ causæ: ergo quod est signum vt effectus, debet esse signum alicuius, quod est prius: nam causa est prior suo effecto: ergo quod est signum vt effectus, non potest esse signum alicuius futuri. Ex quo sequitur, quòd prognostica signa non possint esse signa vt effectus. Quando verò aliquid est signum vt causa; illud est signum sui effectus; effectus autem est posterior; itaque præsentis vel futuri: præsentis, quia aliquando effectus est simul cum suâ causâ: futuri quia aliquando post sequitur; ergo quæ debent esse signa futurorum, ea debent esse signa vt causa. Coëffectus etiam possunt indicare futura; nam quæ sunt signa vt coëffectus, indicant coëffectum, sic nimirum, si vnus effectus adest, ergo etiam alium effectum adesse vel adfore necesse est. Signa ergo prognostica sunt signa vel vt causæ, vel vt coëffectus. Nonnulla significant vt causæ; vt morbus, causa morbi, pars affecta, naturæ vires, & omnia, quæ ad naturam referuntur, vt consuetudo, temperamentum, ætas, &c. Sic si morbus sit malignus in parte nobili constitutus, si causa eius venenata, copiosa, in occulto latitans, futuram mortem indicant, per hoc quòd mortem faciunt, & sic sunt signa mortis vt causæ. Nonnulla significant vt coëffectus, & talia signa sunt symptomata; omnia enim symptomara inter se sunt coëffectus, id est, effectus procedentes ab vnâ eademque causâ, nempe morbo: & sic vnum symptoma indicat alterum futurum vt coëffectus. Vbi tamen adhuc notandum, quòd symptomata, quæ mortem faciunt, vt difficultas respirandi, dolor intolerabilis, vigiliæ immodicæ, superfluæ euacuationes, & plerumque reliqua symptomata indicant mortem, vel futurum in morbis euentum vt coëffectus: sic stridor dentium, conuulsio, delirium inquietudo, spontaneus fluor lacrymarum & excrementorum, sudor frigidus, lingua arida, oculi caui, nasus acutus & similia infinita,

significant mortem non vt causæ ; quia ista mortem facere non possunt; sed significant vt coëffectus, quatenus etiam indicant mortem futuram esse, & effectus istius causæ, cuius etiam ipsi sunt effectus, indicant: ergo symptomata futurum statum & vt causæ & vt coëffectus indicant : nam in quantum sunt symptomata, non indicant in ratione causæ, sed tantùm in ratione coëffectus; quia symptomata quando indicant in ratione causæ, tunc non indicant vt symptomata, sed quatenus, cùm modum excedunt, naturam causæ induerunt ; tunc etiamsi ratione morbi quidem sint symptomata, tamen vi illius, quod induunt, sunt causæ morbificæ ; & sic symptomata vt symptomata non indicant futura, nisi vt coëffectus, non vt causæ. Prognostica, quæ indicant vt causæ, sunt certiora; nam talia sunt causæ eorum, quæ prædicuntur. Futuri autem euentus ex nullo meliùs, quàm ex præsentiâ causarum cognoscuntur. Coëffectus sæpe etiam optimè indicant futura, præsertim cùm causæ, ex quibus ea prædici deberent, sunt latentes; sæpe enim morbus & morbifica causa latent; tunc autem ex symptomatibus & effectibus, qui manifesti sunt, futura meliùs cognoscuntur: talia autem symptomata & effectus sunt coëffectus eorum, quæ indicantur. Cùm igitur futurorum omnium duæ sint causæ, morbus & natura, quæ inter se luctam ineunt, & quicquid in morbis fit ab illis duobus necessariò fit; ideò ab illis duobus necessariò ac præcipuè omnia prognostica sunt desumenda; maximè ex comparatione eorum inter se; sicut enim ex consideratione luctantium colligitur, quis sit futurus euentus, ita etiam ex consideratione naturæ & morbi luctantium inter se & omnia reliqua, à quibus prognostica desumi possunt, ad ea referuntur : ad morbum refertur morbi causa interna & externa, subiectum morbi, id est, pars affecta, symptomata, &c. ad naturam, habitus consuetudo, ætas temperamentum, &c. Ab his ergo omnibus prognostica desumuntur. Ad ea ergo procedendum, ponendo de prognosticis primò regulas quasdam generales; posteà particulares à particularibus fontibus desumptas.

Cap. II.

Signa Prognostica exitus morbi ad vitam vel mortem: & primò, Regulæ generales.

1. Quò plura concurrunt signa eiusdem vel diuersi generis, eò certius est præsagium.

2. Signa multa mala, etiamsi per se non sint pernicioſa, tamen concurrentia mortem indicant.

3. Aliquando ad conualescendum omnia signa bona adesse debere est necessum ad moriendum autem sufficit aliquando adesse vnum malum : sic si aliquis pus expuat, in quo nulla tamen alia signa praua appareant,

reant, illud vnum tamen malum, scilicet sputum puris, est lætale, & non obstantibus omnibus bonis, indicat mortem secuturam.

4. Aliqua signa mala, si non sunt valde mala, ab vno signo bono aliquando superantur; & aliquando vnum signum egregiè malum potest multa signa bona facere suspecta.

5. Bona signa sæpe malum prænunciant; sed talia signa quidem non sunt bona, sed non apparent mala: sic si grauia symptomata, vt dolor, nimiæ vigiliæ, delirium, sitis inextinguibilis, &c. aliquando in morbis cessantes sine ratione, cùm scilicet nec morbus ipse videatur diminui, nec signa concoctionis adsint, videntur illa signa esse bona, sed tamen sunt suspecta & malum prænuntiant; indicium enim sunt vel materiam dolorem & alia symptomata inferentem, aliò transferri, & partem aliquam principem posse inuadere, vel calorem extingui, vel facultatem aliquam emori, sc. sensitiuam: sic in phreniticis, si illi, quia antea furebant, quieti euadant, & modestè loquantur, sed tamen interim morbus non diminuatur, videtur esse bonum signum, sed est malum, quia indicat, quòd morti proximi sint.

6. In aliquibus morbis aliqua signa sunt lætalia, quæ in aliis non sunt mala, vel saltem non indicant magnam prauitatem, aliqua enim in aliquibus sunt à naturâ, & in iis non sunt mala; in aliquibus sunt ex morbo, & sunt pessima: sic aliqui habent ex naturâ pulsus inæquales & paruos; aliqui colliquationes vrinis innatantes; aliqui naturaliter inter dormiendum dentibus stridunt; aliqui palpebras inter dormiendum non claudunt; quæ omnia signa in acutis morbis essent lætalia, si non essent à naturâ; sed quando sciuntur esse à naturâ, tunc non sunt mala. Sunt aliqua signa, quæ sequuntur naturam morbi, & talia non sunt lætalia: sic delirium aut vigiliæ in phrenitide non sunt signa pessima aut lætalia; quia sequuntur naturam phrenitidis, & in phreniticis solùm designant speciem morbi; at in morbis aliis magis designant prauitatem. Mictus inuoluntarius in paralysi, somnus in læthargo non sunt signa prauitatis, sed tantùm signa pathognomonica affectus. Distinguendum ergo est, an symptomata morbi naturam, an verò morbi morem sequantur. Sunt quidem talia signa in morbis illis, quorum speciem sequuntur, mala eatenus, quatenus indicant morbum, qui est malus; sed multò sunt deteriora in aliis morbis, in quibus non proueniunt ex naturâ morbi, sed superueniunt propter morbi magnitudinem, & malum morem: quia in eis significant prauitatem; peiora autem sunt signa, quæ indicant prauitatem, quàm illa quæ tantùm indicant morbi speciem.

7. Aliquando eadem signa sunt bona, aliquando pessima: sic pessima symptomata sæpe sunt bona, si concoctionem sequantur, & in die critico fiant, ac crisim futuram indicent: sic inquietudo, delirium, anhelatio, cardialgia, sunt quidem pessima in se signa; sed si concoctionem sequantur, sunt optima, & sunt signa critica, id est, futuram crisim indicantia.

8. Mala signa quæ intermittunt, sunt mitiora continuis: sic si alicui morbo superueniat conuulsio, delirium, dolor, euacuationes immodicæ, &c. quò illa symptomata sunt magis continua, eò sunt peiora; si verò intermittunt, etsi per se sint mala, sunt tamen continuantibus meliora.

9. Mala quæ præter rationem eueniunt, non sunt formidanda: sic ex humorum commotione, vel prauis ex aliquâ parte vaporibus aliò propulsis, varia aliquando oriuntur symptomata, quæ tamen, si morbus periculo vacet, seu ex naturâ suâ non sit periculosus, nullum etiam periculum minantur.

10. Si quid, quòd iuuare solet, noceat, & quidem eo tempore, quo deberet esse vtilissimum, est lætale: Sic Hipp. *in quo morbo somnus laborem facit, est lætale:* Si somnus, qui aliàs in morbis solet desiderari, & plerumque esse bonus & alleuiare ægros, debilet, est lætale; indicat enim roboris & virium maximam deiectionem.

11. Meliorum contraria sunt peiora; sic meliora sunt salubriora, si quarto die appareant, quàm si alio die: & contra peiora sunt signa mala, quæ illo die apparent, quàm quæ alio; nam quæ bona sunt, ea sunt meliora diebus decretoriis, quàm in aliis; è contra verò, quæ sunt mala, peiora sunt in die decretorio, quàm in alio.

12. Quicquid salubre est, id omne salubrius est, dum est æquale, quàm dum est inæquale; & contra quod malum est, eò est deterius, si est æquale: sic in vrinis bonum sedimentum melius est, si est læue & æquale; sedimentum verò malum eò est peius, quò est æqualius: sic pulsuum parua inæqualitas melior est, si sit inordinata, peior si sit ordinata; cùm tamen contrà ordo in aliis pulsibus sit laudabilis; in prauis tamen inæqualitatibus est culpabilis; sic sudor ex toto corpore effluens calidus melior est eo, qui per aliquam partem tantùm effluit, si modò morbus sit vniuersalis; frigidus verò sudor ex toto corpore effluens peior est eo, qui tantùm ex aliquâ parte effluit: malum quò plures partes occuparit, eò deterius est.

13. Remotio & absentia illorum, quæ obsistere possunt, facit prædictionem certiorem, sic si futura crisis per sudores expectetur, longè certior euadet, si vrinas intercipi contigerit; indicium enim est, quòd natura serum futuris sudoribus euacuandum reseruet: sic si per sanguinem euacuatio sit futura, certius est signum, si aluus supprimatur.

14. Contraria contrariis superuenientia sunt bona: sic hyems tollit morbos æstiuos, æstas hyemales: sic pueri, qui morbo comitiali laborant, superueniente mutatione ætatis liberantur: sic suppressioni superueniens euacuatio eam tollit: sic hæmorrhoïdes lienosis superuenientes, eos curant, & hæc de regulis generalibus; nunc de particularibus.

CAP.

CAP. III.

Regulæ particulares de morbi exitu salubri vel insalubri.

1. EXitus morbi ad vitam vel ad mortem ex duobus colligitur, robore naturæ & morbi magnitudine; vtrum eorum vicerit, sciendum hoc morbus terminabitur; quapropter illa duo debent inter se conferri, & ex eorum inter se collatione, quid euenturum sit, apparebit; etenim si vires non sint fortes, & morbus sit valde magnus, poterit eas prosternere & mortem inferre: si vires sunt magnæ, etiamsi morbus sit magnus, modò non sit nimis magnus, adhuc potest natura eum superare: si vires sint debiles, & morbus sit magnus, necessariò debet esse exitus ad mortem. Itaque ab his duobus prognostica euentus desumuntur, & ideò ad certò prædicendum oportet inuestigare signa, quibus morborum ac virium magnitudo cognoscitur, & illa tum inter se collata inseruiunt pro signis prognosticis.

2. Morbi aliqui suâ specie ac naturâ sunt exitiales, tales sunt lepra, cancer, podagra inueterata, phthisis confirmata, spasmus, hydrops, pestis, apoplexia, scirrhi partium principium, &c. In morbis malignis prædictiones sunt incertæ, quia occultâ vi statim cor spirituſque aggrediantur; sic in peste aliquando omnibus functionibus vtentes, & vix ægroti apparentes, breui post mortui concidunt, & hæc regula desumpta est à proprio more morbi.

3. Quæ desumuntur à morbi magnitudine: morbi magni periculum inferunt; magni dicuntur absolutè, vel in comparatione ad vires. Magni absolutè sunt, qui oriuntur vel à causâ magnâ, vel qui magna symptomata inducunt, vel lædunt partes principes aut ad vitam valde necessarias, vel multas simul partes occupant. Maius est periculum, quò plures magnitudinis causæ concurrunt. Si morbus sit magnus ratione causæ & ratione partis affectæ, erit maior, quam si sit tantùm magnus ratione vnius: vt si cruda & magna intemperies occupet cor, maior est morbus, quàm si tantùm magna esset, & si tantùm cruda occuparet: vel si occuparet, & non esset magna. Magnus est etiam morbus, etsi sit in parte ignobili, qui in suâ specie est magnus, & magna symptomata infert: sic inflammatio in parte ignobili, si sit magna & inferat magna symptomata, nempe continuam febrem, aut gangrænam, erit morbus magnus. Magnus etiam potest haberi morbus, in quo materia turget in comparatione ad vires; qui magni morbi esse possunt, qui pueris, grauidis, senibus, tenerioribus, vel à prægresso alio morbo debilitatis, euenium, qui ex se non sunt magni, neque essent si euenirent hominibus robustis.

4. Quæ desumuntur ab aliis morborum differentiis, vt:

A numero ; sic morbi simplices sunt leuiores compositis ; & inter compositos confusi sunt leuiores implicitis; plures morbi simul concurrentes maius periculum adferunt, quàm vnus solus.

A loco : morbi, qui multas partes occupant, sunt grauiores propriis & peculiaribus alicui parti : qui nobiles partes occupant, grauiores sunt iis, qui ignobiles.

A motu : sic in acutis morbis incertæ sunt prædictiones ad vitam & mortem ; ratio est, quia, vt suprà dictum, ij fiunt ab humoribus tenuibus mobilibus, & turgentibus, provt in hanc vel illam partem fluctuant & decumbunt, possunt causare mortem provt in aliam salutem.

Acuti morbi sunt periculosiores, longis, & curatu difficiliores : periculosiores, quia fiunt ab humoribus calidissimis in venis ac locis cordi vicinis putrescentibus, inferunt maxima symptomata, quibus natura statim superatur : sunt etiam difficiliores curatu, quia vt est dictum, sunt maiores & periculosiores ; tales enim sunt maiori diligentiâ & prudentiâ curandi, quàm faciles, & non periculosi. 2. quia, quæ in acutis mouenda sunt, moueri debent in principio ; principium autem facilè transit antequam medicus aduocetur, vel iam vocatus antequam morbum cognoscat ; & sic interea præterit occasio agendorum. 3. Quia in acutis est breue spatium, intra quod si auxilium non prosit, æger moritur, & non datur tempus experiendi aliud vel diu deliberandi ; & si quid peccatum est in curâ, non potest recuperari aut restaurari : at in morbis longis, si in aliquo est erratum, error longinquitate temporis potest corrigi, & non est periculum. Hinc Hipp. 1. *de ratione vixtus text.* 8. magis laudat illos medicos, qui in morbis acutis minùs delinquunt ; ac si diceret, quia non errare est operosum. Et Celsus *lib.* 3. *cap.* 1. dicit, magis condonandum esse medico, qui non potest acuto morbo laborantes sanare, quàm qui non potest sanare laborantes morbo longo.

A tempore : morbi inueterati sunt deteriores & difficiliores curatu quàm recentes. Hæc regula de morbis longis loquitur ; nam acuti non possunt inueterari. Hoc docet Hipp. *libro de locis in homine*, atque ideò Aëtius *lib.* 1. *Chronicorum in proœmio* dicebat, *in morbis longis dilationem medelæ esse malam* ; *nam ob cunctationem*, inquit, *in vitia incurabilia fit prolapsus* ; ratio est, quia impacti frigidi humores paulatim calore corporis condensantur, & lapidescunt in membris, & quotidianâ accessione aliorum multiplicantur ; & tandem temperamentum naturale membri, in quo fiunt, penitùs destruunt, & paulatim omnes alias partes in consensum trahunt. Ex quo notandum, quod etsi dictum sit, acutos esse peiores longis, hoc de longis recedentibus non de inueteratis est intelligendum : nam longi inueterati tam sunt mali, quàm acuti, immò peiores. Hinc dicit Aurelianus *in diuturnorum curatione*, quòd acutæ passiones sponte suâ soluantur, naturâ vel fortunâ adiuuante ; longi verò & inueterati solâ medici peritiâ soluuntur ; & dicit ideò curationem tardarum passionum medico æternam gloriam parare.

A modo inhæsionis : morbi qui inhærent κατὰ ἕξιν, sunt peiores iis, qui inhærent κατὰ φύσιν, id est, qui tantum inhærent per modum dispositionis, sunt faciliores iis, qui inhærent per modum habitus. Hæc regula cum præcedenti ferè consentit. Morbi per idiopatheiam sunt peiores iis, qui sunt per sympatheiam. Quæ regula potest intelligi dupliciter, vel comparatione ad ipsam partem affectam, vel comparatione ad totum corpus : grauiùs laborat semper pars affecta morbo per protopatheiam, quàm morbo per sympathiam ; quia in morbo per protopatheiam causa est præsens, & in ipsâ parte affectâ ; In morbo per sympathiam abest, & per interualla partem afficit. At in comparatione ad totum, aliquando morbi per sympathiam sunt peiores iis, qui fiunt per protopathiam : vt si partes ignobiles laborent per protopathiam vlceris, vel alicuius partis incurabiliter ægræ, difficiliùs laborabunt, quàm si proprio vitio laborarent. Fixa mala sunt deteriora mobilibus ; indicium enim est, quòd humores sint solidi, densi, viscidi ; & ita membris impacti, vt dissolui, conuelli, & deduci nequeant : at si mala situm mutant, indicium est, humores mobiles esse, & facilè à naturâ excussum iri : & ideò dolores & mala, quæ antea fixa erant, mobilia fieri, est bonum signum.

CAP. IV.

Alia prognostica exitus morbi ad vitam vel ad mortem à morbi causa desumpta.

CAusæ aliæ sunt internæ, aliæ externæ ; Ab externis sumuntur prognostica sic.

1. Periculosior est morbus, cuius causa est occulta, ac latens, ac paulatim in corpore concreta, quàm cuius est manifesta. Hinc dicit Hipp. 2. *de naturâ hum. cap.* 8. quod morbi, qui celeriter fiunt, & quorum occasiones sunt manifestæ, quàm maximè periculo vacent ; tum enim qualis quantaque causa sit, cognoscitur : sic sæpiùs constat *in Epid. libris* eos præter expectationem grauiùs habuisse, quibus morbus clam fuerat collectus. Causæ autem manifestæ & recentes Galen. teste, sunt hæ : æstus, refrigerationes, vigiliæ, ebrietates, lassitudines, &c. ab aëre porrò præcipua prognostica sumuntur. Hinc Hipp. *in prognosticis* iubet considerare, an in morbis sit aliquid diuinum ; vbi Galen. *in commentario* per *diuinum* intelligit aërem ; quasi diceret, considerandum esse in morbis, an causa fouens eosque generans non sit aër. Ab aëre, frugibus aquis, &c. fiunt morbi communes, quorum aliqui sunt endemij, aliqui epidemij, aliqui sporades seu proprij.

2. Endemij sunt leuiores, epidemij peiores. Epidemij autem alij sunt

ſimplices alij peſtilentiales: peſtilentiales omnium ſunt grauiſſimi. Semper autem morbi epidemij habent aliquam malignitatem coniunctam: ſic pleuritides epidemiæ ſemper ferè ſunt peſtilentiales, & magis lætales aliis.

3. Morbi autumnales ſunt aliis grauiores; Ver ſalubertimum eſt: ratio eſt, quia vires à progreſsâ æſtate ſunt debiliores, & materia morbifica eſt melancholica; & humores, qui à calore aëris prægreſſi ſunt attenuati, in autumno ob ſuperueniens frigus introrſum ad partes nobiles vergunt.

4. Ab internis cauſis prognoſtica ſic ſumuntur. Quò plures concurrunt cauſæ morbificæ diuerſi generis, tantò grauius eſt malum: ſic ſi quis calculoſus & imbecillo ventriculo laborans corripiatur febre, tres obtinebit cauſas diuerſi generis, vnde ægriùs ſanabitur.

5. Intemperies actiuæ faciliùs curantur, quàm paſſiuæ; intemperies humida faciliùs quàm ſicca: ratio eſt, quia plura inueniuntur remedia exſiccantia quàm humectantia.

6. Quidam morbi ex pituitâ ſunt periculoſiores, quidam ex bile; periculoſſimi, qui fiunt ex bile & melancholiâ aduſtâ.

Cap. V.

Alia prognoſtica morbi exitus ad vitam vel ad mortem à partibus.

1. MOrbi principibus partibus inhærentes ſunt peiores iis, qui inhærent partibus ignobilibus: ſic periculoſior eſt phlegmone in pulmone, quàm in cruribus.

2. Morbi inhærentes partibus inſigni facultate expultrice præditis, faciliùs curantur iis, qui inhærent partibus debili expultrice præditis.

3. Mala, quò plures partes occupant, eò ſunt deteriora.

4. Malum foràs vergere, & ab affectâ parte quàm longiſſimè recedere, bonum eſt; contrà, malum: ſic in pulmonis affectibus ſeu phlegmone obſceſſus erutum ab Hipp. bonus dicitur: ſic ſi anginâ laboranti tumor in collo fiat, bonum eſt; foràs enim morbus profertur; è contrà, cùm tumor foràs prouenerat, eum ſtatim deliteſcere, & difficultatem reſpirandi augeri, malum eſt; indicat enim intro vergere. Hominibus ardente febre laborantibus, quos facer ignis externè corripit, inquit, Hipp. *in libris Epidem.* bonum eſt; aliis eâdem febre laborantibus, quos ignis ille non corripit, malum: ſic in febribus acutis parotides poſt aures, bubones peſtilentiales fieri, bonum eſt; non quidem per ſe & ſimpliciter, ſed ſaltem eſt meliùs; indicat enim materiam venenatam foràs vergere, & non intus in venis ac prope cor remanere.

5. Eodem

5. Eodem modo humores à partibus nobilibus ferri ad partes ignobiles, bonum. Quæ regula cum priori ferè concordat; cùm internæ partes sint nobiles, externæ ignobiles; possunt tamen etiam internæ esse ignobiles; & sic non tantùm ad externas partes malum ferri est bonum, sed etiam ad internas ignobiles.

§. II.

Prognostica exitus morbi ad vitam vel ad mortem à naturâ ægrotantis desumpta.

1. Robusti, si morbis capiuntur, magis quàm valetudinarij periclitantur; ratio est, vt inquit Galen. quia corpora imbecilla rarò afficiuntur à causis magnis; quia non tardant ægrotare donec causa sit magna, sed à quâuis minimâ causâ statim læduntur; talis autem causa facilè tolli potest; at robusti, & qui nunquam ferè ægrotant, non læduntur à paruâ causâ, sed tantùm à magnâ: itaque antequam ægrotant, magnam causam subesse est necessarium, est alia ratio; quia imbecilli dum sæpiùs morbis diuexentur, sæpiis remediis vtuntur; quo fit, vt nulla quantitas humorum in eorum corporibus coaceruari possit; at robusti confidentes robori naturæ, nunquam; quo fit, vt temporis spacio plurimi in eis humores congregentur.

2. Nemo facilè sibi contrariis corripitur morbis; facilior enim est excessus in symbolum, quàm in dissymbolum: sic frigidi non facilè corripiuntur morbis calidis, nec contrà; vnde fit, vt illi magis periclitentur, quorum naturæ, ætati, regioni, &c. morbus non conuenit, quàm contrà; ratio est, quia in morbis similibus naturæ, ætati, regioni, &c. non est tantus excessus, quantus in dissimilibus & contrariis; & ideò cùm quis laborat morbis contrariis, indicatur in eo magnitudo causæ; maior enim est causa, quæ frigidum potuit perducere ad excessum caloris, quàm quæ calidum: sic qui est calidus in 4 si cadat in morbum calidum ad 2, non recedit à naturâ, nisi ad duos gradus at si frigidus in vno gradu ad eundem gradum caloris perducatur, recedit à naturâ ad plures gradus: sic febris in iuuene non est tam periculosa quàm in sene: hinc dicit Hipp. *in Aphor. senibus, si acutis morbis corripiantur, non esse spem salutis.* Et alibi, *in calidis regionibus calidi magis morbi generantur, & minùs sunt periculosi:* & positis duabus febribus magnitudine paribus illa periculosior est, quæ fit in hyeme, quàm quæ in æstate. Contra hanc regulam dici potest; morbos similes naturæ, ætati, anni tempori esse difficiliores contrariis; quia similes fouentur & augentur à naturâ, ætate, anni tempore, similibus: contrarij verò oppugnantur. Sic dicit Galen. senes si frigidis morbis corripiantur, difficiliùs curari, & alibi, grauedines & raucedines in valde senibus non curantur. Sed Respond. opus esse distinctione: morbi

contrarij vel sunt acuti vel longi, vel incipientes & parui, vel firmati, vel magni. Acuti morbi contrarij generaliter sunt peiores similibus; ratio est, quia in illis magnitudo causæ significatur : & contrà, ipsos à naturâ, ætate, regione, anni tempore oppugnari, parùm eis prodesse potest, quia citò finiuntur ita vt vis oppugnatiua eorum parum momenti adferre possit. In morbis longis, qui diu durant, diu semper à naturâ, ætate, regione contrariis oppugnari multùm prodesse potest. Insuper sic est distinguendum : si morbi similes sunt parui, longè sunt faciliores contrariis ; sed si sint valde magni, tunc etiam sunt tam mali quàm contrarij : quia etsi contrarij habent vnum malum, scilicet magnitudinem causæ ; similes habent aliud malum, quòd scilicet, dum à naturâ foueantur, paulatim ad extremum excessum perueniant ; & sic æquè ac contrarij sunt periculosi.

3. Mala sunt, quæ præter consuetudinem facit æger : sic *ex modesto homine ferox, responsio mala*, inquit, Hipp. taciturnos ex naturâ suâ in morbo fieri loquaces, delirij signum est.

4. Quæ sunt à naturâ, etsi ex se videantur mala, non sunt tamen pro malis habenda ; similis regula supra posita est : sic aliqui habent ex naturâ suâ pulsus intermittentes & languidos: aliqui dormiunt oculis apertis : aliqui inter dormiendum dentibus stridunt, quæ omnia in morbis acutis habentur pro pessimis signis, quando sc. oriuntur à magnitudine causæ; sed cùm fiunt à naturâ non indicant causæ magnitudinem, & ita non sunt mala.

5. Qui inclinationem naturalem habent ad aliquem morbum, vti facilè in eum incidunt, ita quoque difficiliùs ab eo liberantur. Sic Hipp. 1. *epidem. comment.* 1. *textu* 18. inquit, *& maximè moriebantur, quibus natura vergebat ad phthisin*, id est, qui ad phthisin habent naturalem inclinationem.

6. *Qui naturâ admodùm crassi sunt & obesi, citiùs intereunt*, inquit, Hipp. 1. *Aphor.* 44. *quàm qui graciles* ; ratio est, quia tales exiguo calore sunt prædicti, & quia eorum venæ sunt angustæ & statim suffocantur.

7. Ægros in morbo sibi plurimùm in vultu dissimiles esse factos, est malum ; causæ enim magnitudinem indicat ; ideò bonum est, medicum ægros nouisse in sanitate, vt indicet, quantum in morbo à naturâ recesserint : sic aliqui naturaliter habent oculos cauos, cæsios, obscuros, fossas circa palpebras oculorum cæruleas, quæ si à morbo contingerent, malum significarent ; cùm à naturâ, minimè.

8. Ex complexione naturali ægrotantis potest vel diuturnitas vel magnitudo morbi cognosci ; nam si æger est bilioſus, suspicamus morbi causam esse bilioſam ; si pituitosus, pituitosam ; ex cognitione autem causæ cognoscimus, an morbus celerem motum sit habiturus, necne. Ab ætate, etiam prognostica desumuntur ; omnes morbi magni

per

per senium sunt maiores; quia calor nativus & facultates omnes in illâ ætate sunt debiliores.

9. *Senes iuuenibus minùs ægrotant; qui autem longi morbi eis eueniunt, maxima parte vsque ad mortem eos comitantur*, inquit Hippocr. 7. *Aphor.* 39. & iterum 4. *raucedines & grauedines in valde senibus concoctionem non admittunt*, dicit etiam Galen. quòd & nephritis, & podagra & paralysis, & asthma, & tusses senes vsque ad mortem comitantur. Sic etiam ab Apoplexiâ ægrè liberantur.

10. Qui aliquem morbum ingenitum habet; ægriùs ab eo liberatur; morbi enim hæreditarij difficiles & ferè impossibiles sunt curatu.

11. Prægnantes morbis acutis corripi est lætale, & eò magis, quò fœtus est maior; ratio est, quia in illis facilè vires prosternuntur; tum etiam, quia illis nec venæ sectio, nec purgatio, nec vlla magna remedia adhiberi possunt, quæ tamen in morbis acutis sunt necessaria.

12. In mulieribus & timidis hominibus mala sunt maiora, quia remedia non admittunt.

§. III.

Prognostica exitus morbi ad vitam vel mortem, à symptomatibus desumpta.

1. Quo plura symptomata & diuersi generis coniunguntur, eò deteriùs: plura, quia vel indicant causæ magnitudinem, vel partis affectæ nobilitatem, vel extensionem: diuersi generis, quia causas habent diuersas; diuersæ autem causæ singulæ frequenter propriam postulant curationem; sic si cui tertianâ laboranti pedes intumescunt, & magna vrgeat sitis, malum; causæ enim eorum sunt diuersi generis, ventriculi scilicet calor, & hepatis imbecillitas.

2. Grauia symptomata cum virium imbecillitate sunt lætalia, cuncta enim symptomata, quæ ex se lætalia non sunt, fiunt lætalia per hoc, quod cum virium imbecillitate coniungantur.

3. Bona sunt symptomata, quæ morbi causam oppugnant; mala verò, quæ adaugent: sic febrem conuulsioni superuenire melius, quàm contrà; quia hæc calori suo morbi causam absumit: sic quartana melancholiæ morbo & lienosis, multisque aliis morbis superueniens, eos liberat, è contra malus in pleuritide dolor est; quia sanguinis maiorem effluxum excitat, qui est morbi causa: sic inquietudo, quæ nimij caloris symptoma est, calorem non oppugnat, sed potiùs auget ratione motus.

§. IV.

Prognostica ab actionibus læsis desumpta.

1. Quò actiones, quæ læduntur magis sunt ad vitam necessariæ, eò est periculosius; sic lædi respirationem, pulsum, spirituum vitalium per corpus distributionem, est lætale.

2. Exitialia sunt, quæ facultates per se labefactatas demonstrant: si sc. non partis aut humoris vitio, sed imbecillitatâ per se & essentialiter facultate fiat: Sic inæqualis & intermittens pulsus periculosior est, cùm ab imbecillitate facultatis causatur, quàm cùm ab humorum grauantium aut opprimentium multitudine: sic deficiens pulsus ab imbecillitate facultatis exitij signum est; si ab humorum grauamine, accidentali aliquo deliquio animi, minus. *Si sordes in acutis circa oculos apparent, exitiosum est*, inquit, Hipp. intellige, si non fiant ab humorum copiâ, sed facultatis regentis aut retinentis imbecillitate: sic decumbere in dorso, si non fiat propter humorum grauantium copiam, sed propter meram imbecillitatem, quæ non valeat corpus supra latus vnum firmare, pessimum est: sic surditas cùm ab humore aliquo fit in meatibus impacto, non est exitialis; sed si à deperditâ audiendi facultate fiat, est exitialis. Similiter de cœcitate: sic si deiecta appetentia ab humore ventriculum afficiente fit, non est adeò mala; sed si à facultate ventriculi languidâ fiat, est exitiosa. Vrinæ nigræ, quæ à melancholico fiunt humore, meliores sunt iis, quæ à caloris natiui deperditione fiunt; quia hæ sunt prorsus lætales: sic externarum partium frigus ab humoribus intrò ob aliquam causam reuocatis, non est tam mala, quàm si contingeret ob caloris natiui defectum, qui non sufficit ad externas partes extendi: Sic ex rigore refrigerationes, quæ non recalescunt, malæ; non enim reuocationem caloris indicant, quâ is aliquando reuertetur; sed indicant eius extinctionem: Sic quoque si extremæ partes liuescant ab humoribus sub cute contentis; non est adeò malum; si verò propter caloris natiui in illis extinctionem, est lætale: sic sudores qui ab imbecillitate facultatis fiunt, mali sunt; qui verò ex materiæ expurgandæ præsentiâ, boni; hinc sudores tabe affectis oborientes sunt lætales.

Quæri potest: quænam actio læsa maius periculum inferat? Resp. quòd illa, cuius integritas ad vitæ conseruationem est maximè necessaria; talis est vitalis; & de illâ signa sunt maximè periculosa, quæ facultatem vitalem debilitatam ostendunt; quando enim illa debilis est, necessum est, vt omnes aliæ debilitentur, quia reliquæ omnes eius auxilio egent: & de illâ non est dubium, sed est dubium, an post illam animalis an naturalis sit magis necessaria: Dico itaque: in morbis, qui oriuntur ab humoribus, quos coqui est necessum & expelli, in iis facultas naturalis est maximè necessaria; & ideò in illis deterius est

lædi

lædi naturalem quàm animalem. In generali autem naturalis vbique videtur ad vitam magis esse necessaria, quàm animalis, excepto quòd sola respiratio, quæ est actio animalis, magis sit necessaria ac maioris momenti, quàm vlla naturalis : cùm ergo respiratio pendeat à facultate animali ; animalem sic lædi, vt propter eam respiratio lædatur, pessimum est : nutritio non est tam necessaria ad vitam, quàm respiratio; at extra casum læsæ respirationis, reliquæ actiones animales non sunt ad vitam necessariæ ; & ideò etsi lædantur, non est tam periculosum. Interim quia etiam sæpe animalis facultas læditur, & tamen nihilominus respiratio manet illæsa, vt apparet in debilissimis, qui cum vix possint manum vel pedem mouere, nihilominus ideò non cessant bene respirare ; ideò absolutè dici potest naturales facultates magis ad vitam esse necessarias, quam animales : & consequenter signa ostendentia læsionem facultatis naturalis esse periculosiora signis ostendentibus læsionem facultatis animalis : nihilominus tamen, quia vna dependet ab aliâ, ideò vnâ grauiter læsâ facilè alia in consensum trahitur. Pessima signa sunt crebra animi deliquia & maximè sine manifestâ causâ, id est, sine vllâ nimiâ euacuatione prægressâ, sed sponte orta. Respiratio difficilis, crebra & sublimis, in quâ omnes thoracis & colli musculi, pinnæ narium cooperantur ; pulsus languidus, valdè celer, & quod peius est, summè rarus, intermittens, inæqualis ; omnium autem pessimum signum est ἀσφυξία, id est, totalis motus arteriarum deperditio : *In omni morbo facilè se habere ad oblata, bonum est*, inquit Hipp. 2. *Aphor.* 33. & Gal. 3. *epidem. comm.* 23. dicit, *semper in signis optimis esse à cibo non abhorrere*, & Hipp. *in epid.* testatur, in quâdam pestilentiâ maximè pernitiosâ cepisse ægrotantes summum cibi fastidium ; sitim cessare permanente causâ sitim faciente, pessimum est ; quia vel delirium indicat, vel emortuam oris ventriculi facultatem.

§. V.

Signa exitus morbi ad vitam vel ad mortem, à secundo genere symptomatum, scilicet à qualitatibus corporis mutatis.

Ea sumuntur vel à qualitatibus visibilibus, vel tangibilibus, vel olfactibilibus, &c. vt nimirum colore, odore, frigore, calore, murmuribus, aliisque, quæ in partibus corporis percipiuntur.

Reg. 1. Qualitates sensibiles corporis, si tales sunt, quales secundum naturam esse debent, est bonum ; si contrà, malum. Tamen etsi à naturali statim recedant, non ideò statim indicant imbecillitatem, aut malum ; cùm possint interdum esse factæ à naturâ conante expellere causam morbificam, quæ expulsa malas illas qualitates corpori inducit;

quia

quia illo casu tales qualitates sunt criticæ, & sic sunt bonæ. An autem criticæ sint an verò symptomaticæ, sic est distinguendum: quia si fiunt tempestiuè, tempore crisεos, & post concoctionem humorum, si fiunt cum facili tolerantiâ; sunt criticæ ac bonæ; aliàs non. Sic calor flauus in membris die septimo, est salutaris; quia cognoscitur esse criticus; diebus multò anterioribus esset exitialis.

2. Color niger partium, excrementorum & apostematum est malus, si fiat à calore vrente: præcessit color viridis, si est à frigore. Liuidus vtrocunque modo sit factus, est pessimus, & naturæ vires deficere ostendit, nisi criticus sit ab humoris melancholici expulsione; tunc enim est bonus, vt in arenato.

3. A sono, odoribus, saporibus sic sumuntur signa, dentium stridores in acutis febribus sunt lætales; quia sunt conuulsiui. Odores fœtidi magnam putredinem indicant. Aurium sordes dulces sunt lætales.

4. A qualitatibus tangibilibus sic sumuntur signa, & 1. à qualitatibus primis. *Calor æqualis & mollities per totum corpus, bona est*, teste Hipp. 2. *prognosticorum* 56. inæqualitas caloris vel cruditatem denotat, vt in febre epialâ: aut summam viscerum inflammationem cucurbitæ instar calorem introrsum trahentem, vt in lipyriâ; quod adeò periculosum æstimatur, vt in febre non intermittente ab Hipp. 4. *Aphor.* 48. mortiferum iudicetur. Mutatio vicissim accidens, modò caloris, modò frigoris, sic vt eædem partes modò calidæ, modò frigidæ sentiantur, notat imbecillitatem calidi innati, & consequenter naturam languere. Tumores in corpore oborientes sentiri frigidos, & sudores frigidos esse, est lætale. Ad qualitates sensibiles etiam referuntur tensio, durities, figura, magnitudo partium, &c. Tensio ventris est mala; nam vt ait Hipp. 1. *prognosticorum* 27. *bonum est præcordia mollia & sine tensione esse.* Figura partium mutata sæpe etiam est pessimum signum, præcipuè vultus. Hinc facies, quam Hippocraticam Medici vocant, signum est lætale. Figura propter paralysim vel conuulsionem mutata, malum signum est; vt si vnus oculus fiat minor, labia, nares contrahantur, si minuatur moles corporis & magnitudo plusquàm pro ratione, ætate, victu, morbo, &c. imbecillitas naturæ denotatur. Mala est nimia gracilitas ventris adueniens; præstat enim partes, quæ circa vmbilicum sunt non tabescere, vt docuit Hipp. sed suam molem seruare, ventrem in maximum tumorem crescere vel tympanitis vel ascitis signum est.

Ad qualitates sensibiles possunt etiam tumores partium referri; sunt enim tumores magnitudo morbosa partium visu tactúque perceptibilis. Si tumores sunt opus naturæ seu critici, boni sunt; sin verò minus, sed symptomatici, sunt mali. An autem critici sint an symptomatici, cognoscitur ex variis signis. 1. ex signis generalibus, tùm ex particularibus: generalibus, si post eos ægritudo minuatur, si ægro cum facili tolerantiâ obueniant: particularibus, si sint in substantiâ, quantitate, qualitate, tempore,

tempore, loco conuenientibus; quæ omnia sunt consideranda: substantia, vt sc. tumores respondeant naturæ & speciei humoris morbum facientis; vt verbi gratia, si melancholia morbum fecerit, tumor sit scirrhosus; si pituita, œdematosus; si sanguis, phlegmonosus: quantitas; vt scilicet magnitudo tumoris, respondeat quantitati seu multitudini humoris peccantis; nam si humor peccans fuerit multus, & tumor eueniet patuus, malum & defectum naturæ indicat; quia tales euacuationes non fiunt propter expultricis robur, aut humorum expellendorum copiam; sed vel propter retentricis imbecillitatem, vel calorem liquantem aut humores agitantem; discernitur enim euacuatio critica à symptomaticâ, sicut dictum est de tumorum tum propriis tum communibus signis: cómunibus, vt facili tolerantiâ & leuatione: morbis propriis; si excrementa substantiâ, quantitate, qualitate, loco, tempore & modo excretionis sunt concurrentia; si substantia sit similis substantiæ humoris morbum facientis; si quantitas respondeat quantitati humoris morbifici; si excrementa non sunt cruda, sed cocta; si in statu, si in die critico, si è directo per vias cum affectâ parte communionem habentes fiant, signum est criticas esse, è contrà verò symptomaticas.

Verùm notandum, non omnes excretiones symptomaticas esse malas, sed aliquando etiam esse bonas; plerumque tamen vel sunt malæ, vel non ita bonæ, vel saltem minùs securæ; sic morbilli, variolæ sunt excretiones symptomaticæ, & tamen plerumque sunt salutares: sic videmus quotidie ob malitiam & tenuitatem humorum multis hominibus excretiones fieri, quæ benè succedunt & non sunt malæ; immò nos sæpe cruda adhuc existente materiâ & in principiis non inutiliter purgamus, vt etiam Aëtius confirmauit. Plerumque tamen tales excretiones sunt malæ, vel non securæ; quia vel recidiuæ, vel cum grauissimis symptomatibus recurrunt. Porrò ab iisdem circumstantiis reliqua omnia prognostica, quæ ab excretis desumuntur, sunt petenda.

5. Malum est excerni ea, quæ sunt toto genere contra naturam; vt lapides, vermes, animalia monstrosa, qualia sunt ranæ, lacerti; sic sanguinem per aliquam partem copiosè excerni est malum, præterquam in mulieribus per menses, in viris per hæmorroïdes, siue in aliis per nares, siue malitiâ excerni possunt: mulieribus etiam, quibus menses sunt retenti, sine noxâ aliquando visum est atram bilem excerni, *in initio morbi euacuari*, teste Hipp. 4. *Aphor.* 22. *malum est*: sic pus & saniem eiici contra naturam est. Colliquationem cum excrementis vel vrinis exire, malum est: sic in tabidis, in calidis febribus est lætale; maximè enim ea conspiciuntur in deiectionibus eorum, qui febribus pestilentialibus laborant.

6. Excretiones non sunt tam à multitudine, quàm à bonitate æstimandæ: *si talia*, inquit Hipp. *purgentur, qualia oportet, confert & leuiter ferunt*; si itaque morbi sunt bilioſi, confert multam bilioſam materiam expelli; si pituitoſi, pituitoſam: sic malum est, materiam quæ morbum

non facit euacuari : sic hæmmorrhagia in lethargo est pessima, quia sanguis lethargum non facit. Vtrùm verò conuenientia euacuentur, ex collatione causæ morbificæ cognoscitur, & si æger facilè ferat, & morbus leniatur. Pessima est in excretis nigredo ; quia vel maximum ardorem & vstionem, vel caloris natiui extinctionem significat. Paucos vidi sanari, qui nigram aquam per os emittebant. Vrina in laborantibus calculo frequenter exit nigra, præcipuè post exercitium, & cùm anteà exiuit cruenta ; & talis, quamuis non sit bona, tamen non est exitialis aut praua ; quia contingit à sanguine extrauenato, qui vrinæ permiscetur, & morâ in corpore nigredinem contraxit. Fœtor magnus excrementorum, putredinem indicat, vel naturam à morbo superari. Quæ excernuntur, expedit neque nimis calida, neque nimis frigida percipi in exitu ; calida ardorem & bilioſos humores significant ; nimis frigida excerni, caloris extinctionem. Malum est, quæ liquida esse debent, esse solidiora ; nam hoc magnam eorum assationem indicat, vt eiectiones duræ, emunctiones concretæ & spissæ in formâ globuli ; sic è contra nimis aquea esse, cruditatem significant ; nam quæ coquuntur, crassescunt. Pessimum autem est eo tempore, quo excrementa deberent esse cocta, adhuc cruda excerni.

7. Euacuationes nimiæ vel nimis paucæ sunt malæ ; nimiæ enim vel vires nimis deiiciunt, vel aliquando mortem inferunt propter magnam spirituum dissipationem : vnde summas euacuationes syncope non rarò sequitur : sic in hydrope aquam vniuersam, aut in empytemate pus totum simul exire, malum inquit Hipp. sic etiam nimis exiguæ euacuationes sunt malæ ; 1. quia per eas non sufficienter euacuatur causa morbifica ; vnde vel recidiua, vel mors est metuenda. 2. indicatur naturæ imbecillitas, quæ periculum facit, ne morbo succumbat : sic stilla narium in febribus acutis, in diebus decretoriis, mala : sic sudores eodem tempore vel pauci valdè, vel ex vnâ parte tantùm particulari æquè sunt pernicioſi.

8. Excernenda eo tempore expelli, quo in sanitate expelli solent, est salubre : quæ verò sunt morbosa, & tantùm morbi tempore expelluntur, ea bonum est expelli post signa visa coctionis, & in die critico: Sic excrementa alui excerni eo tempore in morbis, quo in sanitate solent, est bonum : excrementa morbosa, si expelluntur ante statum, & ante signa coctionis, non est excretio critica, sed symptomatica ; adeoque mala, aut saltem rarò bona, vel ad minimum non secura.

9. Excrementa, quæ etiam tempore sanitatis exeunt, ea si etiam in morbis excernuntur, bonum est, expelli per vias ordinarias, & à naturâ ad id destinatas, & per quas tempore sanitatis solent expelli : vt deiectiones per aluum, menses per vterum, vrinas per vesicam : quæ si per aliam viam excernuntur, vt deiectiones per vomitum, est signum ilei & exitiale : vrinam per sedem expelli est signum vlceris intestini recti.

Menses

Menses per os est signum obstructionis in venis ad vterum tendentibus. Quæ autem tantùm morbi tempore ex naturâ sine causâ morbificâ expelluntur, bonum est ea excerni per vnam viam, & non per plures. 2. bonum est excerni per vias conuenientes. Conuenientes autem viæ sunt viæ proximæ, latæ, & è directo positæ, & viæ, per quas affecta pars commodiùs & faciliùs potest euacuari: per proximas, tùm ne partes intermediæ à malignitate eius, quod excernitur, lædantur; tùm quia facilior est per propinquam, quàm per remotam partem euacuatio: è directo, quia partium è directo maior est communio, & sic euacuatio facilior: sic cum hepar & dextræ partes laborant, bonum est sanguinem è nare dextrâ effluere; cùm verò lien & sinistræ partes laborant, ex sinistrâ: sic tumores critici è directo fieri meliùs est, quàm ex opposito: viæ conuenientes etiam sunt, per quas causa morbifica meliùs solet expelli: sic tenuis & bilioſa materia facilè expellitur per sudores, melancholica per hæmorroïdes, pituitosa per vomitum & secessum.

10. Quæ secundum voluntatem excerni deberent, ea excerni præter voluntatem est malum: Sic lachrymæ inuoluntariæ in acutis febribus sunt lætales: fœces & vrina contra voluntatem exeuntes vel delirium, vel summam facultatis retentricis imbecillitatem, vel paralysin indicant.

§. VI.

Prognostica exitus morbi ad vitam vel mortem à morbi temporibus.

Reg. 1. Mala sunt signa quæ præter naturam eueniunt; sic signa coctionis in vrinâ apparere in principio morbi, malum; quia est præter naturam & rationem temporis illius, vt in eo concoctio appareat: naturaliter enim concoctio non tam citò fit: signum enim est humorem illum non à naturali, sed igneo & præter naturam calore agitari; & è contrà, in statu concoctionis signa non apparere, malum: quia si natura debito modo procederet, in illo tempore vrina deberet apparere cocta.

2. Signa ex naturâ suâ praua, ratione temporis morbi, in quo fiunt, possunt essa bona; sic signa critica, vt inquietatio, rigor, vertigines, etsi per se sint signa mala, tamen si appareant eo tempore, quo iam futura crisis expectatur, sunt bona; sic vrinam esse crudam, per se est malum signum; tamen apparere crudam in principio morbi, non est malum; imò meliùs in principio apparere crudam, quàm coctam.

3. Praua signa, si per initia morborum appareant, sunt peiora, quàm si appareant in decursu morborum: Sic deliria, conuulsiones, surditas, virium imbecillitas, &c. quò citiùs in morbo apparent, eò sunt peiora: sic euacuationes, quæ in principiis morborum fiunt, sunt malæ;

quæ verò in vigore non ita. Illæ enim fiunt antequam materia ſi concocta ; quare indicant aut humorum morbificorum ſummam copiam, aut naturam non eſſe ſufficientem eis concoquendis ; ſi verò ſatis potens eſſet, eos retineret & concoqueret, non autem expelleret : ſic vrinæ, quæ in principiis morborum turbidæ apparent, malæ;quia in principio natura humores adhuc non aggreditur ; itaque tunc vrina adhuc non deberet eſſe turbida, ſed tantùm tenuis ; ſed in incremento primùm turbida eſſe deberet.

4. Signa ſalubria ſunt meliora, ſi die. 5. 7. 11. & 14. id eſt, in diebus decretoriis fiunt, quàm aliis. Signa verò mala ſunt peiora, ſi in iiſdem diebus appareant, quàm in aliis : Sic narium ſtilla, vt ſemper malum, ita peſſimum ſignum eſſe ait Hipp. Sic in die indice ſigna magna apparere, eſt malum ; bona verò, bonum ; ſic in tertianis continuis, ſi quinta dies, quæ eſt dies index, acceſſionem inferat, æger in periculo erit: ſic ſaporem, qui vndecimâ die Hermocratem inuadebat, malum eſſe dicebat Hipp. *in Epid.* nam dies 11. eſt dies index.

5. Morbum citò ad ſtatum venire, eſt bonum : bonum eſt ſymptomata citò ad ſummum peruenire, & meliùs quàm lentè & longo tempore : ratio eſt, quia natura meliùs morbi inſultibus reſiſtit, ſi breui tantùm tempore, quàm ſi longo cum eo ſit dimicatura; ſubintellige, niſi ſymptomata ſint peſſima & lætalia : nam ſi talia ſint, quò citiùs & celeriùs irruunt, eò magis & citiùs mortem oſtendunt.

6. Tunc eſt præcipuè bonum, ſtatum quoad ſymptomata breui fieri, quandò ſtatus quoad concoctionem paribus paſſibus ambulat ; ſi ſtatus quoad concoctionem reſpondeat ſtatui quoad ſymptomata, eſt ſignum certum ſalutis : dico clariùs ; ſi eâ proportione, quâ ſymptomata creſcunt & tendunt ad ſtatum, eâdem & æquè celeriter concoctio cauſæ morbificæ tendit ad ſtatum ſeu ad ſummum, & quàm multùm augentur ſymptomata tã multũ etiã augeatur concoctio humoris morbifici, (quod ex vrinâ eſt cognoſcẽdum) eſt bonum ſignum; ſed ſi citiùs fiat progreſſus ad ſtatum quoad ſymptomata, quàm ad ſtatum quoad concoctionem, ſeu ſymptomata citiùs ſint in ſummo quàm coctio, vel tunc adhuc vix coctio appareat, quando iam ſymptomata ſunt maxima, eſt malum ſignum ; indicat enim morbum naturâ eſſe longè ſuperiorem.

7. Quando morbus eſt in declinatione, non eſt ampliùs periculum; non enim poteſt quiſquam in declinatione morbi mori : quia tunc natura eſt facta ſuperior morbo, alioqui non eſſet declinatio; quando enim natura eſt ſuperior morbo, æger non poteſt mori ; quia ſi moreretur morbus eſſet ſuperior naturâ, quæ duo contraria non poſſunt ſimul conſiſtere. Interim diſtinguenda eſt declinatio vera à falsâ ; ſæpe enim morbus videtur declinare, & non declinat ; & ſic eſt falſa declinatio & in tali poteſt æger mori ; & talis declinatio facit medicum in prædicendo errare. Imò falſa declinatio ſæpe eſt peſſimum ſignum ; tunc enim eſt falſa declinatio, quando ſymptomata minuuntur, & tamen

non

non minuuntur in omnibus. Symptomata minui permanente eâdem morbi magnitudine sæpè est pessimum signum : sic in externâ inflammatione doloris & caloris sine causâ cessatio non sunt signa bona ; indicant enim calorem innatum propter sui exiguitatem aut humoris morbifici malitiam desistere à pugnâ ; & signum est futuræ gangrænæ seu mortis membri: sic etiam in morbis internis cessatio febris & symptomatum sine causâ, indicat perire non externum sed internum calorem & naturalem.

§. VII.

Prognostica exitus morbi ad vitam vel ad mortem à iuuantibus & lædentibus desumpta.

Reg. 1. Si quæ iuuare deberent aut solent, non iuuant, malum ; peius si etiam obsint : nam, vt inquit, Galen. 2. *prognost. text.* 51. aut exitium aut difficile iudicium indicant. Sic 3. *prognost.* 35. sanguinis eruptio non iuuans , vel est mortalis , vel iudicatu difficilem morbum significat. Ita sudor, copiosæ vrinæ, deiectiones , vomitus , hæmorrhoïdes, parotides non iuuantes, malum significant ; indicant enim naturam succumbere, & à multitudine causæ morbificæ superari : sic *quibus somnus laborem facit*, inquit Hipp. *lætale.*

2. Si leuia remedia prosunt, & leuia errata non obsunt, indicant morbum esse salutarem : contrà, si leuia remedia nihil iuuant , & valida parùm , leuia verò errata statim obsunt , testantur morbum esse pernicioſum : *facilè ferre morbi grauitatem , est optimum signum* , teste Hipp. 2. *Aphor.* 33.

3. A similitudine cum aliis ægrotis eodē morbo affectis etiam prognostica desumi possunt: sic verbi gratia, si morbus sit epidemicus, id est, populariter grassans, & plurimi ex eo mortui sunt, indicium est etiam hunc, de quo quæritur esse moriturum: contrà, si aliqui conualuerint, & hunc conualiturum. Hactenus de prognosticis à morbo desumptis : restant nunc prognostica è natura seu virium robore aut imbecillitate desumpta, de quibus nunc ordine.

§. VII.

Prognostica exitus morbi ad vitam vel ad mortem à naturæ viribus.

Reg. 1. Grauia symptomata cum virium imbecillitate coniuncta, sunt lætalia; imò etiamsi adeò grauia & lætalia ex seipsis non sint, tamen fiunt talia, si cum virium imbecillitate coniungantur.

2. Omnia symptomata , quæ contingunt ex facultatis imbecillitate, vel quæ facultates emortuas indicant , sunt pessima , & sunt peiora iis , quæ contingunt ex vi causæ morbificæ : sic excretiones , quæ fiunt propter læsam facultatem retentricem , sunt peiores iis , quæ

contingunt propter irritam expultricem : hinc lacrymæ inuoluntariæ, ſudores frigidi, excrementorum inuoluntarius exitus ſunt mala ſigna ; ſic non videre, non audire in morbis acutis, ſi contingant ob emortuam facultatem peiora ſunt, quàm ſi ob aliam cauſam contingerent.

3. Quò vires citiùs in morbis ſunt labefactatæ, eò peius ; nam cùm à causâ morbificâ in progreſſu morbi ſemper magis magiſque debilitentur, quò citiùs ac magis in principio ſunt debilitatæ, eò magis debiles futuras in ſtatu præſumendum. Porrò mox in principio vires eſſe valdè proſtratas, morbi ac cauſæ morbificæ malignitatem indicat.

4. In ſtatu circa tempus criſeos, ſi vires ſint ſummoperè proſtratæ, vel nulla criſis aut ſaltem imperfecta eſt expectanda.

5. Peſſimum eſt vitalem facultatem eſſe valdè proſtratam ; eâ enim valdè debili exiſtente, reliquæ omnes neceſſariò debiles ſunt. Peſſimum quoque eſt, facultatem illam eſſe debilem, à quâ morbus debet ſuperari : ſic eo tempore quo coctiones ac criſes fieri debent, naturalem potentiam eſſe debilem, malum. In morbis pectoris, quando materia morbifica tuſſi expellenda eſt, ſi facultas animalis, cuius ope illa ex pectore expelli debet, ſit debilis, malum : inde enim fit, vt materia, etſi concocta ſit, tamen intus retineatur ; & ex retentâ æger ſuffocetur ac moriatur.

Cap. VI.

§. I.

Signa quibus vires validæ vel imbecilles cognoſcuntur.

OMnis prognoſis pendet ex colatione morbi & eorum, quæ ad morbum ſpectant, nempe cauſarum & ſymptomatum cum viribus naturæ ; nam quæ alterâ fortior eſt, ea ſuperabit, & ſecundum fortiorem eſt exitus morbi futurus ; itaque vires in omni præſagitione maximè ſunt ſpectandæ. Debent autem vires conſiderari cum reſpectu ad morbi ſtatum ; ad futurum enim exitum præſagiendum non ſufficit ſpectare, quales ſint vires præſentes, ſed quales ſint futuræ in morbi ſtatu : quid enim iuuaret nunc eſſe fortes, ſi in ſtatu, quando præcipua lucta cum naturâ eſt facienda, eſſent debiles ? videndum eſt igitur, an nunc ita fortes ſint, vt bene vſque ad ſtatum poſſint perdurare : hoc autem præuidere admodùm difficile eſt ; quia etſi vires nunc adhuc ſint fortes, tamen quia non bene ſcitur, quænam grauia ſymptomata ſint ſuperuentura, quæ vires deſtruent, ideò non ſcitur quales ad ſtatum ſint peruenturæ. Porrò notandum, ſicut dictum eſt, quòd non ſit indifferens, cùm cuius facultatis robore morbus conferatur, ſed debet maximè conferri

ferri cum robore facultatis illius, quam morbus ex suâ naturâ magis est natus lædere; illa enim est, quæ in progressu morbi maximè debilitabitur, & cuius robore maximè opus erit ad morbi oppugnationem; oportet ergo animaduertere quamnam morbus maximè labefactet, & an ea adhuc sit sufficiens futura ad morbi expugnationem, & an illa sit eadem, quæ morbum debet expugnare; ea tamen quæ à morbo maximè labefactatur, est præcipuè consideranda; quia etiamsi illa non esset illa, per quam causa morbi deberet expugnari, tamen quia facultates quâdam sympathiâ se mutuò consequuntur, idcò quanda vna est grauiter læsa, contingit quoque consequenter alias lædi, atque illam per quam morbus debet expugnari: sic aliqui morbi aliquas facultates non lædunt, & tum etsi talis facultas sit integra, ex illius integritate non sequitur, ægrum non moriturum; imò poterit mori, etsi illa sit integra; propterea scilicet, quòd alia sit grauiter labefacta à morbo, cuius labefactationem & imbecillitatem sequitur imbecillitas illius: sic ex optimo pulsu non licet sanitatem polliceri in apoplexiâ aut asthmate; quia hi morbi non lædunt pulsum, sed ex illâ facultate iudicare oportet, quam lædunt illi morbi, scilicet ex omnimodâ sensus & motus abolitione in Apoplexiâ, & ex diminutione respirationis in asthmate: sic in hydrope non oportet sanitatem polliceri ex eo, quòd æger habeat omnes potentias animales fortes, sed oportet considerare potentias naturales, & videre, quomodo illæ sese habeant; illæ enim sunt, quas hydrops labefactat.

Denique oportet morbum conferre cum illâ facultate, quam morbus labefactat per se, & non cum illâ, quam labefactat per accidens, & per consensum: quia hæc labefactatio aliquando tantùm est momentanea, & non diu durat, & facilè cessat; quia non est læsa per essentiam: sic in aliquibus morbis facultas vitalis est per consensum grauiter læsa, & tamen propterea non indicatur mors futura; quia illa læsio non est per essentiam, nec est læsio intrinseca, sed tantùm accidentalis; si verò vitalis esset tam grauiter læsa per essentiam, indicaret mortem; sed cùm sit ex accidenti & sympathiâ quâdam læsa, etiamsi grauissimè læsa foret, tamen propterea mortem non indicaret: sic in suffocatione vteri, in affectibus stomachi, in horâ quâ vena secatur, aliquando sequitur syncope, aut facultas vitalis patitur grauissimam læsionem, tamen illa læsio in eis propterea non indicat mortem, quia tantùm est læsio per consensum, & non per essentiam. Porrò oportet insuper morbum maximè conferre cum illâ facultate, à quâ pendet vita, talis autem est vitalis: illâ enim pereunte, omnes pereunt. In morbis, quibus concoctio expectatur & futura crisis, insuper facultas naturalis maximè est consideranda; illa enim est, cuius ope morbus debet superari, & quæ causam morbificam debet concoquere, & coctam expellere.

Virium robur à tribus cognoscitur, nempe à causis, effectibus, & iuuantibus nocentibusque de quibus ordine.

A causis possunt cognosci vel iis, quæ vires constituunt, vel iis, quæ vires labefactant; si enim illa quæ vires constituunt, malè se habent, erunt debiles; si bene, erunt validæ: si illa, quæ vires labefactant, sint magna, vires erunt debiles; si exigua, erunt validæ: vires constituunt bona partium temperatura, bona constitutio, & vnitas illæsa; si partium temperies non sit grauiter mutata; si calor natiuus firmus; si compositio ac vnitas partium non grauiter læsa, vires erunt validæ: verùm hoc per se non potest bene cognosci, sed debet cognosci ex symptomatibus seu actionibus læsis. Porrò vires labefactantur à morbo & causâ morbi; ergo ex earum magnitudine possumus vires colligere: si morbus & causa morbi sunt magna, vires debent esse imbecillæ; si parua, validæ; ergo omnia, quæ morbi & causæ morbificæ indicant magnitudinem, illa sunt signa virium: quæ illorum indicant paruitatem, illa omnia sunt signa fortium & robustarum virium: quæ verò significant morbi & causæ morbificæ magnitudinem, illa sunt superiùs dicta. Vires etiam mutant per modum causæ, ætas, regio, anni tempus, sexus, corporis habitus, vt obesitas, gracilitas, puerperium; ex illis etiam virium robur cognoscitur; sic si æger sit puer, aut senex, si mulier sit grauida aut puerpera, si valdè tenera corporis habitu, si obesus sit, si æstas & summus aëris æstus, si regio calida, omnia illa significant maiorem virium debilitatem.

Cognoscitur etiam virium robur ex effectibus seu symptomatibus, ac ex iis omnium clarissimè, imò ferè ex iis solis imbecillitas ac robur virium perfectè cognoscitur, & præcipuè ex actionibus læsis; quando enim alicuius facultatis actiones sunt grauissimè læsæ, indicant propriam facultatem, à quâ oriuntur, grauiter esse læsam: sic ex excrementis & excretionibus etiam vires colliguntur: sic quando excrementa sunt cocta, naturalibus qualitatibus affecta, tempore, modo debito, & loco excernuntur, indicium est facultates bene se habere; aliàs malè.

A iuuantibus quoque ac lædentibus vires cognoscuntur; quia si æger à minimâ causâ statim grauiter læditur, indicium est illam facultatem quæ inde læditur, valdè esse imbecillem: si etiam à magno lædente non multùm offendatur, indicium est esse fortem.

§. II.

Animalis facultatis robusta signa sunt.

Si omnes sensus externi & interni sint benè, vt visus, auditus, gustus, tactus, olfactus, memoria, phantasia; si bene dormiat, si facultas motiua sit robusta, vt si ambulare possit, se ipsum erigere, fortiter loqui, &c. nam si æger non bene videat, audiat, non possit etiam bene perferre lumen, nec murmur hominum loquentium; si in acutis febribus surdescat,

desecat, si non bene dormiat. At è contrà in soporem inciderit, si vix loqui possit, & loquatur voce titubante, si delirat, non bene recordetur, si somnus eum grauat ac molestiam adferat, si non possit bene cibum ac potum deglutire, sed paruis portionibus debeat paulatim demittere, si respiratio sit alta & sublimis, si non possit insidere aut stare, si non possit se in lecto erigere, vel vix caput attollere, si non possit cochlear ori admouere, aut digitis tenere, & admouendo valde titubat, si non sit satis fortis ad iacendum in vno latere, sed iaceat semper supinus, si semper deuoluatur ad imum lecti, si se ipsum vertere non possit, si os dormiendo non claudatur, si non sentit dolores, quos absque dubio debet habere, si dentibus stridet, si conuulsio oboritur, signum est facultatem animalem esse debilem; hæ enim omnes facultatis animalis sunt actiones ac symptomata. Oportet autem in his omnibus considerare, an non eueniant ab aliquâ propriâ aut particulari, vel externâ causâ, an verò ab ipsius facultatis essentialis ac intrinsecâ debilitate: si ex tali causâ proueniunt, non sunt mala, si ab hâc, mala; pessima enim, vt dictum est, sunt symptomata, quæ ex ipsius facultatis debilitate proueniunt.

§. III.

Signa robustæ facultatis vitalis, aut imbecillæ.

Hæc facultas cognoscitur ex pulsu & respiratione; nam etsi respiratio magis indicet facultatem animalem, quàm vitalem, eò quòd efficiens causa respirationis sit facultas animalis; tamen etiam indicat robur facultatis vitalis, eò quòd respiratio tendit ad facultatem vitalem tanquam ad finem, & pro statu facultatis vitalis tanquam sui finis ipsa quoque varietur.

Signa igitur debilis facultatis vitalis sunt: pulsus celeritas & frequentia, sed multò magis maxima raritas ac tarditas; nam pulsus valdè celer adhuc indicat aliquod robur, & ideò celeritas pulsus non potest esse cum summâ imbecillitate: sed si post summam celeritatem & cum languore pulsus insuper fiat summè tardus, signum est sumæ debilitatis. Pulsus intermittens etiam pessimus est; deterior qui in vno & eodem ictu intermittit, quàm qui in pluribus; tùm qui inæqualiter & inordinatè intermittit, quàm qui ordinatè peior, qui pluries intermittit, quàm qui rariùs. In vno item ictu & eodem intermittens deterior est, cùm primam partem ictus maiorem & celeriorem habet, secundam verò minorem & tardiorem, quàm qui contrà. Asphyxia omnium pessima est. Omnes facultates esse valdè debiles signum est facultatem vitalem esse debilem; omnes enim facultates in operatione dependent à facultate vitali, vnde cùm ipsa est debilis, omnes esse debiles est necessarium; & cùm omnes debiles sunt, videtur facultas communis debilis esse debere, à cuius robore omnes dependent. Quoad respirationem; cita, breuis, suspiriosa,

parua, frigida, inæqualis, interrupta, magna & sublimis debilem facultatem vitalem indicat. Cordis robur etiam cognoscitur ex sufficienti vel insufficienti caloris in omnia membra distributione; vnde si extremæ partes pallent, si semper frigidæ sunt, si frigidum emittunt sudorem, liuent, vel aliquæ etiam emoriantur, id est, in gangrænam abeunt, signum est debilis facultatis vitalis, quæ extremas partes nequeat sufficienti calore vitali perfundere; Porrò cordis palpitatio, lipothymiæ, anxietates, internus spirituum sanguinisque tremor debilem facultatem vitalem ostendunt.

§. IV.

Signa debilis vel robustæ facultatis naturalis.

Hæc colliguntur ex ipsius naturalis facultatis actionibus, & maximè ex actionibus ministris læsis vel integris; vt expulsione, attractione, retentione, concoctione: tum etiam ex excrementis crudis vel coctis, bene vel malè se in quantitate, qualitate, modo & loco, temporéque exitus habentibus. Verùm cùm naturalis facultas omnibus insit, eius robur aut debilitas in omnibus non cognoscitur iisdem signis, sed diuersis ac vnicuique parti propriis; aliis enim signis cognoscitur debilis facultas naturalis in cerebro, aliis in pulmone, aliis in stomacho, aliis in hepate, aliis in liene, &c. omnibus autem in eo communis est, quòd cognoscatur ex actionibus læsis & excrementis, sed in singulis actiones naturales quoad speciem & differentias quasdam proprias differunt, sicut & excrementa: nam expulsio in cerebro est sternutatio, in stomacho vomitus, & deiectio, in pulmone tussis, &c.

In cerebro excrementa sunt mucus, lachrymæ; in pulmone sputa, in stomacho deiectiones, &c. Ergo potentiæ naturales cerebri cognoscuntur debiles esse, si adsit lacrymatio, si excrementa per nares more solito non excernuntur per palatum, si mucus plurimus aqueus, tenuis, incoctus exeat; si oculi non sint viuaces sed obscuri. Facultas naturalis in pulmone cognoscitur esse debilis; si sputa retinentur, maximè si sint cocta, & excerni deberent; vel si excernantur cruda, aquea, & inconcocta. Facultas debilis naturalis in stomacho cognoscitur, si non adsit appetentia, si æger cibum fastidiat, si nullum saporem in eo iudicet, vel iudicet amarum, si assumptum euomat, aut ab assumpto malè habeat, & dolorem sentiat, si ructus emittat acidos, si à cibo statim caleat, aut rubeat, aut sudet, si excrementa alui non deiiciuntur, vel si deiiciuntur, exusta, sicca vel aquea, liquida & pituitosa, seu non conuersa, sed talia ferè, qualia sunt assumpta. Excrementa vel vrinam sponte exire; dysenteria in acutis morbis, &c. sunt signa debilitatæ facultatis naturalis. Hepatis facultas naturalis debilis esse cognoscitur, si adest extremorum frigus, pessimus totius corporis color, venæ minimæ & vento inflatæ, si

sanguis

sanguis aliqua parte exiens sit aqueus & serosus, si adest fluxus hepaticus, si crura œdematosa, si vrina tenuis, alba, cruda, si sudores frigidi, si corpus atrophiâ laborat, si hæmorrhoïdes, sudores, vrinæ, alui fœces vltro & immodicè fluant, &c. At contrà naturalis facultatis robustæ hepatis signa sunt, si corporis habitus non diminuantur, sed potiùs augeatur, si corpus rubeat, caleat, venas tumidas & nigras habet, &c.

Porrò ex morbifici humoris ac excrementorum concoctione in acutis morbis facultatis naturalis robur maximè cognoscitur: si ergo excrementa in statu & augmento sunt cocta, si post coctionem & in statu excernantur, robustam facultatem naturalem indicant: contrà, si in statu cruda apparent, vel apparent cocta ante tempus, id est, ante statum & in principio, & excernantur antequam concocta sint, vel non exeunt debito modo, aut non sufficienter; indicant facultatem naturalem esse debilem: sic sudores incipientes, qui non finiuntur vel non sunt vniuersales, sic qualescunque criticæ expulsiones, quæ fieri deberent, & eo tempore, quo fieri deberent, non fiunt; vel videntur incipere & non perseuerant, vt vomitus, abscessus, deiectiones, debilem indicant potentiam naturalem. Hinc stillæ narium in omnibus febribus ac inflammationibus, exanthemata parua incipientia, sed non vlteriùs prorumpentia, & statim euanescentia; Item bubones & abscessus parui statim delitescentes indicant debilitatem facultatis naturalis.

CAP. VII.

Prognostica temporis exitus morbi, id est, an morbus sit futurus longus an breuis.

CVm morbus & natura inter se luctantes, sint omnium, quæ in morbo eueniunt, causæ, etiam omnium quæ in morbo eueniunt, sunt signa. Cùm itaque in morbo non tantùum eueniunt salutaria aut pernicioſa symptomata, vel vt vno verbo dicam, malitia aut bonitas exitus; sed etiam celeritas vel tarditas exitus, id est, morbi breuitas vel longitudo, & talis vel talis modus exitus, vtique eorum signa, ac proinde prognostica à naturâ & morbo desumpta, etiam sunt signa breuitatis ac longitudinis morbi. Sub tempore futuri exitus continetur non tantùm, an breui an serò, sed etiam an interdiu, an noctu, & quo die, quâ horâ morbus exitum sit habiturus. Sub morbo porrò symptomata & causæ morbi continentur, non tantùm internæ, sed etiam externæ: & sic in vniuersum prognostica breuitatis vel longitudinis morbi à morbi specie, motu, paruitate, magnitudine, parte affectâ, à causis internis, ab ætate regione, anni tempore, à peculiari naturâ ægrotantis, ab eius

quoque temperamento, à virium robore desumuntur; accedit quòd etiam & à simili, & à lædentibus ac iuuantibus nonnulla breuitatis vel longitudinis morbi prognostica signa desumantur.

A naturâ desumuntur ita prognostica; virium robur lætales prolongat morbos, salutares abbreuiat; & contrà, virium imbecillitas lætales morbos abbreuiat, salutares prolongat; nam cùm morbus non est lætalis, si vires sint debiles, morbus prolongatur; nam cùm morbus non est lætalis, causa morbifica non est vehemens, neque admodùm inuadit naturam; & viciſſim cum vires sunt debiles, natura non valde aggreditur morbum; & sic ex vtraque causâ morbus diu durat; & contrà cùm morbus est periculosus & magnus, & vires robustæ, morbus fit longior; morbum enim magnum non potest natura bene superare; sed si morbus est magnus & vires imbecilles, fit breuis; nam vires debiles non possunt magno morbo diu resistere, & sic morbus fit breuis, quia statim æger moritur.

Prognostica breuitatis vel longitudinis morbi à morbo desumpta. Hæc desumuntur vel à morbi specie, vel magnitudine, vel multitudine, vel malignitate. Ab eius specie, quia aliqui morbi naturâ suâ sunt breues, & tales suam breuitatem sæpiùs ostendunt: sic phrenitis, tertiana, causus, pestis, & omnes morbi accuti, seu à bile geniti, sunt breues: alij vt scirrhi, frigidi tumores, elephantiasis, morbus gallicus, cancer, &c. sunt morbi longi. Magni morbi sunt breues, vt & valde parui; illi statim naturam superant, hi ab ipsâ superantur. Mediocres sunt longiores: quapropter omnia signa, quæ indicant morbi magnitudinem, indicant morbi breuitatem. Morbi in passiuis qualitatibus tardè curantur, & maximè in siccitate; sicut apparet in hecticâ, in hydrope: In actiuis verò & maximè in calore sunt breuiores. Morbi plures simul iuncti, cùm vires tamen sunt fortes, faciunt longitudinem; cùm debiles, breuitatem. Morbi dissimiles naturæ, ætati, regioni, morbi hectici inæquales, communes seu varias partes occupantes, sunt diuturni. Morbi, qui per accessiones inuadunt, & non continuò affligunt, sunt aliis longiores.

A causâ morbi sic breuitatis vel longitudinis morbi prognostica desumuntur: habitus ægrotantis solidior & temperamentum simile causæ morbificæ faciunt morbum longiorem; quia in talibus morbus à naturâ fouetur; sic quartanæ in melancholicis sunt longiores, quàm in biliosis. Qui calido sunt temperamento breuiores, quàm qui frigido. Ætas, anni tempus, regio etiam causant morborum celeritatem vel longitudinem; sic frigidarum regionum morbi sunt diuturniores, si autumnales quartanæ diuturniores sunt æstiuis. Porrò omnes causæ, quæ robur naturæ indicant in morbis salutaribus breuitatem, in periculosis verò longitudinem demonstrant. Cùm causa morbi est pauca, calida, tenuis, morbis est celerior, è contrà, cùm glutinosa, multa, frigida, tardior, saltem in morbo salutari; nam in lætali multitudo causat mortis celeritatem. Mobilitas & turgentia humorum etiam faciunt celeri-

tatem,

tatem, non solùm in lætalibus sed etiam in salutaribus, contrà, immobilitas. Errores, qui in ægris committuntur, salutares morbos prolongant, & lætales abbreuiant.

A parte affectâ etiam breuitatis vel longitudinis prognostica capiuntur: mala, quæ partes principes occupant, non valde diuturna sunt: sic erysipelata, inflammationes, si cor inuadunt, in limine occidunt. Morbi pestilentes & febres ardentes ideò quoque breues sunt; quia cor valde afficiunt, & loco cordi vicino oriuntur. Morbi, qui facultates animales afficiunt, sunt diuturniores, nisi respiratio valde lædatur. Morbi qui potentias naturales euadunt, sæpe etiam sunt longi: breuissimi qui vitales. Partem affectam cordi esse propinquiorem ac remotiorem morbos facit vel breuiores vel longiores; vt in arthritide, quia causa morbi est remota à fonte caloris, difficiliùs curatur. Apostemata, quæ sunt in partibus externis, seriùs suppurantur, quàm quæ in partibus cordi vicinis, ob caloris imbecillitatem. Morbi qui fiunt in aliquâ parte, ad quam continuò labuntur excrementa, erunt longi; hinc vlcera intestinorum propter continuum bilis transitum sunt diuturniora. In parte, quæ continuò debet moueri, vlcera & vulnera seriùs consolidantur, vt in phthisi seu vlcere pulmonis est manifestum.

A symptomatibus optimè breuitas vel longitudo morbi cognoscitur, eò quòd symptomata causis sint manifestiora; morbi enim species, causa morbi & pars affecta sæpè latent, & non nisi ex symptomatibus cognoscuntur; & ideò non tam certò ac symptomata morbi breuitatem aut longitudinem pollicentur. A symptomatibus ergo cognoscitur breuitas vel longitudo morbi; sic in primis ex celeri motu morbi, seu ex celeri morbi per sua tempora transitu breuitas cognoscitur: quapropter omnia illa signa, quæ tempora morbi indicant, possunt morbi longitudinem vel breuitatem indicare; illa autem tempora indicant symptomata; & ideò symptomata celeriter vel tardè superuenientia, morbi tarditatem vel celeritatem, adeoque breuitatem vel longitudinem ostendunt. Itaque si symptomata morbi pathognomonica seu propria, & quæ epiphænomena seu superuenientia vocantur, citò appareant, signum est morbum celeriter moueri ac non diu duraturum.

Ab excrementis etiam cognoscuntur tempora morborum siue bonis siue malis; si enim citò in excrementis signa concoctionis apparent, & signa eius continuò augentur; vel è contra loco concoctionis apparet citò prauitas excrementorum seu dispositio concoctioni contraria, signum est morbum celeriter moueri, & citò sua tempora pertransire, adeoque futurum breuem: contrà si diutissimè maneat cruditas, & concoctio lentè procedat in vrinis vel aliis excrementis, indicium est longitudinis. Atque hâc ratione cognoscitur celer vel tardus motus in illis morbis, qui non habent accessionem; quòd si verò per accessionem inuadant per modum inuasionis paroxysmi, adeoque breuitas vel longitudo, & celeritas vel tarditas cognoscitur, siue illæ accessiones sint

febriles, siue propriæ ipsi morbo, quales in epilepsiâ podagrâ videntur; nam si paroxysmi anticipent, si insequentes sint maiores, seu cum intensioribus semper symptomatibus diutiùs durent, signum est morbum celeriter moueri, & futurum breuem; si differentia paroxysmorum, quoad tempora inuasionis, magnitudinem vel durationem, sit exigua, tardè morbum moueri indicat. Porrò si paroxysmi omnes in se sint breues, etiam indicant morbi breuitatem; nam si morbus omnia tempora paroxysmi, seu omnia tempora particularia citò transit, iudidium est, quòd etiam tempora vniuersalia citò transit, adeoque morbus breuis sit futurus; nam ex citâ transactione temporum particularium cognoscitur, an morbi causa sit tenuis, an crassa; ex cognitione autem causæ morbificæ cognoscitur celeritas motus totius morbi; nam morbi, qui tenuem causam habent, celerem habent motum, qui crassam, lentum, vt suprà. Illa tempora particularia seu paroxysmos oportet considerare non tantùm in febribus intermittentibus sed etiam continuis; nam etsi continuæ febres non habeant suos paroxysmos tam euidentes, quemadmodum intermittentes, habent tamen aliquos; atque hæc est confusa temporis exitus morbi cognitio, quâ tantùm scimus, an morbus breui an serò exitum sit habiturus: sed per supradicta non scimus determinatum diem aut horam mortis. Restat ergo descendere ad illa signa, quibus indicatur, quo die, quâ horâ morbus sit finiturus.

CAP. VIII.

Signa temporis determinati exitus morbi.

PRo quo notandum, quòd dies exitus morbi non possit cognosci in morbis diuturnis, sed tantùm in acutis, & in iis qui concoquuntur ac soluuntur per crisim: ratio est, quia cognoscitur dies exitus per hoc, quod cognoscitur dies criseos: nam in die criseos est exitus morbi vel ad bonum vel ad malum. Dies autem criseos cognoscitur ex signis coctionis, ex symptomatibus, ex temporibus morbi, ex motu eius, ex consideratione dierum criticorum & indicum; illa omnia non habent locum in morbis longis, quia morbi longi non terminantur crisi, nec habent dies indices aut criticos; denique morbi longi multis durant diebus; in illâ autem multitudine dierum difficile est iudicare, quo illorum morbus sit permutandus, & tempora eorum lentè permutantur, & non valdè bene distinguuntur. At acuti morbi paucis diebus durant, in quâ paucitate facilè potest colligi, quis sit dies criseos futurus; denique in acutis tempora manifestè distinguuntur, & manifestè cognoscitur tempus status; vnde cùm in statu fiat crisis, facilè cognoscitur, quo die illa sit futura. Dicere itaque quo die determinato morbus

bus sit exitum habiturus, ferè est dicere, quo tempore vniuersali morbus est finiendus; quando enim scimus, quo tempore vniuersali sit finiendus, tunc ferè scimus quo die; nam cùm scimus tempus generale, & cum eo quis dies sit futurus criticus, quis futura dies index, quis sit dies accessionis particularis, facilè sciemus, quis sit dies crisεos; fit enim crisis in statu & maximè die decretorio, & maximè in accessione particulari, seu in ipso paroxysmo.

Sciendum itaque, quòd in multis temporibus ægri possunt mori; possunt mori in statu, & in eo vt plurimùm moriuntur, quia illud est pessimum morbi tempus. Etiam in morbis, qui non sunt maximi vel valdè maligni, semper moriuntur in statu; In morbis verò maximis, pestilentibus, malignis, aliquando moriuntur in augmento, aliquando in principio; in declinatione verò nunquam potest æger mori, quia in declinatione natura est superior morbo. Quoad morbos salubres, qui curantur, dico, quòd morbi vel paulatim soluuntur ad sanitatem vel subitò: qui paulatim, soluuntur in declinatione, tales enim morbi soluuntur concoctione; coctio autem in declinatione est perfecta; at qui subitò ad sanitatem soluuntur, non possunt solui neque in principio, neque in augmento, neque in declinatione; non enim in declinatione, quia qui subitò ad sanitatem soluuntur, soluuntur mediante pugnâ; at pugna inter morbū & naturam non potest fieri in declinatione, sed tantùm in statu; quia in declinatione morbus est iam à naturâ superatus & sic tum non est ampliùs pugna inter morbum & naturam; itaque non nisi in statu fieri potest solutio subita, nempe in fine status: non etiam potest subita solutio fieri in principio; quia tunc natura necdum aggreditur morbum, ideoque non potest inter eos esse pugna: non etiam in incremento, quia tum concoctio necdum est perfecta. Verbi gratiâ; scimus, in quo morbi tempore sit solutio, nempe in statu, & status in acutis non continet nisi duos, tres aut quatuor dies, scimus confusè, quòd in vno illorum dierum, & maximè in posteriori fiet crisis siue solutio. Vt autem illum diem præcisè sciamus, oportet diem indicem; dies enim index decretorium indicat; in die decretorio crisis plerúmque fit, vt dictum est. Oportet etiam considerare diem paroxysmi febrilis; quia cùm paroxysmus sit pessimum tempus morbi, in illo fit maxima irritatio naturæ, adeoque lucta, & consequenter crisis seu morbi exitus. Dies ergo indices maximè indicant diem exitus; sic quartus indicat quid futurum die septimo, vndecimus quid decimo quarto, decimus septimus quid vigesimo, vel vigesimo primo, & sic deinceps. Vnde sciendum, quòd primi quaternarij sint fortiores & efficaciores indicatione posterioribus; primi enim vsque ad vigesimum plurimam vim habent & securitatem in indicando; qui vigesimum sequuntur non item, & inter illos adhuc certiùs indicat quartus quàm vndecimus, vndecimus quàm decimus septimus: vt enim septenarij seu decretorij primi sunt fortiores posterioribus in indicando, & eo quo sunt posteriores, semper magis magisque

perdunt

perdunt ſuam vim in ſyguificando, ita quoque indices primi ſunt fortiores in indicando poſterioribus.

Signa autem, quæ in die indice indicant, ſunt ſigna concoctionis vel diſpoſitionis coctioni contrariæ ; nam ſi ſigna coctionis euidentiora apparent die quarto, aut ſi aliqua incipiens euacuatio tum appareat, vt ſtilla narium, leuis ſudor, &c. ſignum eſt die ſeptimo criſim futuram; ſic Hipp. 4. *Aphor.*71. *Vrina*, inquit, *nebulam oſtendens ſeptimo, futuram ſalutem oſtendit.* Porrò non tantùm ſigna coctionis vel cruditatis, ſed etiam ſymptomatum in die indice notabilis acutio vel diminutio in die decretorio ſubſequente criſim ſeu exitum morbi ſignificat ; nam ſi illo die noua aut praua aliqua ſymptomata appareant, aut peiora notabiliter augeantur, malum exitum die ſeptimo oſtendunt ; ſi minuantur, bonum. Porrò, vt dixi, oportet etiam acceſſiones morbi conſiderare, & videre quo die ac tempore illa recurrant ; nam ſecundum ea tempus exitus etiam parùm variatur; nam criſis plerumque fit in die acceſſionis, eò quòd acceſſiones malignitate ſuâ naturam valdè irritent, & conſequenter excitent ad criſim faciendam: acceſſiones autem magis accidunt in aliquibus morbis in diebus paribus, in aliis in imparibus. Morbi autem lætales paribus, ſalutares imparibus magis iudicantur ; cùm itaque lætalis eſt morbus, etiamſi die quarto criſis ſeu mors ſit indicata, tum ratione acceſſionis, quæ fortè in ſextum diem incidit, tum etiam quia lætales magis iudicantur diebus paribus, fiet quòd potiùs ſexto, qui eſt par, quàm ſeptimo, qui eſt impar, infauſta criſis, & cum eâ mors ſit futura; impetus enim acceſſionis facit criſim præuenire diem ſeptimum, & fieri citiùs, nempe die ſexto : nam malignitas acceſſionis naturam irritans facit, quòd natura non poſſit expectare diem ſeptimum, ſeu diem, qui fuit indicatus, ſed eum præueniat. Oportet ergo vnà cum die indice acceſſionis vim ponderare, an natura poterit expectare diem ſeptimum, an verò vi acceſſionis irritata eum ſit præuentura. Porrò & propter errorem aliquem in morbo commiſſum ſiue à medico ſiue ab adſtantibus, vel ægro, cauſis externis, aëre, animi paſſionibus, &c. fieri poteſt, vt dies varietur : nam, vt diximus, errata in morbo ſalutari faciunt criſim ſeriùs contingere ; in exitiali verò citiùs. Propter robur aut imbecillitatem naturæ poteſt etiam dies prolongari aut abbreuiari: nam magnum naturæ robur in morte ſalutari fortè faciet criſim paulo citiùs ante ſeptimum diem fieri : in lætali verò, quo reſiſtit diutiùs cauſæ morbificæ, faciet vt ſeriùs ſeu poſt ſeptimum diem eueniet. Contrà verò imbecillitas naturæ, quæ non poteſt perdurare, ſeu reſiſtere morbo vſque ad diem ſeptimum, poteſt facere vt criſis mala ante ſeptimum diem, ſeu ante diem à die indice indicatum, eueniat. Oportet etiam conſiderare celeritatem motus morbi ; poteſt enim fieri, quòd ita celeriter morbus mouebitur, quòd diem ſeptimum ſuâ celeritate præuertet.

Dies ergo index indicat diem exitus morbi ſiue ad bonum ſiue ad malum. Sed acceſſio, celeritas motus, errata externa, robur vel imbecillitas

litas naturæ, diem illum indicatum parùm immutant, & faciunt, vt vel paulò citiùs vel seriùs crisis eueniat. Quuòd si noctem circa diem septimum vel ante videris esse difficilem, certum erit postridie esse crisim futuram, secundum illud Hipp. 2. *Aph.*13. *quibus crisis fit, antecedens nox difficilior fit.*

Notandum insuper, in morbis inordinatis & inconstantibus, quales sunt erraticæ febres, non bene posse diem euentus prædici; cùm non possit in eis cognosci, qui quaterni, qui septeni, adeoque qui indices & decretorij dies sint.

Porrò præter diem euentus potest & hora cognosci, quæ si colligitur: Exitus morbi in die accessionis, vt dictum est, maximè contingit; si ergo scimus, in quo tempore particulari accessiones seu paroxysmi exitus morbi maximè fiat, iam scimus horam eius.

Sciendum ergo, quòd in morbo salubri solutio maximè fiat in declinatione accessionis; in morbo lætali potest mors contingere quouis tempore paroxysmi: itaque vt hora cognoscatur, primùm oportet considerare, quo tempore accessionis antea æger semper peius habuerit; in illo enim eodem tempore, quo anteà peius habuit, verisimile est etiam tunc peius habiturum, adeoque morituram; mors enim fit in pessimo tempore. Secundò: oportet considerare genus seu naturam morbi, & symptomata morbi; aliqui enim morbi mortem maximè inferunt suffocando calorem naturalem; aliqui verò intensione & magnitudine symptomatum vires superantium, aliqui merâ virtutis resolutione. Qui suffocatione caloris, moriuntur in principio paroxysmi; quia tunc calor natiuus magis ad centrum recurrit, vnde tunc intus faciliùs suffocatur. Qui violentiâ morbi & magnitudine symptomatum, illi magis moriuntur in incremento & statu paroxysmi; eò quòd tunc ob prægressa paroxysmi tempora principium, incrementum ac statum, facultas maximè laborauerit, & laborando sit fatigata, & vires exsolutæ; quapropter qui internis inflammationibus laborat, aut morbis pendentibus ex multis crassis succis, iis maximè timendum in principio; quia eo tempore calor natiuus vnà cùm sanguine aliisque humoribus, tum naturalibus, tum morbificis, ad locum inflammationis retractus suffocatur. Qui febribus vehementibus, iis timendum in statu paroxysmi, quia tunc febris symptomata sunt maxima. Qui per totum morbum seu totum morbi tempus virtutis solutiones & syncopes passi sunt, iis timendum in declinatione paroxysmi. Ex his ergo scitur, quo tempore particulari seu quo tempore paroxysmi exitus morbi sit futurus; hoc autem est idem, ac scire horam exitus; quia tempora certâ horâ eueniunt, & non nisi paucis horis durant.

CAP. IX.

§. I.

Prognostica exitus morbi à modo desumpta.

MOrbi omnes vel manent in eodem statu vel mutantur. Si mutantur, vel mutantur ad perfectam conualescentiam, vel ad statum medium. Finiuntur autem vel ad conualescentiam vel mortem totius, vel alicuius tantùm partis: ad conualescentiam vel mortem totius, si sint morbi totius corporis, vel si sint morbi partes aut facultates toti necessarias lædentes: ad conualescentiam aut mortem vnius tantùm partis, si sint morbi vnam tantùm particularem aliquam partem afficientes. Vel finiuntur ad statum medium, idque tripliciter: vel enim tantùm meliorantur, sic vt non perueniant ad perfectam sanitatem; vel tantùm deteriorantur, sic vt non terminentur ad mortem. Ad perfectam terminantur sanitatem, cùm natura est absolutè superior: ad mortem, cùm morbus est superior. Deteriorantur, cùm quidem morbus est superior, non tamen absolutè: meliorantur, cùm natura est superior, sed non tamen etiam absolutè. Manent in eodem statu, cùm neutrum alterum absolutè vincit. Qui manent in eodem statu, necessariò sunt in aliquâ parte vitæ non necessariâ; vt paralysis in neruis, fistulæ in cruribus, podagra in artubus, & sunt morbi radicati, & tamen parui, cum quibus homo sanus & adhuc diu commodè viuere potest. Qui deteriorantur tantùm, aut meliorantur, sunt morbi, qui paulatim soluuntur: de quibus iam dicendum.

Permutantur porrò omnes morbi, siue sint salutares siue lætales vel in vnam vel in alteram partem, vel subitò vel paulatim. Quoad salutares, intemperies partium sine materiâ paulatim vincuntur, vlcera paulatim carne implentur, fracturæ vulnera paulatim curantur, &c. Quoad lætales, paulatim conficiunt, qui sunt in parte ignobili, qui tales naturâ sunt, vt paulatim serpant & augeantur; vt cancer, elephanthiasis, tumor frigidus pericardij, frigidus affectus mesenterij paulatim hepar debilitat. Item affectus qui sunt in parte nobili sed tardè crescunt lenteque mouentur; vt vitcerum intemperies, vlcera renum, lienis, iecoris, vteri, viscerum obstructiones, scirrhi viscerum; quæ omnia, cùm curari non possunt, paulatim capiunt incrementum. Morbi qui subitò finiuntur, vel finiuntur cum pugnâ, id est, cum magnâ perturbatione corporis, & subitâ ac violentâ humoris morbifici agitatione, vel finiuntur sine pugnâ. Tam salubres, quàm lætales morbi possunt finiri vel paulatim vel subitò. Salubres finiuntur paulatim, quando morbus est parvus, vt ephemera; talis enim

enim ob paruitatem non facit resistentiam naturæ. Salubres finiuntur subitò, quando morbus est magnus, & vires sunt maiores. Salubres morbi, qui subitò finiuntur, semper finiuntur cum pugnâ; quando enim natura subitò superat morbum, hoc facit violentiâ quâdam humoris morbifici expulsione; violentam autem & subitam expulsionem non potest facere sine luctâ; causa enim morbifica resistit conatui naturæ, vnde corpus grauiter perturbatur; & hoc est pugna. Letales morbi qui finiuntur subitò, finiuntur aliquando cum pugnâ, aliquando sine eâ. Tunc finiuntur sine pugnâ, quando morbus & causa morbifica sunt adeò violenta & pernicioſa, vt subitò naturam pessundent, sine eo, quòd natura audeat se malignitati morbi opponere; cùm autem sese non opponit, tum non fit lucta. Lætales morbi tunc finiuntur cum pugnâ, quando morbus & causa morbifica superant quidem naturam, sed tamen non ita absolutè, quin adhuc natura fortiter iis resistat, & pugnet cum iis, priusquam patiatur se superari. Morbi maligni venenati & pestilentes plerumque finiuntur sine pugnâ; quia adeò statim à principio naturam & cordis robur labefactant, vt natura sic oppressa non valeat eis obsistere. Sine pugnâ etiam possunt finiri morbi magni ac exitiales, etsi non sint toto genere magni, nimirum si superueniant viribus ex præcedenti aliquo morbo, vel aliâ causâ summè debilitatis; tales enim finiuntur ad mortem subitò ob morbi magnitudinem, & tamen sine pugnâ ob virium summam debilitatem. Cum pugnâ etiam finiuntur morbi magni, qui non toto genere sunt magni, & qui coniunguntur cum viribus mediocriter robustis, id est, sic robustis, vt tamen sint inferiores morbo; quia enim magni sunt, subitò finiuntur; quia verò natura non est satis robusta, ideò finiuntur ad mortem. Qui subitò & sine pugna finiuntur, eorum terminatio non habet proprium nomen. Qui subitò & cum pugna finiuntur, finiuntur crisi & violentâ humoris morbifici expulsione, saltem à naturâ tentatâ siue cum bono, siue cum malo fine.

Itaque crisi finiuntur morbi salutares & lætales; verùm salutares finiuntur crisi bonâ & ad sanitatem, lætales verò crisi mala & ad mortem. Verùm cùm finiuntur ad mortem, illa est crisis impropriè dicta; quia crisis propriè dicta denotat mutationem ad salutem.

Morbi qui finiuntur crisi, finiuntur crisi facta vel per translationem vel per expulsionem: duplex enim est crisis per translationem & per expulsionem. Crisis per expulsionem est, quando natura expellit causam morbificã totaliter extra corpus. Crisis per translationem, quando natura causam morbificam non expellit extra corpus, sed in aliam partem. Crisis quæ fit per expulsionem, fit vel per hæmorrhagiam, vel menses, vel hæmorrhoïdes, vel vomitum, vel sudores, vel vrinas, vel deiectiones. Crisis quæ fit per translationem, fit, cùm causa morbifica transfertur à parte affectâ ad aliam partem, in quâ facit morbos alios, & illa

causa morbifica vel transfertur ad partes ignobiles & externas, vel in partes nobiles ac internas: in partes externas, vt carnes & autem; & tunc facit in eâ vel parotydes, vel bubones, vel exanthemata, vel alias cutis efflorescentias, aut prauum colorem, vt in Ictero. Aliquando in partes internas, & tum in iis facit alios morbos. Et illa causa morbi sic transfertur, vel vt tota simul conglobetur in tumorem, & faciat apostema; & illa vocatur crisis per abscessum: vel sic transfertur, vt non sit ita conglomerata pro tumore; & tunc pro diuersis partibus, quibus incumbit, diuersos in iis parit affectus; & illa vocatur crisis per permutationem.

§. II.

Alia signa modi exitus.

1. Modi sicut alia omnia prognostica, etiam desumuntur à morbo & naturâ; cùm enim morbus & natura sint causæ omnium, quæ in morbis eueniunt, etiam sunt causæ modi, quo morbus terminatur; & signa omnia modi exitus ab illis desumuntur. Quòd natura & morbus etiam sint causæ modi exitus, est manifestum: natura enim & morbus, quatenus se hoc vel illo modo habent, & quatenus natura est debilis vel fortis, provt etiam morbus est magnus vel paruus, hæc vel illa morbi species in hâc vel illâ parte, ab hâc vel illâ causâ progenitus, eatenus causa sunt, vt morbus hoc vel illo modo, lentè vel subitò, cum pugnâ vel sine pugnâ, per pulsionem vel translationem, & per hanc vel illam expulsionem terminetur: sic natura valida potest subitò & cum impetu hominem sanare, debilis verò non nisi lentè. Morbus validus subitò hominem interire facit, paruus lentè; sic species morbi etiam indicant modum exitus; sic ephemera indicat morbum paulatim finiendum, quia est morbus paruus. Morbi magni, celeres, acuti morbum crisi finiendum indicant; morbi à bile indicant subitum exitum futurum, & potiùs per expulsionem; quia materia est acuta, calida, tenuis, leuis, facilè expulsibilis. Morbi autem à pituitâ indicant lentam solutionem, vel solutionem per translationem; quia materia est frigida, viscida, lenta crassa, & sic non facilè ex toto corpore expulsibilis, sed tantùm aliquando vsque in partem aliquam vicinam: sic morbi à sanguine indicant crisim, per hæmorrhagiam, menses: A bile per sudores, vrinas: à pituitâ per vomitum, secessum: à melancholiâ per hæmorrhoïdes. Morbi in partibus supernis per hæmorrhagiam, vomitum, parotides; in partibus infernis per menses, deiectiones, hæmorrhoïdes. Modum exitus morbi à naturâ & morbo manifestum est ex his omnibus, sicuti alia omnia prognostica, pendere. Verùm quia morbi & naturæ robur non semper ex se ipsis dignoscuntur, sed sæpe debent per alia dignosci, vt ex causis, symptomatibus, parte affectâ, iuuantibus ac lædentibus; ideò

ex

ex his manifestiùs signa desumuntur modi exitus morbi, quæ tamen eatenus tantùm indicant modum exitus, quatenus indicant morbi vel naturæ constitutionem. Ab his ergo quatuor morbi exitus cognoscuntur, nempe à morbi specie, causis, symptomatibus, iuuantibus & lædentibus. Quia porrò nulla morbi solutio perfectiùs cognosci potest quàm crisis, & quia nullam in morbis solutionem tanti refert cognoscere, quantam futuram crisim; ideò tota ratio cognitionis modi exitus ferè versatur circa cognitionem crisis; alias enim lentas morborum solutiones cognoscere magni non refert; cùm earum ratione non sit necessarium curam multùm variare, nec ex iis certum ad vitam vel ad mortem euentum ita bene possimus cognoscere; quia non potest bene dignosci, per quam viam, quando & quo modo illæ lentæ & paulatinæ solutiones sint futuræ. At crises quando, quomodo, & an ad salutem vel mortem sint futuræ, multò euidentiùs cognoscuntur. Denique sciendum, an crisis sit futura nec ne, futura ne est breui, an serò. Secundum hoc debet medicamentum & victus ratio mutari; idcirco interest medicum esse valde versatum in cognitione criseos. Itaque cùm illam solutionem in morbis cognoscere sit tanti momenti, ideò de eâ in hac tertiâ prognosticorum parte agendum.

SECTIO VI.

CAPVT I.

De Crisi.

§. I.

MORBI ergo terminantur dupliciter, vel subitò & violenter, ac cum pugnâ; & hoc est iudicari aut solui per crisim: vel terminantur lentè; & hoc est solui per simplicem solutionem: primò dicemus de terminatione per crisim.

Crisis nomen variè sumitur apud Hipp. Verùm in propria significatione crisis est subita ac violenta causæ morbificæ ex parte affectâ expulsio, facta à naturâ ad finem, vt inde sanitas sequatur. Dico (subita ac violenta) ad distinctionem aliarum solutionum, quæ lentè fiunt: dico (expulsio ex parte affectâ) quia, vt supra dictum est, non est necessarium in crisi, vt causa morbifica expellatur extra corpus, sed vt expellatur ex parte affectâ; & hoc sufficit ad hoc, vt sit crisis, potest enim in crisi expelli non extra corpus, sed tantùm in partem aliquam.

§. II.

Causæ Crisεos.

Tres sunt causæ efficientes crisεos ; prima sunt dies decretorij , secunda est causa morbifica, tertia validum robur naturæ. Primò dies decretorij sunt causæ crisεos , quatenus habent ex naturâ vim inducendi motionem humoribus , & sic naturam excitandi ad crisim. Secunda causa sunt humores morbifici , qui vel cruditate suâ vel acrimoniâ vel malitiâ irritent naturam ad expulsionem,vel concoctione sua & maturitate inuitent eam ad sui deturbationem & expulsionem ; interim tamen nec dies critici, nec causa morbifica sunt veræ crisεos efficientes,sed tantùm adiuuantes vel impellentes , quæ species causarum etiam ad causam efficientem referuntur. Tertia causa est natura, & illa est vera causa efficiens crisεos , quia illa est , quæ effectiuè expulsionem facit ; natura autem tantùm crisim facit, cùm est robusta, non autem cùm est debilis, vel saltem cùm superat causam morbificam ; nisi enim superaret , non posset crisim facere : non est tamen necesse , vt omninò sit robusta, sed sufficit , quòd sit robustior causa morbifica ; si enim necessariò in totum superaret , & semper absolutè robusta esset , deberet necessariò semper post omnem crisim sequi sanitas , & omnis crisis deberet esse bona ; cùm tamen è contrà sæpe sit mala & imperfecta.

Cap. II.

§. I.

Circa solutionem per crisim quatuor sunt consideranda ; 1. an sit futura crisis. 2. quando sit futura. 3. quomodo.4. qualis sit futura, an bona, an mala seu imperfecta.

An crisis sit futura , cognoscitur ex morbi specie , morbi tempore, symptomatibus , & naturæ robore , & aliis signis , quæ hæc indicare possunt.

Ex morbi specie cognoscitur futura crisis; si morbus sit talis , vt per crisim sit solubilis ; aliqui enim morbi tales sunt , vt per crisim soleant plerumque finiri ; alij non per crisim , sed lentè & paulatim : si sunt terminabiles per crisim, quando tales adsunt , indicium faciunt futuræ crisεos , si alia omnia correspondeant. In primis igitur morbi calidi, magni , acuti per crisim soluuntur ; frigidi verò , lenti,parui , non item. Ratio est , quia in crisi debet esse pugna inter morbum & naturam; in lentis autem & paruis morbis non est talis subita pugna ; ergo qui

decimum

decimum quartum diem excedunt, plerumque non terminantur crisi. Dico (plerumque) quia etiam aliquando diuturni possunt crisi terminari, sed hoc est rarum; sic Antiphoni Cretopoli apud Hipp. contigit, qui circa diem quadragesimum per crisin fuit liberatus; sic 6. *Epid.* dicit, Cleantidem rigore percussum febricitasse acutè, & iudicatum largo sudore die 80. & in *Epid.* dicit Nicodemum in Abderis per vrinas die 24. fuisse iudicatum, & virginem in Abderis per sudores 34. Verùm, vti dico, hæ crises raræ sunt, & plerumque non sunt perfectæ nec legitimæ. Tunc autem diuturniores morbi per crisim perfectè soluuntur, quando nouum aliquem impetum, aut vehemens aliquod incrementum, aut acutiem quandam acquirunt: alioqui quando morbi lento motu incedunt, non fiunt in eis crises. Porrò, quò morbus vlteriùs processerit & diuturnior factus sit, eò minùs violenter aut minùs per crisim, sed magis per simplicem solutionem terminatur; & si per crisim terminatur, quò est diuturnior, eò quoque magis lenta ac diuturna erit crisis; & sic est crisis magis imperfecta, & multis diebus durans; crisis enim perfecta & impetuosa, non nisi vno die durat. Porrò morbi particulares vni tantùm parti proprij non terminantur per crisim, sed solùm morbi toti communes & vniuersales. Præcipuè autem crises animaduertuntur in morbis venosi generis, in acutis, ardentibus & malignis febribus; & quando medici in prognosticis agunt de crisi, tunc illa solùm sunt intelligenda, quæ eueniunt in morbis acutis.

A causâ morbi etiam cognoscitur futura crisis; quia morbi, qui fiunt à causâ calidâ, ab humoribus putrescentibus, & maximè ex sanguine & bile, solent per crisim terminari; qui verò à pituitâ vel melancholiâ, non item: ratio est, quia calidi humores maximè putrescunt, & concoquuntur, & sic natura eos maximè intendit expellere: Quos enim humores natura concoquit, eos coquit ad illum finem, vt concoctos posteà expellat. Denique humores calidi magnos & celeres faciunt morbos, tales autem cum pugnâ celeriter, adeoque per crisim terminantur; insuper tales humores acrimoniâ & calore suo sunt infesti & maligni, & sic stimulant ac lacessunt naturam ad violentam & subitam expulsionem: sunt etiam tenues & naturâ suâ facilè expulsibiles: humores quoque quantitate abundante magis crisim faciunt quàm pauci; pauci enim à naturâ facilè superantur, multi non nisi cum pugnâ & violentiâ. Porrò, morbi pituitosi, etsi rariùs crisi terminentur, nonnunquam tamen etiam per eam terminari possunt, præcipuè si pituita putredinem aliquam aut mordacitatem acquisierit, vel si ei aliqua bilios materia fuerit admixta, vel morbus à pituitâ magnus. Talem crisim describit Hippocrates *in Epidem.* in illo ægro, qui in horto decumbebat, qui quadragesimâ die pituitosa multa ac alba deiecit, & sudauit, qui sudor proueniebat ex aliquâ parte illius materiæ pituitosæ, fortè extenuatâ, & ex parte aliquâ bilis illi permixtâ. Plerumque tamen cùm morbi pituitosi per crisim terminantur, terminantur per crisim imperfectam,

fectam, id est, per crisim factam per translationem seu metastasim, quæ crisis non est tam perfecta, sicut illa, quæ fit per totalem expulsionem; ratio est, quia cùm pituita sit crassa & lenta, non potest ita perfectè & absolutè ac totaliter extra corpus expelli, sed tantùm transfertur in vicinam aliquam partem.

A morbi tempore etiam futura crisis cognoscitur; non enim omni tempore fit crisis, sed plerumque in statu; cùm ergo status adest, & adhuc signa indicantia statum; indicium est breui futuram esse crisim. Alia morbi tempora, cùm in eis crisis non fit, non possunt ita bene de futurâ crisi, aut saltem non ita bene de tempore futuræ criseos indicare. Ideò autem crisis fit in statu, quia crisis fit post perfectam concoctionem; natura enim debitè operans non priùs expellit causam morbificam, quàm perfectè eam concoxerit; concoctio non priùs quàm in statu est finita. Dico crisim plerumque in statu fieri; quia aliquando etiam fieri potest in incremento, sed hoc rarissimè; & illa crisis non est optima aut perfectissima sed imperfecta, & contingit non à naturâ debitè operante, sed à malitiâ causæ morbificæ irritante; in incremento enim materia non est perfectè cocta, & ideò natura ordinatè agens eam expellere non conatur. Verùm si materia sit tam maligna, multa, acris, mordax, & naturam nimiùm lacessat, sic vt non valeat expectare donec eam perfectè concoxerit, vel si aliquid eo tempore incidit, quod aliâ ratione naturam ad expulsionem prouocet, fit etiam tunc aliquando, vt natura causam morbificam expellat, & faciat crisim; sed illa crisis non est secura; tum enim aliquando potest esse bona, aliquando mala; mala autem tripliciter, vel quòd tendat ad mortem, vel quòd tota causa morbi non sit expulsa, vel quòd fiat recidiua.

A naturæ robore etiam cognoscitur futura crisis: quia si natura est robusta, concurrentibus omnibus ad crisim requisitis, fiet crisis; contrà verò si natura est debilis, & causâ morbificâ inferior. Si ergo materia sit cruda, & multa signa concoctionis apparent, & tamen morbus sit in statu seu in summo quoad accidentia, quod indicium est naturam esse inferiorem causâ morbi, indicatur crisis non esse futura; insuper quoque etsi materia cocta sit, si interim adsint signa maximæ debilitatis naturæ, signum est crisim non esse futuram.

A symptomatibus etiam cognoscitur futura crisis, & quidem omnium euidentissimè, nam symptomata omnium signorum sunt euidentissima, & tum morbus, tum causa morbi, tum naturæ robur vel imbecillitas, à quibus futuræ criseos signa desumi iam diximus, ex ipsis symptomatibus cognoscuntur: illa symptomata vocantur critica signa; & etsi ex aliis iam dictis etiam signa futuræ criseos desumantur, tamen illa non vocantur propriè signa critica seu decretoria; sed signa critica præcipuè sunt symptomata. Sciendum ergo est, quòd signa quædam critica aliquando sint pessima symptomata, quæ cùm aliquando certo modo & certo tempore & in certis morbis apparent, sunt signa critica & indicant

indicant futuram crisim : dico (cùm apparent certo tempore & in certis morbis) quia illa pessima symptomata non sunt semper signa critica, nec in omni morbo, sed tantùm certo tempore & in certis morbis. Itaque illa symptomata non sunt ex naturâ suâ signa critica, nec semper, quando apparent, sunt critica, aut futuram crisim ostendunt, sed tantùm aliquando in certis morborum generibus, & certo tempore, & certo modo obuenientia ; & quando illa symptomata non sunt signa critica seu quando non indicant crisim, tunc sunt pessima, & indicant mortem seu magnum mortis periculum : at quando sunt critica, seu quando indicant crisim, tunc sunt bona, quia crisim in morbis futuram esse est bonum signum, quia indicat naturam validam & superiorem causâ morbificâ. Tamen illa symptomata seu signa critica in se considerata sunt terribilia, & ideò quando inexpertus Medicus illa videret in morbis, terreretur ab illis, & putaret esse signa mortis ; sicut sunt in aliis morbis, in quibus ipsa non sunt signa critica : sed quando expertus Medicus ea videt in acutis morbis per crisim iudicabilibus certo tempore apparere, non terretur ab illis, sed gaudet & bene sperat, quia etsi ipsa ex naturâ suâ videantur terribilia & lætalia, tamen per accidens, quatenus indicant futuram crisim, sunt potiùs bona ; cùm ergo illa symptomata non sunt critica ex naturâ suâ, nec semper crisim indicant, ideò oportet bene distinguere, quando talia symptomata sint critica & quando non, ne erremus, & ne ex illis fortè contrarium iudicium feramus ; quia quando sunt critica, indicant salutem ; quando non, mortem vel aliquod aliud malum indicant. Tunc autem illa symptomata sunt critica, quando oboriuntur ob agitationem & pugnam naturæ agitantis & mouentis causam morbificam ad expulsionem ; sed quando fiunt ab aliâ causâ, tunc non sunt critica, & indicant tantùm illam causam à quâ fiunt, & non futuram crisim. A multis autem aliis causis illa symptomata possunt fieri ; nam sunt aliquando symptomata pathognomonica orientia ex naturâ & specie morbi ; & tunc tantùm indicant morbi naturam & speciem, non crisim ; & quando sunt pathognomonica, tunc mox à principio adsunt ; aliquando sunt signa epiphænomena seu superuenientia, & tunc indicant morbi morem ; & conditionem, & malignitatem ; adeoque salutem vel mortem ; nonnunquàm verò designant crisim instantem, & tunc tantùm vocantur signa critica. Talia symptomata sunt : dolor capitis, inquietudo, anxietas, vigiliæ, difficilis respiratio, sensuum obtenebratio, aurium sonitus, splendores oculorum, delirium, vertigo, lipothymia, febris acutio, rigor, &c. hæc, dico, aliquando indicant futuram crisim, sed non semper ; sæpe enim solummodo indicant morbi speciem, vel malignitatem : sic difficilis respiratio in peripneumoniâ & pleuritide non est signum criticum sed pathognomonicum indicans morbi, sc. adesse inflammationem pectoris : sic oculorum splendores, vigiliæ, delirium in phrenitide non indicant vllam crisim sed tantùm morbi speciem sc. cerebri autem meningum in-

flammationem ; illa enim ſymptomata illos morbos naturaliter ſequuntur : ſic lipothymia, anxietas, obtenebratio oculorum, ſurditas in morbis, non ſemper indicant futuram criſim, nec ſemper ſunt ſigna critica, ſed ſæpe ſunt epiphænomena prouenientia ex morbi magnitudine, malignitate, & indicant mortem. Aliquando autem oriuntur ex pugnâ naturæ incipientis cauſam morbificam mouere ad faciendam criſim, & tunc ſunt critica & indicant futuram criſim: nam cùm incipit cauſa morbifica moueri, & natura cum illâ pugnare, ex illo motu & pugnâ oriuntur peſſima illa ſymptomata, corpus valde turbatur, vapores ex humoribus motis in caput, ad cor & pulmonem feruntur, & faciunt vigilias, anxietates, oculorum ruborem, reſpirandi difficultatem, febris exacerbationem, &c. vt ergo ſciamus, quando hæc ſymptomata ſint critica, quando non, ita eſt procedendum : quando aliqua ex his ſymptomatibus inceperunt apparere mox cum ipſo morbo, & ſtatim à principio, & quòd morbus talis ſit, & hæc talia ſymptomata ex naturâ producere ſoleat, indicium eſt non eſſe critica ; critica enim ſigna non apparent in principio, ſed in fine ipſius ſtatus morbi ; ſed quando hæc ſymptomata apparent in augmento morbi, & cùm oborientibus illis pathognomonica ſigna ſimul fiunt maiora, & nulla apparent ſigna concoctionis, ſed potiùs cruditatis, & ſignum quòd tunc non ſint ſigna critica, ſed potiùs epiphænomena prouenientia ex morbi magnitudine & malitiâ, & tunc ſunt mala & indicant mortem. Sed quando talia ſymptomata apparent in ſtatu, circa diem decretorium, & ſubitò ſuboriuntur, maximè cum antea non fuerint, & oriantur, multa ex illis ſimul, & præceſſerunt ſigna concoctionis, & adſit virtus valida, indicium eſt, quòd illa ſymptomata tunc ſint critica, & oriantur ex pugnâ naturæ cum cauſâ morbificâ ; non enim tunc poſſunt eſſe pathognomonica; nam ſi eſſent pathognomonica incepiſſent cum ipſo morbo ; & quando multa talia ſymptomata eueniunt, etiam indicium eſt, quod ſint pathognomonica, quia vnus morbus non habet, tam multa ſigna pathognomonica, aut tam multa ſigna diuerſa, imò contraria. Non poſſunt etiam eſſe ſigna epiphænomena, ſeu ſigna mali moris, aut magnitudinis aut malignitatis morbi ; quia ſi virtus ſit valida, & ſigna concoctionis præceſſerint, non poteſt morbus malignus eſſe. Reſtat ergo, vt ſint epiphænomena boni moris, id eſt, ſigna critica. Eſt tamen nihilominus adhuc ſæpe difficile bene diſtinguere, an illa ſymptomata ſint pathognomonica an verò epiphænomena, an critica; propterea debet Medicus valde eſſe circumſpectus, ne faciendo iudicium ex eis decipiatur.

Porrò not. quòd ſigna critica adhuc ſint diuerſi generis; nam alia ſunt, quæ ſolam perturbationem criſi præuiam oſtendunt, quia à ſolâ illa perturbatione cauſantur : vt capitis dolor, inquietudo, vigiliæ, difficilis reſpiratio, ſenſuum obtenebratio, temporum & frontis grauitas, aurium ſtrepitus, ſplendores oculorum, lacrymæ inuoluntariæ, obliuio, rigor, faciei rubor, faſtidium, ſitis, æſtus, hypochondriorum tenſio,

sio, nox difficilis, &c. alia sunt quæ simul perturbationem & simul expulsionem à naturâ factam demonstrant, vt vomitus, alui deiectiones, sudores, &c. illa prima sunt tantùm signa crisεos futuræ, hæc verò non tantùm futuræ, sed ipsius etiam crisεos causa seu pars.

Est & alia signorum criticorum diuisio; quædam enim sunt omni crisi communia, & indifferentes sunt omnis & qualiscunque crisεos signa; vt anxietas vigiliæ, delirium, somnus grauis, difficilis respiratio, sensus alienatio, &c. at quædam sunt quæ certam tantùm crisim, id est, tali vel tali modo, per talem vel talem partem futuram indicant; sicut dolor capitis, colli, ventriculi, oculorum suffusio & rubor, crisim per hæmorrhogiam futuram significant, & sic sunt multa alia, de quibus postea in particulari agemus.

Porrò non omnem crisim præcedunt omnia signa critica superiùs enumerata, sed aliqua tantùm, & in aliquibus morbis hæc, in aliis alia, provt crisis aliter atque aliter est futura, & provt varia est morbi species, aut ægri natura. Vnum ex præcipuis signis, ex quibus futura crisis dignoscitur, est, si ea quæ excernuntur sint concocta, & talia vt causæ morbificæ concoctionem indicant; quia vbi causa morbifica est cruda & inconcocta, & nulla præcesserunt signa concoctionis in excrementis, & vbi vrinæ sunt crudæ, turbatæ, sine nubeculâ, suspenso aut hypostasi, indicium est, nullam esse futuram crisim; naturæ enim ordo est, vt non expellat causam morbificam, nisi coctam; si ergo concocta sit, & concoctionis signa apparent in excrementis, ac præcipuè in vrinis, & morbus talis sit, qui crisi solui natus est, & vires ægri respondeant, signum est, quod natura materiam morbificam expellet, & crisim faciet; sin cruda sit, indicium est quòd non: indicium enim est naturam causâ morbificâ esse interiorem, præcipuè verò si vires debiles siue ex pulsu siue ex aliis signis esse comperiantur.

Porrò non tantùm ex prædictis, sed ex regione, anni tempore, naturâ ægrotantis colligi potest, an sit futura crisis; si enim regio calida sit & sicca, si anni tempus æstiuum, si æger sanguineus, biliosus & calidæ complexionis, signa sunt futuræ crisεos; quia in talibus crisεs maximè fieri natæ sunt: In frigidis regionibus, anni tempore frigido, & complexione frigidâ crisεs minùs fiunt, quia in talibus morbi sunt magis pituitosi, quos supra dictum est crisi non ita finiri; aut non sint pituitosi, non sunt tamen legitimi, aut ex bile aut ex sanguine puris ac syncεris, sed spurij ac nothi, & ex illis cum frigidis humoribus permixtis. In huiusmodi ergo regionibus, anni tempore, complexionibus, humores non ita putrescunt; quare neque ita exactè à naturâ coquuntur: & cùm causa morbifica non sit sincera, sed mixta cum humoribus frigidis, morbi non sunt tam acuti, neque celeres, neque causa morbifica habet illam mordacitatem, quâ naturæ adeò sit molesta, aut eam sic irritet aut stimulet ad subitam aut violentam expulsionem, quæ omnia requirunt, vt crisis fiat. Itaq; in Belgio, Germaniâ multò rariores sunt crisεs quàm in

Italiâ & Hiſpaniâ. Accedit quòd non in hâc tantùm regione, ſed & omnibus aliis multo rariores ſunt criſes quàm temporibus Galeni fuerunt; aut ſi ſint æquè frequentes, non ſunt tamen perfectæ, nec tam ſubitæ ac manifeſtæ, ſed magis ſpuriæ & obſcuræ, & naturam ſimplicis ſeu paulatinæ ſolutionis redolentes; adeò vt nobis continuò praxim exercentibus rarum ſit perfectas ac legitimas criſes animaduertere; quapropter cùm criſes hic imperfectæ, raræ & obſcuræ ſint; & ſigna quoque critica hic rara ſint & obſcura atque imperfecta; & ideo in hâc regione multò difficiliùs & incertiùs eſt cognoſcere & prognoſticare, quàm in illis calidis regionibus: nam neque hîc eſt illorum dierum indicum aut decretoriorum, quæ in aliis regionibus ad indicandum poteſtas, ex quibus maximè & an futura ſit criſis, & quo tempore, & an bona an mala eſt, dignoſcendum. Atque hæc ſunt omnia ſigna, ex quibus cognoſcitur, an criſis ſit futura. Inter quæ eſt notandum, quòd aliqua aliquando in morbo indicent futuram criſim, ſed non indicant eam ſtatim futuram eſſe, ſed aliquando, & in ſuo tempore. Talia ſunt morbi ſpecies, magnitudo, pars affecta, cauſa morbifica, regio, anni tempus, temperamentum ægrotantis, &c. ſed hæc non vocantur propriè ſigna critica. Alia iam proximam ac inſtantem criſim ſignificant; & illa ſunt illa peſſima ſymptomata ſupra dicta; & talia ideò propriè ſigna critica vocantur.

§. II.

Quando ſit futura Criſis.

Criſis iam inſtans cognoſcitur ex ſignis iam dictis, quæ propriè critica vocantur, & ex morbi tempore cum illis coniuncto; quia ſi iam eſt morbi ſtatus, & illa ſigna critica ſubitò oboriantur, nempe magna in tempore perturbatio, inquietudo, ſpirandi difficultas, pulſus inæqualis, mentis repentina alienatio, delirium, paroxyſmus vehementior, rigor, ſitis, capitis dolor, difficilior ſine ratione morbi tolerantia, indicium iam iam imminere criſim; at in principio vel in incremento, & diu ante cognoſcere, quando ſit futura criſis, colligi debet ex aliis ſignis, nempe ex morbi ſpecie, magnitudine, celeritate motus per ſua tempora, cauſâ morbificâ, anni tempore, regione, temperamento ægrotantis, & omnium maximè ex citiùs vel ſeriùs apparentibus manifeſtis ſignis concoctionis; tum etiam ex diei decretorij propinquitate vel remotione, ex naturæ robore vel imbecillitate.

Sciendum igitur eſt, criſes optimas & ſalutares maximè & præcipuè fieri in ſtatu morbi; quantum ergo abſumus à ſummo ſtatu morbi, tantùm quoque abſumus à tempore criſeos. Nihilominus tamen fiunt interdum criſes in principio ſtatus ſeu in morbi incremento, & hoc quando natura eſt valdè robuſta: hoc etiam cognoſcitur ex diebus indicibus;

dicibus ; index enim septimi est quartus, decimi quarti vndecimus, vigesimi primi decimus septimus. Si ergo aliqua signa critica appareant in die indice, signum est crisin futuram in illo die decretorio, qui illi diei indici respondet : si in quarto apparent , futuram crisim in septimo significant, si in vndecimo futuram decimo quarto. Si ergo diebus indicibus euacuationes quæpiam, aut signa coctionis in excrementis appareant, aut signa aliqua criticum motum ostendentia, quæ scilicet antea non apparuerunt, vt si vehemens capitis dolor appareat, qui ante non apparuisset, absque dubio futuram crisim denotat : si tum aliqua incipiens euacuatio vel stilla narium oboriatur, esset indicium in proximo sequente die decretorio illo indici respondente , crisim futuram esse; & bonam quidem , si signa critica in die indice apparentia sint bona; malam , si mala ; subintellige , si crises perfectæ sint futuræ , & alia omnia iusto ordine progrediantur ; alioqui sciendum, quòd vel morbus aliam naturam acquirit , aut malignus est , ita quod ante vel post solito celeriùs moueatur, alio atque alio die crisis fieri poterit. Porrò ratione paroxysmorum dies quoque decretorius variatur ; nam qui paribus diebus habent accessiones, paribus quoque iudicantur; qui imparibus, imparibus etiam iudicantur ; cum enim in paroxysmo natura valde stimuletur à causâ morbificâ , si dies paroxysmi præueniat diem criticum à die indice indicatum ; & quam crisim die decretorio alioqui fuisset factura , propter istam irritationem faciet in die paroxysmi : si ergo dies quartus, qui est index , indicauerit crisim futuram in septimo , si paroxysmus inciderit in diem quintum aut octauum , fiet potiùs , vt crisis die sexto vel octauo eueniat : sed si paroxysmus incidat in diem septimum , cùm ille sit decretorius , absque dubio morbus terminabitur in illo. Porrò concoctionem seriùs vel citiùs in vrinâ apparere , celeritatem iudicij portendit ; morbum celerem motum habere , citò per sua tempora transire , celeriter augeri , & citò epiphænomena signa apparere , indicium est , morbum futurum breuem , & citò crisim futuram. Proinde quæcunque signa morbi breuitatem indicant, ea quoque & tempus futuræ criseos , id est , crisim citiùs futuram esse possunt indicare, quò natura est robustior , eò celeriùs, quò debilior, eò tardiùs crisim molietur ; nam quò est robustior eò & citiùs humores concoquet & expellet : quòd si simul natura à morbi vehementiâ irritetur, crisis tempus ordinarium præuertet, etiamsi non adhuc exactissimè humores sint cocti. Errata , quæ in morbo eueniunt sæpe faciunt crisim non esse ; impediunt enim sæpe humorum inceptam concoctionem, ex quâ serior crisis.

CAP. III.

Quomodo Crisis sit futura.

§. I.

CRisis triplex est, alia fit per expulsionem, alia per translationem seu metastasim, seu vt vocant per abscessum, alia aliquando per longum somnum. Per expulsionem fit, quando materia morbifica extra corpus expellitur: per abscessum dicitur esse illa crisis, quando causa morbifica expellitur quidem ex parte affectâ, & morbus soluitur, sed non totaliter expellitur extra corpus, sed in aliam aliquam partem externam, aut ignobiliorem, & in eâ parit alium morbum, & sic vocatur crisis per abscessum; quia tum causa morbi abscedit à parte affectâ & secedit in aliam: crisis per expulsionem est crisis perfecta, per translationem verò imperfecta. Fit autem crisis per translationem seu abscessum ob tres causas: vel quia natura non est satis valida ad expellendum humores extra corpus, sed solùm expellit aliquo vsque; vel quia causa morbifica est densa, crassa, pituitosa & viscida, miniméque fluida, sic vt partibus adhæreat, nec per eas liberè & faciliter feratur; vel quia ductus per quos ipsa deberet expelli sunt anguſti & non satis apperti. Morbi accutissimi, quia à calidis fiunt humoribus, cum ægri viribus robustis, soluuntur crisi per expulsionem; qui ab humoribus calidis & tenuibus cum virium imbecillitate, vel ab humoribus crassis, viscidis cum virium etiam robore, soluuntur crisi per abscessum; si enim calido & fluido humori accedat virium robur, expulsio fit perfecta & valida adeoque extra corpus: si in alterutro sit defectus, tantùm crisis fit aliquo vsque. Per somnum longum aliquando fit crisis in pueris; per hoc quòd calidum natiuum eorum per somnum intus materiam morbificam durante somno dissoluat atque dissipet; verùm hæc crisis per somnum non est vera crisis, etsi aliqui eam ad veram crisεos speciem referant, sed potiùs ad lentam morbi solutionem est referenda. Per somnum futura crisis colligi potest, si sit puer, tempus vernum vel hyemale; tunc enim somni sunt longiores; si causa morbifica sit pituita; talis enim humor somnos longos facere natus est. Crisis per expulsionem fit 5. modis; vel per sanguinis fluxum, vel vomitum, vel deiectiones, vel sudores, vel vrinas: quæ per sanguinis fluxum fit, vel fit per hæmorrhagiam narium, vel per hæmorrhoïdes, vel per menses. Crises per vrinas non sunt crebræ nec perfectæ; quia materia copiosa acutos morbos faciens non potest sufficienter per vrinas expurgari. An per sudores sit futura crisis cognoscitur 1. ex eo, quòd plurimi morbi acuti per sudores terminentur, ratio est, quia illi à succis tenuibus & bilioſis fiunt, qui facilè

facilè cum sudoribus exire possunt. Morbi itaque à bile, tertianæ continuæ & ardentes plerumque sudoribus finiuntur: morbi quoque quorum causa est in venis, & eo loco, vnde facilè transire possit ad cutem, per sudores terminantur; quorum verò causa in visceribus concluſa iacet, non ita; si æger raro corporis habitu præditus sit, naturaliter ad sudores procliuis, si æstas aut ver, maximè sudores expectandi sunt: Sic Hipp. 3. *Aphor.* 6. *cùm æstas*, inquit, *fuerit, magis sudores sunt expectandi.* Sudores etiam denunciantur ab illis, quæ humorem morbificum ad cutim deferri indicant, vt calor & rubor cutis, pulsus latus, mollis, magnus, vndosus; cùm æger somniat se totum in sudores conuerti; sudores etiam ostenduntur à deiectionibus & vrinis retentis, horroreque superueniente. Sic Hipp. 4. *Aphor.* 48. ex horrore superueniente conijcit ardentem febrem sudoribus terminandam esse. Porrò fit etiam aliquando crisis per vrinas, verùm neque ea est valde frequens, neque sufficiens nec valdè salutaris; quia difficile est, vt natura humores morbosos sic attenuet, vt in serosam substantiam conuertat; & cum viæ vrinariæ sint angustæ, rarò natura per eas violentam aut copiosam humorum facit expulsionem; per vrinas tamen fuit Piceon apud Hipp. *in Epid.* iudicatus; & Auicenna *sen.* 2. *part.* 4. *tractatu* 1. *cap.* 8. dicit infirmos multoties mingere vrinas malas in substantiâ, colore & aliis accidentibus, quæ aliquando sunt criticæ, & bonæ, & eueniunt, inquit, in ægritudinibus acutis & hepatis: vrinæ, quæ criticæ sunt, debent esse crassæ, variæ, rubicundæ, cum pure mixtæ vel nigræ. Expurgantur per vrinam humores tenues, & partes circa renes, lienem & hepar; aliquando etiam pus in pulmone contentum illâc euacuatur: Si ergo humores morbifici sint tenues, vel morbus sit ab aquoso humore, vt hydrops, talis est aptus per vrinas solui; nihilominus tamen aliquando etiam per vrinas soluuntur morbi à crassis humoribus causati, vt de quartanâ & quotidianâ docet experientia: si adsunt signa indicantia materiam morbi ad vesicam ferri, vt prauitas circa vesicam, ardor in virgâ superueniens, si insuper aluus exsiccetur & nulla adsint signa futuri sudoris, crisim per vrinas prænuntiant. Per menses etiam aliquando fit crisis: sic teste Hipp. 3. *Epid. parte* 3. iudicata fuit mulier, quæ in Thaso habitabat, & Larissa virgo, & quædam alia, *lib.* 1. *parte* 3. *& alibi* ait, *quibus die critico menses eruperunt, omnes pericula euaserunt.* Fluxus sanguinis ex vtero colligi potest; si mulier est, si pars affecta est sub septo transuerso, si tensio & dolor ad lumbos & inguina descendat, si mensium periodus instet, &c. Per hæmorrhoïdes etiam aliquando crisis fit; hæmorrhoïdes superuenturæ colliguntur, si humor peccans est melancholicus seu atra bilis, si ætas constans, si autumnus, si æger hæmorrhoïdes pati sit consuetus, si affectus lienis, si præcordia & partes sub septo transuerso laborent, si sentiatur dolor & grauitas circa lumbos. Per hæmorrhoïdes sæpe iudicantur febres continentes seu synochi, inflammationes iecoris, melancholici capitis, mesenterij ac lienis affectus. Et

hæc

hæc de Crisi per expulsionem. Restat crisis per abscessum, metastasim seu translationem.

§. II.

De Crisi per abscessum.

Quæritur autem, an crisis per abscessum sit vera crisis: & videtur quòd non; etenim non potest esse vera crisis, nisi materia quæ expellitur sit cocta; at cum ex morbo sequitur abscessus, materia quæ est in abscessu non est cocta sed cruda; ergo eius expulsio non fuit critica; vel fatendum esset materiam expellere per crisim materiam non concoctam, quod est absurdum: quod autem materia in abscessu non sit concocta probatur; quia paulatim decurrentibus abscessus seu ipsius tumoris temporibus tandem maturatur & in pus conuertitur, in quod non erat mox à principio abscessus conuersa. Confirmatur: quia si materia in principio abscessus esset cocta, sequeretur quòd aliquis morbus nempe abscessus inciperet à materiâ concoctâ, quod est absurdum; quia in principio morbi nunquam materia est cocta; quia si esset cocta non esset iam morbi principium sed status; principium enim morbi dicit materiæ cruditatem.

Verùm Resp. materiam abscessus posse esse & coctam & crudam; est enim cocta quoad primum morbum, cuius est crisis; seu est cocta concoctione conueniente naturæ ipsius morbi, & concoctione qualem requirunt, & qualem potest, & qualem intendit dare pars affecta, in quâ causa morbifica antea fuit; sed est cruda respectu abscessus qui sequitur, seu respectu partis ad quam transmittitur, & respectu morbi secundi; etenim in venis habuit concoctionem quæ vocatur maturatio seu reductio ad benigniorem statum; In abscessu verò requirit aliam concoctionem, quæ vocatur suppuratio. In primo morbo cùm materia adhuc in venis existeret, habuit coctionem, qualem faciunt venæ in suis humoribus; In abscessu adhuc aliam requirit coctionem, qualem scilicet facit calor in humoribus in habitu corporis contentis; & sic cùm materia ratione primi morbi fuerit cocta, meritò illa transpositio in aliam partem dicenda est crisis per translationem. Expulsio in aliam partem vel fit in partem nobiliorem, vel æquè nobilem, vel ignobiliorem quàm fuit: Prima quando fit in nobiliorem vel æquè nobilem est mala, & illa translatio non est vera crisis; quia crisis dicit quandam solutionem bonam, & in melius, & vel extra corpus vel in sentinam aliquam corporis, aut partem ignobilem; sed talis transpositio est potiùs transmutatio vnius morbi in alterum. Translatio quæ fit ad partem ignobiliorem, est crisis, & talis est bona; illa translatio vel fit in habitum corporis, vel in partes carnosas, vel in

in glandulas, vel emunctoria corporis, vt inguina, alas, post aures; vel in articulos, vel etiam in neruos. Porrò materia, quæ sic transmittitur, vel colligitur in vnam massam, & tunc fit apostema; vel sparsim expellitur, & tunc fiunt varij alij affectus, veluti pustulæ, exanthemata, icterus, aut aliæ maculæ seu fœtidi colores in cute; & mutationes morborum in alios, tales frequenter sunt pleuritis, si in 14. diebus non expurgatur, vergit in empyema; empyema si 40. diebus non expurgatur, vergit in phthisim ac tabem: acuti morbi sæpe in icterum mutantur; angina & pleuritis sæpe conuertuntur in peripneumoniam: febris vna sæpe in aliam & plures mutatur: vertigo in epilepsiam vel apoplexiam: punctum neruorum in conuulsionem: colica in paralysim: diarrhæa biliosa in dysenteriam: dysenteria & omnes alui nimij fluxus in hydropem, &c. permutatio morbi in meliorem est bona; permutatio in alium morbum, sic quòd prior morbus non cesset, est mala, quia morbum morbo addit: permutatio ad mortem deteriorem, etiamsi prior cesset etiam est mala: sic cùm ita materia in neruos expellitur, vt totum vnum latus fiat paralyticum, illa permutatio est mala, nisi primum malum fuerit lætale. Si morbus terminetur per generationem abscessus in partibus internis, qui abscessus maturentur & erumpent, & pus in corporis cauitatem effundant, vnde euacuari nequeat, sunt mali. Translatio omnis seu crisis per abscessum fit à vincente naturâ, sed non ita perfectè vincente, sicut in crisi per expulsionem; idque vel ob naturæ debilitatem, vel materiæ pertinacitatem & crassitiem, vel viarum angustiam aut densitatem. Quando materia est tenuis, fluida, obediens, morbus magnus, celer, acutus, materia perfectè cocta, vires valde fortes, non fit translatio aut abscessus, sed crisis per totalem expulsionem: contrà cùm morbus est paulò diuturnior, materia non ita perfectè cocta, viscosa, nec apta ita facilè extra corpus expelli, vires non ita absolutè validæ, abscessus est expectandus.

Quomodo translatio sit futura ex naturâ morbi potest colligi; si scilicet consideretur quâ translatione tale morbi genus soleat plerumque solui. Ad quam autem partem translatio sit futura, colligi potest ex parte, quæ in ægro est debilis, vel morbosa, & ex partibus vicinis, in quas humores faciliùs excerni possunt: sic cerebrum in neruos, viscera in emunctoria, in glandulas; aliæ partes in articulos facilè suos humores morbificos transmittunt. Posito ergo, quòd in cutem translatio facienda iudicetur, an potiùs in pustulas sit eruptura, an tantùm in prauum colorem, colligitur; quia si cutis est rara, potiùs prauo colore suffundetur; si densa potiùs pustulæ fient; cùm humor est tenuis, potiùs prauus color excitabitur; cùm glutinosus & crassus, potiùs pustulæ. Cùm aliquando translatio fiat

in glandulas, articulos, neruos, ad sciendum, in quod horum potiùs translatio fiet, considerandum est, quænam istarum partium in ægro sit debilior; nam in debiliorem plerumque magis fiunt translationes; sic morbus qui diuturnior est, & à succis frigidioribus, aptior est fieri per translationem in articulos; vt febres quotidianæ: contrà acutus & prauus morbus, qui à succis oritur calidioribus, vt febres pestilentes & viscerum ac nobilium partium inflammationes magis in glandulas & emunctoria. Tandem ad quam partem humorem morbificum iam incipere moueri videbimus, in eam futuram esse translationem suspicio erit: hoc autem cognoscitur ex partis grauitate, dolore, distensione, pulsu, palpitatione, rubore, &c. An abscessus sursum vel deorsum magis fiet, colligitur ex parte affectâ & sede humorum; nam si pars affecta est sursum, potiùs sursum abscessus fiet post aures, vel sub axillis, vel in collo: contrà si deorsum. Colligitur etiam ex modo substantiæ ipsorum humorum; nam tenues faciliùs sursum feruntur, crassi magis deorsum. Partes quoque singulæ sua propria emunctoria habent, in quæ ex singulis illis abscessus magis fit; sic in cerebri affectibus abscessus magis post aures siue parotides fient: In morbis thoracis sub axillis; in morbis ventris inferioris ac hepatis, in inguinibus. Peculiares quoque morborum species peculiares suos habent abscessus; sic in febribus pestilentibus videbimus materiam venenatam magis in tumorem inguinum & axillarum pelli: in lue venereâ tantùm bubones inguinum fieri: lienis morbi longi in crus sinistrum magis abscedunt; hepatis in dextrum, ac in iis tumores seu œdemata faciunt: in apoplexiâ in spinalem medullam: in anginâ causa morbifica sæpe expellitur ad pulmonem: humores graues magis deorsum, leues magis sursum feruntur. Si æger partem aliquam debiliorem habeat, quáque soleat frequentius laborare, aut in quam frequenter humores aliàs solent decumbere, in eam suspicio erit translationem magis factum iri: sic qui crus habent debilius ob fracturam aut alium morbum, in illud faciliùs abscessus reiicietur: qui habitum corporis naturâ vel nimio balnei vsu rarum habent, faciliùs recipiunt pustulas, maculas, tubercula in cute: qui articulos à balneo, frigore, venere, debiliores habent, faciliùs translationem in iis patiuntur. Quò abscessus magis ad exteriora fiunt, & ad membra ignobiliora, & à corde remotiora & partibus principibus, eò sunt meliores: sic boni sunt qui fiunt per parotides, voriolas, articulos; non ita boni qui fiunt in neruis. Vbi tamen notandum, quòd quando abscessus fiunt ad emunctoria, communiter meliùs fiunt ad propinqua quàm ad remota; ratio est, quia ad propinqua fiunt faciliùs, & sine nocumento partium intermediarum; & minori negotio omnis causa morbifica in propinquam partem exoneratur, quàm in longinquam; quia vt exoneretur in propinquam, per

breuiorem

breuiorem viam humores sunt pellendi, quàm cùm in remotam; per breuiorem autem viam facilior est transitus. Cùm morbus est magnus & causa morbi multa, optimum est abscessus magno fieri: alioqui verisimile est totam causam morbificam non expelli; hinc in magnis febribus inguinum meliores sunt quàm aurium; quia illi abscessus his plerumque sunt maiores: sic paraplegicis obortæ parotides, inquit Hippoc. malæ, quia morbo illi discutiendo non sufficiunt.

Porrò abscessus facti vel resoluuntur, vel indurantur, vel suppurantur, vel retrocedunt; & si retrocedunt, retrocedunt vel in eandem partem, vnde promanarunt, vel in aliam. Malum est abscessus retrocedere; optimum ad extra fieri: si retrocedunt in eandem partem, recidiuam faciunt; si in aliam partem, varios morbos facere possunt; si ad partes nobiles, sæpe subitam mortem inferunt. Abscessus discuti omnium optimum est, bonum tamen etiam & plerumque securiùs suppurari; malum verò indurari & permanere; omnium verò pessimum in gangrænam abire. Abscessus parui, calidi, & in loco calido existentes magis suppurantur, præcipuè si sint à sanguine, & maximè si sit æstas: magni à viscidis & crassis humoribus facti, præcipuè in partibus externis, & à fonte caloris remotis, & magis hyeme, facilè indurantur. An autem resoluentur, an discutientur, an indurabuntur, exactiùs infestigare non est huius loci, sed spectat ad tractatum de apostematibus, de quibus in chirurgiâ, & hisce omnibus modis per crisim morbi soluuntur. Porrò crisi iam factâ considerandum est, an ea sit bona vel mala, an stabilis nec ne, seu an sit cum periculo recidiuæ necne.

CAP. IV.

An Crisis facta bona sit, an mala, &c.

§. I.

SI enim crisis facta non sit bona, vel mors sequitur, vel periculum est recidiuæ; si morbus sit magnus, & naturâ suâ periculosus, ac lætalis, & crisis imperfectissima ac pessima, fit mors: si crisis mediocris & tamen non perfecta est periculum recidiuæ. Vt ergo cognoscatur an perfecta crisis sit facta, debent in eâ sex considerari; quia bona crisis debet habere sex conditiones.

§. II.

Conditiones bonæ Criſeos.

Prima conditio eſt, vt ſit facta cum præuiis ſignis coctionis. Secunda vt ſit facta in ſtatu, & die decretorio, & non in quouis die decretorio, ſed in tali qui conuenit naturæ ipſius morbi; etenim aliquibus morbis nempe perperacutis conuenit pro die decretorio dies quartus; in peracutis ſeptimus, in aliis decimus quartus. Tertia conditio eſt, vt expellatur cauſa morbifica & non alius humor morbum minimè faciens. Quarta, vt quantitas humoris expulſi reſpondeat magnitudini morbi ſeu quantitati cauſæ morbificæ; nam ſi cauſa morbifica totaliter non expellatur, ſed eius pars aliqua remaneat; ſi magna mors, ſi parua, recidiua fiet. Quinta, vt fiat criſis ſine malis ſymptomatibus. 6. vt modus & ſpecies criſeos conueniat ſpeciei morbi, & cauſæ morbificæ, & naturæ ægrotantis, & ſitui cauſæ morbificæ; ideſt, vt fiat per talem regionem, qualem & cauſæ morbificæ ſitus, & natura, ac conſuetudo ægrotantis, & ipſius tolerantia requirat; nam aliqui morbi, aliqui humores, aliquæ partes affectæ, aliqui ægri hâc, alij alia ſpecie criſeos commodiùs iudicantur. Optima eſt ergo criſis quæ fit in ſtatu, in die decretorio, & quæ ſigna coctionis præuia habuit, quæ in die indice fuit præindicata, quæ fit cum manifeſtâ expulſione, eaque magnâ, & per vias latas ac patentes atque propinquas; & ſi criſis non fiat expulſione, ſaltem in eâ fiant abſceſſus magni, remoti à parte affectâ, & partibus principibus: optima inſuper eſt criſis, quæ fit cum facili tolerantiâ, in quâ non adfuerunt peſſima aut periculoſa ſymptomata, non delirium, non maxima anxietas, ſed facilitas reſpirandi, præſentia mentis, in quâ æger, ſtatim à criſi meliùs habet, quæ ſit facta ordinatè & citra magnam derturbationem, in quâ omnes prognoſticationes firmæ & non fallaces, & ordine debito tempora & ſymptomata proceſſerunt, & vires fuerunt robuſtæ. Cauenda eſt porrò falſa declinatio, in quâ ſymptomata videntur minui & tamen non minuuntur, ſed in quâ ideò videntur minui, quòd calor & natura ſint ſuperati. Cognoſcitur autem talis falſa declinatio, quia in verâ declinatione ac perfectâ criſi pulſus eſt validus, æqualis, ordinatus; in falsâ, contrà: ſi itaque criſis fuit imperfecta erit etiam inſtabilis, & recidiua eſt metuenda: quapropter ſi poſt factam criſim ſequitur perfecta alleuiatio, robur naturæ, pulſus bonitas, omnium ſymptomatum abolitio, ſi æger non facilè à paruis nocentibus offendatur, ſignum eſt criſim ſtabilem futuram eſſe, & non eſſe periculum recidiuæ; at ſi criſis apparuerit

paruerit imperfecta, si symptomata lentè minuuntur, si à paruis facilè æger læditur, si remaneant adhuc aliqua praua symptomata, vt sitis, fastidium, dolor, debilitas, & surgendi inopia, periculum est recidiuæ. Humores, si tenues fuerunt, cùm illi facilè & perfectè ob suam tenuitatem potuerunt expelli, maiorem stabilitatem promittunt: crassi & frigidi, cùm difficulter omnes expellantur, maius faciunt periculum recidiuæ; quia de eis maior suspicio est, quòd ob lentorem & crassitiem fortè aliquid potuit remansisse, quod non fuerit expulsum. Ab anni quoque tempore salubri vel insalubri recidiuæ potest suspicio desumi. Mutationes, quæ in die critico apparuerunt, & priùs in die indice fuerunt indicatæ siue bonæ siue malæ, magis stabiles sunt iis, quæ alio die contigerunt, & indicatæ non fuerunt: sic Hippoc. 4. *Coac. text.* 41. *quæ febres*, inquit, *neque criticis diebus, neque cum signis concoctionis recedunt, patiuntur recidiuam*, & 3. *prognostic.* 22. idem repetit; & alio loco, eruda, inquit, & incocta criseos dolores & recidiuas minantur. Si morbus acutus soluatur lentè, & videatur declinare sine crisi, periculum est recidiuæ; ratio est, quia natura non solet acutos eiusmodi morbos sine crisi terminare. Sæpè etiam cùm debitè facta crisis videtur, tamen vel ob errorem commissum vel aliam causam morbi recidiuant. Quando verò recidiua fieri timetur, quo die futura sit, aliquo modo colligi potest ex Hippoc. qui videtur indicare, quod quotâ die facta est crisis, totidem diebus post crisim recidiua sit futura; & postquam recidiua inceperit, totidem iterum diebus post iudicabitur: sic *quarto Epidem. text.* 11. dicit virginem quandam die 6. sic esse iudicatam: *sextâ* inquit, *die rediit morbus; & sextâ die iterum fuit iudicata.* Cùm natura secundam crisim, siue crisim recidiuæ facit, facit eam per easdem vias, per quas fecit crisim morbi primi: quòd si verò per alias fecerit vias, est malum; nam quando ad diuersa euacuationis genera natura conuertitur, est malum; tunc enim natura arguitur vel esse debilis, vel irritata, vel saltem euacuationem malè facit, eò quòd vna euacuatio alterius sit impeditiua; cùm enim natura pluribus est intenta nullum perfectè facit. Atque hactenus de signatis, id est, de iis, quæ significantur, causâ, morbo, parte affectâ, &c. iisdem præteritis, præsentibus ac futuris; quæ omnia, significantur & sunt signata; significatur enim quæ sit causa, quis sit morbus, quæ pars affecta; & significatur quid sit præteritum, quid præsens, quid futurum; & sic illa sunt signata: Restat ergo vt transeamus ad significantia. Etsi autem, cum signa significentur per significantia, quando tractantur signata, necesse etiam, fuerit ponere illa significantia, quæ illa signata significant, & sic egerimus etiam aliquo modo de significantibus; tamen non egimus de significantibus secundum ordinem significantium, & non egimus de significantibus in particulari; & non egimus,

quomodo, quare, & quantum significantia singula significent; ideò ad illa nunc est transeundum: & sicuti in particulari egimus, quæ sint illa, quæ significantur, ita nunc in particulari dicendum, quæ significant & quâ virtute significent; quod idem est dicere, ac qui sint fontes signorum, seu quæ sint illa, à quibus signa præteritorum, præsentium & futurorum morborum, causarum symptomatum partis affectæ, &c. desumantur.



TRACTATVS

TRACTATVS DE SIGNIS, PARS ALTERA.

De Signis quatenus significant.

PROOEMIVM.

De fontibus Signorum.

QVI-NAM sint fontes signorum, diximus in exordio huius tractatus: Fontes magis particulares sunt, tum res naturales, tum non naturales, tum etiam contra naturam. Sub rebus naturalibus comprehenduntur temperamentum, corporis habitus, ætas, sexus ac dispositio, & quæ sunt similia.

SECTIO I.

Signa à Rebus Naturalibus, & primùm à Temperamento.

CAPVT I.

A Temperamento possunt sumi diagnostica signa & prognostica causarum, morborum, partis affectæ, futuri exitus, breuitatis & longitudinis morborum, crisεos, & modi eius.

Causarum;

Causarum ; sic qui calido sunt temperamento censentur bile abundare, eorumque morbi à bile causari ; qui frigido & humido, pituitâ, &c.

Morborum: qui temperamento humidiori sunt præditi, sunt pluribus morbis obnoxij quàm alij: inprimis sunt obnoxij morbis, qui causantur ab iniuriâ aëris, vt à ventis, pluuiis, gelu; & hoc propter temperamenti symboleitatem ; deinde magis obnoxij sunt morbis populariter grassantibus, id est, epidemicis : quia scilicet humida corporis dispositio magis est passibilis, & magis putredini obnoxia, & quia tales laxiores habent poros, per quos externa aëris vitia in corpus penetrant. Magis etiam obnoxij sunt morbis fientibus à causis internis, eò quòd semper pluribus scateant humoribus quàm sicci. Hinc 6. *Aphor.* 2. habetur, quòd *quibus nares naturâ sunt humidiores, & genitura humidior, ij minùs integrâ sanitate fruuntur ; quibus verò contraria, salubriùs degunt* ; per homines enim nares & genituram humidam habentes, intelligit eos, qui totius corporis temperiem humidam habent ; si poneret tantùm nares humidas, posset intelligi de illis, qui tantùm humido sunt cerebro ; at cùm ponat nares & genituram humidam, manifestum est, quòd intelligat de humidis toto corpore ; nam in diuersis & remotis partibus illam humiditatem apparere, signum est totius corporis humidi. *Nonnulla temperamenta*, dicit Hippoc. 3. *Aphor.* 2. *ad æstatem, alia ad hyemem melius habent* ; calida meliùs habent in hyeme, quia eius frigiditate ad mediocritatem reducuntur ; cùm è contrà æstate laberentur in excessum, & nimiam substantiæ dissipationem paterentur : at frigida meliùs habent æstate ; quia tum incalescunt vsque ad mediocritatem. Temperamentum sibi similes generat morbos ; nam, vt ait Hipp. *similibus naturæ, anni tempori, temperamento maximè corripimur morbis* ; ratio est, quia facilior est transitus ad symbolum, quàm ad asymbolum : sic calidi in calidos, frigidi in frigidos, bilioſi in bilioſos & acutos, sanguinei in sanguineos morbos incidunt, vt hæmorrhagias, synochos, inflammationes, &c. Circa quæ tamen notandum, aliquando per accidens fieri, vt contrarium fiat & contrarij potiùs morbi eueniant, quàm similes : hoc verò fieri potest pluribus modis ; primò ex eo, quòd in corpore nostro prouentus humorum non semper respondeat temperamento ; etenim potest aliquis toto corpore & solidis partibus habere aliquod temperamentum, verbi gratiâ ; calidum & siccum, & tamen in vnâ eius parte potest abundare frigus, vt in cerebro vel stomacho ; & sic potest in aliquâ parte humor frigidus coaceruari, non obstante, quòd totum corpus secundum præcipuas ac solidas partes sit calidum & siccum. 2. potest quis calidus & siccus existens, multo aquæ potu, piscium, fructuum ac multorum ciborum esu, pituitam in aliquibus membris, & in venis congregasse, & ratione eius in frigidum morbum incidere : & hâc ratione potest frequenter esse lapsus in contrarios morbos. 3. per accidens potest etiam quis frigidus & pituiti abundans laborare morbis bilioſis ; vt

si

si verbi gratiâ ab abundante pituitâ vesicula fellis sit obstructa, bilis inde in totum corpus regurgitabit, & fiet icterus, qui ad calidos & bilioſos morbos refertur; & ita per accidens frigidus & pituitosus in calidum & bilioſum morbum incidet.

Partis affectæ: nam si quis naturaliter frigido ac humido cerebro, laboret morbo frigido & humido, suspicio esse poterit morbi originem à cerebro esse; si calido hepate præditus morbis laboret calidis, originem esse ab hepate. Porrò ab hepate calidi, à cerebro frigidi morbi sæpe originem habent; quia scilicet illud calidum, hoc frigidum naturâ est.

Fururi exitus morborum: qui frigido & sicco sunt temperamento, morbis infestantur diuturnioribus; qui calido & sicco, acutis.

Breuitatis vel longitudinis morbi: temperamentum calidum morbos calidos reddit breuiores, frigidum frigidos diuturniores; etenim temperamentum causæ morbificæ simile longiorem facit morbum, si sc. morbus est salutaris; quia in talibus morbus à temperamento fouetur: sic quartanæ in melancholicis sunt longiores. At temperamentum causæ morbificæ simile in lætalibus morbis abbreuiat morbum, quia mortem accelerat: qui calido temperamento præditi sunt, in iis magis quàm in frigidis solutio per crisim est expectanda. Quod temperamentum causis morbificis magis resistat, & quod temperamentum vitæ sit longioris, in tractatis de temperamentis quærendum est. Breuiter temperamentum temperatum omnibus causis morbificis simul sumptis, magis quouis alio resistit causis, & morbis temperamenti contrarij: Temperamentum autem calidum & humidum maximè est longæuum.

CAP. II.

Signa à corporis dispositione.

SVb corporis dispositione tria maximè comprehenduntur: magnitudo & paruitas, gracilitas & obesitas, raritas & densitas. Signa, quæ ab his sumuntur, possunt etiam referri ad signa desumpta à parte, sed sub signis à parte potiùs comprehenduntur signa, quæ à particularibus membris desumuntur hîc verò consideramus potiùs signa, quæ desumuntur à totius corporis dispositione; deinde sub signis à partibus comprehunduntur potiùs signa à partibus contra naturam sese habentibus, hîc potiùs desumuntur signa ab habentibus se naturaliter, & contentis adhuc intra limites sanitatis.

A magnitudine & paruitate: corpora magna sunt humidiora paruis; etenim ideò facta fuerunt maiora, quia humidiora; humidæ enim partes capiunt incrementum non siccæ; quia humida magis sunt explicabilia

quàm ſicca ; & hinc corporibus cum ætate ſicceſcentibus ceſſat incrementum. Quæritur 1. an corpora calidiora ſint calidiora minoribus? videtur quòd ſint calidiora ; etenim calor natiuus eſt cauſa incrementi, & magnitudo indicat robur facultatis naturalis generatricis ac auctricis; robur autem facultatis naturalis dependet à maiore calore ; quæ enim debili calore prædita ſunt , neque bene nutriri neque bene augeri poſſunt. Verùm tamen dico , maiora corpora eſſe minùs calida ; etenim etſi calor ſit cauſa incrementi , tamen poſteà maius incrementum per accidens eſt cauſa minoris caloris, eò quòd in magno corpore calor ſit magis diſperſus, & per plures partes euaneſcibilis, quàm in paruo: magnitudo quidem indicat magnum fuiſſe calorem in primâ ætate , qui membra dilatauerat , & indicat magnum calorem dum incrementum fit, ſed non poſtquam iam factum eſt, ac in ætate adultâ : eſt & alia ratio ; quia cùm corpora magna ſint humida, calor ab illâ humiditate retunditur, & ita fit minor. Probatur experientiâ : quia in frigidis regionibus corpora ſunt magna , in calidis minora. Denique videmus homines paruos eſſe bilioſos, iracundos & animoſos , quæ ſunt ſigna & effectus caloris. Interdum tamen magnitudo non tam indicat calorem quàm potiùs humiditatem : ſic corpora Hollandorum ſunt maiora; non quia ſunt calidiora , ſed quia humidiora : & ideò corpora valde magna non ſunt fortia ; quia habent neruos nimis humidos. Porrò corpora valde parua vel indicant defectum caloris , qui non potuerit membra dilatare , vel nimiam ſiccitatem , quæ facit membra minùs dilatabilia. Nihilominus tamen corporis magnitudo vel paruitas non ſunt certa ſigna temperamenti ; eo quòd cum omni temperamento omnis corporis quantitas poſſit conſiſtere , ſed magnitudo & paruitas potiùs occultæ ſeminis proprietati ſunt adſcribendæ, quàm temperamento.

Quæritur 2. An magnitudo ſit ſignum longæuitatis. Ariſtoteles *libro de longitudine & breuitate vitæ* dicit , animalia magna plerumque eſſe longæuiora ; vnde dubitari poſſet , an hoc etiam ſeſe ſic habeat in ſpecie humanâ. Videtur autem quòd ſic ; nam , vt dictum eſt , magnitudo indicat robur conformatricis & facultatum naturalium ; inſuper indicat abundantiam humidi & calidi , quod eſt in eis ; iſta autem faciunt ad longitudinem vitæ ; adiici etiam poteſt; quòd in magnis calor ſit mitior propter abundantiam humidi , quod habent ; hinc calor ille humidum minùs citò conſumit : In paruis propter ſiccitatem calor eſt ingens; hinc humidum citiùs conſumitur. Verùm pro reſolutione dico : corpora valdè parua non eſſe longæua ; quia vel laborant ſiccitate, vel defectu caloris ; corpora valdè magna non ſunt etiam valdè longæua, quia vel laborant ſiccitate vel defectu caloris ; corpora valdè magna non ſunt etiam valdè longæua, quia calor in eis nimis eſt diſperſus , & humidum eorum eſt magis aqueum, & ita calor ab eo retunditur, & ipſum faciliùs diſſipatur , & humores magis putredini ſunt obnoxij.

A gracilitate & obeſitate : Hippoc. 2. *Aphor.* 44. *qui naturâ admodùm craſſi*

crassi sunt, inquit, *illi citiùs intereunt, quàm qui graciles.* Plinius *lib.* 11. *cap.*37. dicit, *pinguia corpora facilius & citiùs senescere.* Pro quo sciendum est, quòd obesitas est signum sanitatis, interim tum est in fieri, sed ex accidenti est causa mali, cùm iam facta est, & morborum, & citæ mortis; etenim obesitas non fit nisi optimus & pinguis sanguis generetur, talis autem non generatur, nisi calor natiuus sit vegetus, & facultates naturales optimè sese habeant; & ideò necessariò non ægrotus existens fit pinguis; sed contrà qui in ægritudinem incidunt pinguedinem deponunt: per accidens tamen obesitas est causa morborum; nam per generationem pinguedinis consumitur optimum alimentum & optimus sanguis, & consequenter diminuitur calor natiuus, qui in sanguine subiectatur. 2. pinguedo comprimit venas & arterias, & coangustat omnes canales; hinc varia incommoda eueniunt: primò quòd paucus sit in corpore spiritus, nam in paruis canalibus non potest esse multus spiritus. Secundò propter illas angustias non possunt fuligines liberè exhalare: hinc calor natiuus non bene ventilatur sed suffocatur, & sic facultas naturalis non potest bene corpus & humores regere; atque hinc etiam calor diminuitur & corpus fit frigidius, & facilè humores qui non ventilantur, putrescunt. Denique tumores in corpore non possunt liberè commeare, & excrementa non possunt liberè expelli & separari, & facultas expultrix debilitatur: hinc ægri morbis facilè sucumbunt, & obnoxij sunt repentinæ morti; propter illas causas, obesi obnoxij sunt apoplexiæ; quia arteriæ carotides ipsis sunt angustæ, & à pinguedine colli comprimuntur: sunt etiam asthmatici, quia musculi intercostales pinguedine onerati, & diaphragma non liberè attolluntur & explicantur, & partes circa collum fiunt angustiores. Dicit etiam alicubi Hipp. obesas mulieres difficulter concipere; propterea quod collum vteri nimio abdominis tumore comprimatur: in partu etiam magis aliis peticlitantur, cùm ob eandem causam, tum quòd motus sint impotentes, & statim lassentur & deficiant, & abdominis musculi, quibus ad fœtus exclusionem maximè opus est, nimiâ grauati pinguedine vi motiuâ destituuntur. Obesi etiam ad rem veneream minùs sunt idonei, eò quòd seminalis materia iis in ordinem conuertatur. In obesis facultas motiua est valde debilis, tum quia nerui in iis sunt tumidiores ob pinguedinem; tum etiam quòd musculi in eis nequeant tam liberè contrahi, quia impediuntur à pinguedine quâ infarciuntur, tum etiam quia mole corporis grauantur; ideò nec robur habent in mouendo, nec diu possunt continuare, sed statim lassantur; ideò nec currere, nec saltare, nec luctari valent. Hipp. *libro de aëre, aqua & locis* dicit, Scythas valde crassos & pingues esse; & plurimos sibi brachia, humores, pectora, lumbos & coxas vere, vt effluente pinguedine corpora fiant validiora. Denique obesi à vesicæ calculo per sectionem ægrè liberantur, eò quòd ob carnis spissitudinem ad ipsum calculum difficulter peruenire potest. Obesi itaque frigidi sunt ac humidi, paucum sanguinem & paucum spiritum habent, & venas,

ventres, & omnia angusta. Vnde Hippoc. 2. *Epid. quorum*, inquit, *venæ amplæ, ventres & ossa ampla, his sunt qui tenues sunt, pingues verò iis contraria habent.* Quoad gracilitatem, ea si naturalis est, contraria omnia indicant. Sed est quædam gracilitas, quæ contra naturam est, ac morbum sequitur, quæ vocatur emaciatio & contabescentia, à quâ signa varia desumuntur; in primis macies significat vel defectum alimenti, vt in iis, qui præ inediâ marcescunt: vel indicat defectum concoctionis, vt cùm generantur humores, ex quibus corpus non potest nutriri, sed contabescit: vel indicat defectum attractricis; vt cùm habitus corporis vitio affectus alimentum ad se non trahit; vel propter obstructionem in meseraïcis alimentum attrahi & distribui non potest; vel propter vitium expultricis irritatæ, vt cùm nimio sudore, vel vomitu vel deiectionibus, vel sanguinis profluuiis omnis substantia alimentaris è corpore extrahitur: quapropter macies indicat vel phthisim vel hecticam vel obstructionem meseraicarum, vel hepatis corruptelam ac intemperiem, vel alicuius alterius visceris præcipui corruptionem, aut vlcus, vel vehementem alui, sudorum, sanguinisque fluxum, vel inediam, vigilias, mœrores, morbi malignitatem aut extremum ardorem, vel vermem aliquem aut aliquos omne alimentum consumentes. Macies ex phthisi & hecticâ est valdè mala. Macies, in quâ partes solidæ consumuntur in hecticâ est incurabilis, à sputo sanguinis, pleuritide, peripneumoniâ & maximè in iis, quibus pectus non benè fuit expurgatum, & tussi multâ, purulenti phlegmaticis excreatione phthisis vel hecticæ signum est. Qui febribus ardentibus diu vexati fuerunt, si febricula remanet &, emaciantur, non est malum; at emaciari sine causâ est malum. Itaque puerum aut senem emaciari facilè; in illo, quia substantiam habet valdè dissipabilem; in hoc, quia est debilis, emaciari post diuturnum morbum, vel morbum magnum, post sudores, sanguinis aut alui profluuia, post vigilias, mœrores, inedias, in æstate illum, qui rarum, calidum ac facilè dissipabile corpus habet, non est mirum, neque adeò timendum, at si contraria omnia sint, & præter rationem contabescat, est signum malum & valde suspectum. Porrò sicut est malum signum contabescere sine causâ, ita è contra malum est etiam non contabescere, quando iusta contabescendi causa adest. Hipp. 2. *Aphor.* 28. *febricitantium*, inquit, *non omninò leuiter manere corpus, & non imminui, vel etiam plus diminui quàm ratio postulet, est malum*; etenim nihil minui est signum diuturnitatis morbi; plurimùm verò minui, caloris natiui & facultatum naturalium magnæ debilitatis signum est. *Si quis à morbo cibum assumens*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 8. *non corroboratur, plùri alimento corpus vti significatur; quòd si non assumenti hoc accidat, scire oportet, quòd indigeat euacuatione*; etenim in morbis longis emaciari nihil mirum, at in conualescentibus à morbis longis, si cibum bene capiant, emaciari & non nutriri, nec crassescere est signum cacochymiæ humorum, & consequenter recidiuæ, & ita purgatio indicatur.

A raritate & densitate quæ desumuntur signa, tum ad hanc classem, referri possunt, tum etiam ad illa signa, quæ à partibus externis ac cute seu corporis poris desumuntur: Sed cùm hîc loquamur de densitate & raritate cutis naturali, ideò signa, quæ ab his desumuntur, potiùs ad hanc classem sunt referenda, quam ad signa à parte, vbi sc. potiùs de dispositione partium contra naturam agimus: talia autem ex hoc fonte signa desumuntur. Adstricta corpora morbis à prohibitâ transpiratione, quales præcipuè sunt febres: laxa & mollia iis, qui à nimio effluuio fiunt, sunt obnoxia. Qui solidiore corporis habitu præditi sunt, morbis diuturnioribus laborant, quàm qui laxiore, præcipuè cum morbi sint venosi generis, aut ipsius habitus corporis; eò quòd in his excrementa per sudores & insensibilem transpirationem facilè exhalent, in illis autem retineantur. Qui solidiore corporis sunt habitu, in iis crises per sudores non sunt expectandæ, vel saltem minùs bonæ ac difficiliores. Qui rariorem habitum habent, longæuiores sunt ratione mortis violentæ; qui strictiorem, ratione mortis naturalis; ratio est, quia qui rariorem habitum habent, iis excrementa arteriarum & venarum non ita includuntur, sed facilè exhalant, & eorum naturalis calor liberè difflatur; & sic non fit in illis putredo propter cohibitam transpirationem; & consequenter neque febres, quibus homines sæpe moriuntur; & sic minus sunt obnoxij morbis, & ita minùs parati sunt obire morte violentâ, quæ fit à morbo. At qui cute sunt adstrictâ, iis minùs caloris ac spirituum & humidi primigenij exhalat, sed reseruatur, & ita minùs parati sunt obire morte naturali, quæ fit propter calidi & humidi paulatinam consumptionem.

A figurâ quoque corporis signa desumi possunt: Corporis pulchritudo optimam temperiem significat. Qui angustum habent thoracem, phthisi & astmati sunt obnoxij. Mulieres abdomen infernum ac nates latiores habentes, fœcundæ esse prædicantur. Color faciei pallidus ac citrinus complexionem biliosam, albus pituitosam, roseus sanguineam, liuidus melancholicam indicat.

A sexu etiam temperamentum cognoscitur; etenim mulieres viris sunt frigidiores & humidiores; cùm mulier ægrotat, mox de causis illi sexui propriis suspicio incidere potest; an nimirum morbus ratione vteri, ratione partus, mensium ac seminis suppressorum non eueniat; etenim mulieres variis vteri, mammarum, menstruorum, puerperij morbis obnoxiæ sunt, quibus viri carent: varicibus, hæmorrhoïdibus, herniâ vmbilici, difficultate retinendæ vrinæ sæpe laborant, quæ à labore puerperij sæpe iis remanent; eodem modo & ani prolapsu, & vteri procidentia. Multa mala ac vitia in mulieribus non sunt periculosa, quæ in viris habentur maxima; sic vomitus, mictus, aut expulsio sanguinis in mulieribus minùs sunt periculosa, quâ in viris, præcipuè si menses eis sint suppressi; cõtingunt enim hæc symptomata ex mẽsibus propter vteri obstructionẽ ad alias partes regurgitãtibus, quibus expulsis euacuationes

illæ vltrò ceſſant; & non tantùm non ſunt lætales & ſymptomaticæ, ſed criticæ & ſalutares, licet ſint non naturales, ratione viæ per quam exeunt: ſic immenſi dolores, anguſtiæ, vomitus, epilepſiæ, cauſa œdematoſa in mulieribus ratione vaporum ex vtero aſcendentium facilè contingunt, quæ nullo negotio ceſſant & curantur, quæ tamen in viris non niſi periculoſiſſima, & non niſi à grauiſſimis cauſis fientia haberentur. Prægnantes morbis acutis capi eſt lætale; præſertim cùm fœtus eſt maior; ratio eſt, quia in iis vires facilè proſternuntur, & propter fœtum neque purgatio, neque venæ ſectio ita facilè, ſicut in viris, poteſt adhiberi. *Mulier*, inquit Hippoc. *podagrâ non laborat, niſi menſtrua defecerint.* Mulieres à calculo veſicæ faciliùs liberantur, quàm viri; & ſine ſectione aliquando ex iis extrahi poteſt, quod in viris omninò impoſſibile eſt. Ad hanc claſſem referuntur & Eunuchi, de quibus dixit Hipp. 6. *Aphor.* 29. *quòd neque podagrâ laborent, neque calui fiant*, & Eunuchi fiunt plerumque obeſi; propterea quòd in iis in pinguedinem abeat, quod in aliis in ſemen conuertitur.

Ab ætate omnis generis ſigna deſumuntur: diagnoſtica cauſarum & præcipuè morborum, & prognoſtica futurorum euentuum: diagnoſtica cauſarum: nam ab ætate puerili & infantili cognoſcitur ſæpe quòd cauſa morbi ſint vermes, dentium productio, materni lactis malicia, nimia ciborum voracitas, quæ plerumque ſunt cauſæ morborum illi ætati peculiarium. Ab ætate iuuenili indicatur cauſa morbi eſſe bilis, vel ſanguis, exercitia immoderata, nimia vini potio, potus frigidæ aquæ poſt ſudores, & violenta exercitia; & ſic de aliis ætatibus audiemus. Ex ætate etiam cognoſcitur temperamentum; nam ætas puerilis eſt calida & humida, iuuenilis calida & ſicca, ſenilis frigida & ſicca. Ab ætate etiam deſumuntur ſigna morborum; quia vnaquæque ætas ſuis particularibus morbis eſt obnoxia. Ab eâ etiam ſumuntur prognoſtica futurorum euentuum; nam magnis morbis ætas puerilis & ſenilis facilè ſuccumbunt; criſes præcipuè fiunt in ætate iuuenili, eò quòd acutis maximè morbis ea ætas laboret, propter ſanguineam & bilioſam ſuam complexionem. Criſes pueris magis fiunt per vomitum & deiectiones; iuuenibus per hæmorrhagias, & ſudores; ſenibus per hæmorrhoïdes, decubitus morborum in alias partes &c.

Diagnoſtica morborum ſunt hæc. Hipp. 3. *Aphor.* 24. ſic inquit: *in ætatibus puerilibus contingunt feruida oris vlcera, quæ aphthæ vocantur, euenium vomitus, tuſſes, pauores, vmbilici inflammationes, aurium humiditates.* & 3. *Aphor.* 25. *in progreſſu verò*, inquit, *cùm iam dentire incipiunt, gingivarum pruririgines, febres, conuulſiones, alui profluuia, & maximè quando caninos edunt dentes, & iis præſertim pueris, qui craſiſſimi ſunt, & aluos duras habent.* & 3. *Aphor.* 26. *tonſillæ & quæ in occipitio eſt, vertebræ ad interiora luxationes, crebri anhelitus, quos aſthma vocant, calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, ac acrochordones ſtrumæ, & alia tubercula*; hæc enim vitia copiam humorum & corruptionem ſequuntur, quæ etſi etiam in tenellis

tenellis pueris sint, tamen non ideò illi morbi in eis oriuntur, vt Gal. annotauit, quia citiùs moriuntur, quàm talia sustinere possint symptomata; qualia scilicet sunt vertebræ luxatio & angina; & quia cute sunt tenerrimâ, ideo illa, quæ hîc recensentur tubercula etiam non perferunt. & 3. *Aphor.* 27. sic ait, *grandioribus autem & iam ad pubertatem accedentibus plurima ex iam prædictis, & etiam febres diuturnæ magis, & ex naribus sanguinis profluuia eueniunt.* & 3. *Aphor.* 29. *Iuuenibus autem sanguinis sputiones, tabes, febres acutæ, morbis comitialis & alij.* Dicit Hippoc. hîc pueros aphthis magis obnoxios esse, quod idem ait Galen. 3. *Epid.* 3. *comm.* 5. *textu* 12. & dicit hoc fieri ob tres causas. 1. quia eorum corpora molliſſima sunt, & quasi mucosa, 2. quia eorum os cibis & poculis est insuetum, ideò lac matris, præsertim si acrimoniâ præditum sit, eas aphthas producit. Vomitus eis fiunt propter stomachi mollitiem, & flacciditatem, & quia lac in stomacho sæpe corrumpitur. Tusses eis eueniunt propter humiditates ex cerebro destillantes. Vmbilici inflammationes; quia ille non ita pridem præsectus est, & in ductibus eius adhuc aliquis sanguis hæret, qui facilè calorem & putredinem concipit, & inflammationem facit. Autium humiditates, quia humidissimi sunt, & vires habent imbecilles, & cibos adhuc non perfectè conficiunt; ex quo fit, vt pluribus humiditatibus abundent, dicit item pueros conuulsionibus esse obnoxios, quod dicit etiam Galen. 1. *Epid.* 2. *comm.* 5. & quod fieri dicit propter infirmitatem, & neruosi generis mollitiem. Pueri etiam laborant dentium & vmbilici inflammationibus, ex quibus oriuntur dolores, ex doloribus febres, pauores, conuulsiones, epilepsiæ; hæc etiam ex vaporibus in stomacho & intestinis putrescentibus eueniunt. Dicit etiam alui profluuiis obnoxios esse, quod fit propter alimenti in eis corruptionem. Dicit etiam pueros calculo laborare; quòd idem dicit 2. *de naturâ humanâ sect.* 17. cuius causa ibi asseritur; quia scilicet ob voracitatem pluribus abundant humoribus, qui à corporis calore in lapidem indurantur; posset addi & terria causa, quia sc. viæ eorum sunt angustæ, ex quo fit, quòd cruditates retineantur & in partibus compingantur; quia eorum cruditates in intestinis putrescunt; & quia calido & humido temperamento præditi sunt, quod putredini est obnoxium. Dicit autem vermes magis fieri in adultioribus, quia illi plures congregant cruditates, quàm infantes, propterea quòd illi magis ingurgitent cibos quàm hi, & plures carnes ac fructus vorent. Dicit quòd adolescentes sanguinis profluio & sputo magis sint obnoxij; ratio est, quia sanguis in illâ ætate multiplicatur, & calor intenditur, vnde sanguis fundi-tur, attenuatur, & fit acer ac bilioſus, & accedunt exercitia vehementia, quæ oscula venarum rumpunt & laxant, & hinc 1. *prognost.* 37. loquens de crisibus dicit, *infra annum* 35. *fluxum sanguinis expectandum esse.* Dicit iuuenes tabi esse obnoxios, cuius causam dicit Galenus esse non per se ab ætate, sed ex accidenti aliquo, quod illi ætati aduenit; nimirum, quod iuuenes saltationes maximas & vehementissima exercitia obeant, vel

quòd

quòd magnum frigus perferant, & præcipuè post magnam corporis excalefactionem; quia etiam potui frigido indulgent, aquas frigidas ingrediuntur, vento frigido ad corporis recreationem se exponant, vociferentur, &c. ex quibus sanguinis sputiones, & sic ex consequenti phthisis. Etenim ætates triplici modo causant morbos; vel ratione temperamenti similis; vel ratione humorum qui in eis generantur, qui morbi eis per se competunt; vel ratione accidentium, vt exercitiorum, curarum, studiorum, ebrietatum, &c. qui morbi ætati illi eueniunt ex accidenti. Porrò pueri scabiei etiam maximè sunt obnoxij; tum quia humoribus & cruditatibus ob voracitatem maximè abundant; tum etiam quia cute sunt tenerâ: maximè autem scabie capitis laborant: hydrocephalus pueris etiam est familiaris, ob corporis humiditatem. Dicit etiam Galen. 3. *Epid. 3. comm. 5. textu* 53. pueris multis accidisse tenasmum, qui plerumque eis euenit propter ascarides. Vltra ætatem iuuenilem, inquit Hippoc. morbi laterales, pulmonis inflammationes, phrenitides, ardores, coleræ: siquidem hi affectus ex bile fiunt, quæ in illâ ætate plurima generatur. Declinans ætas morbos ex atrâ bile producit; senes enim sunt frigidi & sicci, quæ temperies melancholico humori respondet. Fiunt etiam eis morbi ex pituitâ plurimi; & Hippoc. 2. *de naturâ humanâ sect.* 28. dicit, senibus ex pituitæ copiâ destillationes, apoplexias, oculorum & narium humiditates, tusses & similia mala fieri. Senes vigiliis obnoxij sunt propter cerebri intrinsecam ac naturalem siccitatem; nam etsi pituitâ abundet, tamen quia illa aduentitia est, & in subiectas plerumque delabitur partes, manet cerebrum naturali suâ complexione siccum; vnde peruigilium contingit. Hippoc. 3. *Aphor.* 21. dicit, *etiam senes pruritu laborare*; quòd ideò fieri putat Galen. quòd cutis eorum ob frigiditatem sit densior; vnde fit vt superfluitates sub eâ non discutiantur sed retentæ salsedinem contrahant, à quâ fit pruritus. Hipp. 3. *Epid. 3. comm.* 22. ait, quòd *multis sacer ignis contigerit & minuta puncta toto corpore, & maximè sexagenariis circa caput*; cur autem sacer ignis infestauerit magis sexagenarios, rationem dat in commentariis Galen. quia sc. aëris ambientis præter naturam calor causa fuit, cur humores putrescerent; vnde cùm senes multas superfluas habuerint humiditates, quæ sunt materia putredinis, cùm ad illas aëris calor accesserit, ex illâ tempestate magis humorum putridæ corruptioni opportuni fuerunt senes, quàm iuuenes. Dicit etiam Hipp. senes sacro igni esse obnoxios; quod nonnulli authores interpretantur fieri posse ex eo, quòd serum & pituitosi humores in eis contenti ab ambiente calido facilè putrescant. Verùm hæc ratio videtur friuola, quia eâdem ratione & febribus intermittentibus, quæ ex humoribus in habitu putrescentibus, teste Galeno, contingunt, magis obnoxij essent. 5. *Aphor.* 7. inquit, *quibuscumque morbi comitiales fiunt ante pubertatem, mutationem accipiunt; quibuscumque autem anno 25. iis commoriuntur.* Vbi intelligendum est, quòd si hic morbus in pueritiâ inceperit, & vsque ad annum 25. durauerit,

rauerit, quòd vsque ad mortem si tunc non euanuerit. 2. *Aphor.* 45. *quicunque* inquit, *iuuenes morbo comitiali laborant, mutatione maximè ætatis, & temporum, & locorum, victuúmque liberantur:* ibi autem loquitur Hipp. de tali morbo, qui ex intemperie natiuâ processit.

Coronidis loco quæri potest: quænam ætas omnium plurimis morbis sit obnoxia? Videtur autem minùs obnoxia esse iuuenilis: 1. quia videtur illa maximè esse temperata, cùm illa videatur constituta medio loco inter ætatem puerilem & senilem. 2. quia illa ætas est robustior, & ratione sui temperamenti, & ratione caloris natiui; ex quo videtur, quòd omnibus causis morbificis magis resistere possit. Verùm contrarium asserit Hipp. 2. *Aphor.* 39. vbi sic expressis verbis ait: *Senes iuuenibus minùs ægrotant; qui autem morbi longi eis eueniunt, maximâ ex parte ad mortem vsque comitantur.* Ratio cur illa ætas minùs sit obnoxia morbis, est, quia senis corpus est durum, & ita externis iniuriis minùs expositum. 2. quia illa est magis obseruans dietæ, & in esu minùs peccat; Iuuenes autem intemperatissimè viuunt. Quia autem ætas senilis sicca est, ideò morbis quibus laborat non facilè liberatur; potior ratio est, quia morbi senum sunt ab humore frigido; ætas autem illa frigida est, & pituitam multiplicat, & sic similitudine sui temperamenti fouet causam morbificam; & propter facultatum imbecillitatem & caloris natiui exiguitatem nequit humores illos concoquere & expellere. Sic iterum. *Aphor.* 40. *lib.* 2. *raucedines*, inquit, *& grauedines in valdè senibus concoctionem non admittunt*, & Galen. nephritidem, podagram, paralysim, splenis frigidos affectus, asthma, tusses, dicit senes vsque ad mortem comitari. Puer podagrâ non laborat ante vsum venereum, inquit Hippoc. quia ante illud tempus non est occasio magnæ articulorum aut neruorum debilitatis.

A partibus corporis duobus modis signa desumuntur, primò à parte vt est subiectum morbi, seu à parte affectâ. 2. à parte vt est externa, & vt est visibilis seu sub externum sensum cadens. Cùm à parte affectâ signa desumuntur, tunc sumuntur ab eius essentiâ, excellentiâ, proprie talibus & facultatibus, & tum sumuntur signa plerumque à parte, vt est causa: nam pars affecta est concausa talis vel talis morbi, talium vel talium symptomatum, talis vel talis euentus; & sic à parte affectâ plerumque sumuntur signa morborum & symptomatum, quæ sunt affectus ipsius partis affectæ, & quorum ipsa est causa. Dico (plerumque) quia pars affecta potest etiam indicare aliquando causam morbificam: sic intestina affecta indicant causam esse vermes: vteri affecti causam esse menstrua vel semen, &c. sed tum, vt dico, plerumque indicat morbos & symptomata, ac euentus eorum; cùm verò sumuntur signa à partibus externis, in quantùm sunt visibiles, vel sensu perceptibiles, tunc sumuntur signa ab eis, non vt sunt subiectum morbi; quia morbus plerumque non est in eis, sed in partibus internis; sed sumuntur signa ab eis, vt effectus morbi interni, & vt symptomata eius: & tum sumuntur

signa à quibusdam accidentibus & qualitatibus partibus externis inhærentibus, causatis à morbo interno, quæ sensu percipiuntur, & ex quibus tanquam ex affectu de morbo & de causâ internâ, imò & de parte affectâ iudicatur; & ita signa quæ sumuntur à partibus externis coincidunt cum signis, quæ sumuntur à qualitatibus & accidentibus corporis, de quibus post dicemus, & ad illum fontem possunt referri; nam cùm sumuntur signa à qualitatibus corporis ipsis partibus inhærentibus & sub sensum cadentibus, & cùm sumuntur signa à partibus singulis, & signa à qualitatibus corporis mutatis, de quibus postea dicemus, sunt eadem: nihilominus tamen hic nos ea separamus claritatis causâ, propterea quòd aliqua signa ab eiusmodi accidentibus desumpta, longè faciliùs obuia sint, & occurrant promptiùs nobis, sequendo ordinem partium, in quibus illa apparent, quàm sequendo classem & diuisionem essentialem accidentium, quàm sequēdo ordinem partium quibus insunt.

A parte affectâ itaque varia signa desumi possunt, tum diagnostica causarum & morborum, tum prognostica futurorum euentuum. Causarum: quia si renes & lumbi sint affecti, & dolor sentiatur in eis; si vesica sit affecta & dolor sentiatur in perinæo, suspicio est causam morbi esse calculum. Si intestina malè habent, causam esse flatus vel vermes, &c. Si lien, melancholicum humorem. Morborum; si guttur est affectum, anginam; si latera thoracis, pleuritidem suspicamur: si tumor in mammis, cancrum: si dolor in articulis, podagram: & sic de aliis. Præcipuè autem à parte affectâ sumuntur prognostica futuri euentus; sic morbi principibus partibus inexistentes sunt periculosiores; iidem non sunt valde diuturni; nam si causa morbifica leuis est, propter robur partis principis statim expellitur aut superatur, & sic morbus abbreuiatur ad salutem: si verò causa sit magna, statim grauis noxa toti corpori infertur, & sic morbus abbreuiatur ad mortem; magnas enim læsiones partes principes non diu ferunt. Quò mala cordi vel propinquiora sunt vel remotiora, secundum hoc sunt breuiora vel diuturniora: sic arthritis, quia causa eius à corde & fonte caloris est remota, difficiliùs curatur. Inflammationes in partibus à corde remotis seriùs suppurantur. In summâ morbi calidi & qui egent refrigerio, breuiores sunt si cordi viciniores, sed morbi frigidi, & qui egent subsidio caloris natiui, quò sunt à corde remotiores, eò sunt longiores, si sc. sint salutares; nam si sint lætales fiunt breuiores, quia citiùs ad mortem terminantur. Itaque in salutaribus morbis partis affectæ nobilitas abbreuiat morbum; in lætalibus prolongat. In partibus à corde remotissimis sunt faciliùs gangrænæ, quàm in propinquis. In partibus, quæ continuò debent moueri, vulnera & vlcera difficiliùs curantur; hinc vlcera pulmonis sunt tam difficilia curatu, quia pulmo est in continuo motu.

A parte affectâ cognoscitur etiam morbi malignitas: sic vlcera vteri, sedis, penis, &c. maligna sunt, & difficilis curationis; nam ad quam partem continuò labuntur excrementa, in eâ fiunt morbi longiores.

giores. Mala, quò plures partes occupant, eò sunt peiora, puta si vtrobique æquè nobiles afficiant; nam alioqui potest plus periculi esse ab vnâ parte nobili affectâ, quàm à multis ignobilibus. Malum ab vnâ parte ad aliam transire plerumque melius est, quàm esse fixum; nam si mutatur, vel indicat materiam esse flatum, vel saltem humorem esse tenuem, mobilem & fluxilem; & sic facilè posse educi, & necdum consedisse, sed adhuc esse in motu, & à partibus adhuc superari & expelli, & hærere in latioribus viis, & necdum poris neque substantiæ partium esse impactum, necdum concretum, aut inspissatum, & necdum eius oneri facultatem expultricem succubuisse. Dico, quòd moueri plerumque sit melius; si sc. materia non feratur ad partem ignobilem; præstat enim in parte ignobili malum fixum esse, quàm ad nobiliorem moueri. Sed malum à parte nobili ad ignobiliorem conuerti, semper est bonum; sic mala interna, dolores, apostemata foràs vergere, est salutare: sic in anginâ, pleuritide tumorem & dolorem ad extra vergi, vt exterius appareat & tangatur, vel ad tactum dolor exasperatur, bonum. Mala ab affectâ parte quàm longissimè recedere, bonum; sic enim ad eam difficiliùs reuertentur.

Porrò ex vnâ parte affectâ cognoscitur etiam aliquando alia: hoc autem cognoscitur ex partium inter se sympathiâ; nam sæpe pars, quæ putatur esse affecta, aut in quâ dolor aut vitium percipitur, non est ipsa pars primariò affecta, sed sæpe dolet per consensum, & pars, quæ primariò est affecta, ac in quâ causa morbi residet, est alia. Cùm autem illa, quæ per consensum laborat, indicat illam affectam esse, cum quâ habet consensum, dolor in parte aliquâ perceptus non semper indicat affectum esse in illâ parte; etenim dolores variè disperguntur, & communicantur etiam partibus remotis per neruos, membranas, vapores; & sæpe vnâ parte dolente dolent omnes vicinæ, etsi in omnibus vitium non sit. Sæpe vnâ dolente incipiunt etiam dolere illæ, quæ ex ante vitio aliquo affectæ erant, etiamsi ex ante non doluerint, & nulla noua aut maior doloris causa eis accesserit: ex dolore in summitate virgæ cognoscitur vesica calculo esse affecta: ex stupore crurum renes calculo laborare: ex dolore occipitis affectus vterinus: ex turgentiâ mammarum fœtum in vtero esse: ex gracilescentiâ periculum fore, vt mulier abortiat: cardialgia sæpe arguit affectum ventriculi, vt & capitis dolor: vomitus bilis, qui est affectus ventriculi, indicat capitis fracturam, si præcesserit casus ex alto, vel ictus supra caput: sic delirium sequitur diaphragmatis inflammationem: capitis dolor pedum frigiditatem & humiditatem: ex paralysi membrorum cognoscitur cerebri, vel medullæ spinalis intemperies, vel obstructio: macies membrorum hepatis ardorem significat: œdemata crurum hepatis intemperiem frigidam: Quando duæ partes simul melius & simul peius habent, signum est vnam alterius sympathiâ affici, & vnam tantùm earum esse affectam per protopathiam. Notandum tamen quòd hoc non semper

est necessariò verùm, sed quòd possit vtraque per se laborare, & vtraque esse primariò affecta; & hoc fit, quando vtraque ab eâdem causâ communi simul afficitur; etenim illa causa posita sicut afficit vnam partem per se, ita afficit & alteram, & illa causa ablata sicut vna meliùs habet, ita & alia; & tamen tunc neutra alterius sympathiâ laborat, sed vtraque per se & æquè primariò est affecta; quando viciſſim in duabus partibus sunt affectus, & vnâ meliùs habente, altera peius habet, & dolet, est signum, quòd causa morbifica ab vnâ ad alteram conuertatur. Et hæc sunt signa à parte affectâ, seu ab illâ parte, quæ est subiectum morborum. Nunc de signis à partibus externis ac accidentibus, quæ sunt morborum effectus & symptomata.

Cap. III.

Signa à partibus externis: & primùm à toto corpore.

§. I.

Ad hanc classem referri possunt signa, quæ à dispositione corporis iam in medium attulimus, nempe quæ à corporis magnitudine vel paruitate, gracilitate vel obesitate, raritate vel densitate sumuntur. Qui angustum thoracem habent asthmati & phthisi sunt obnoxij: gibbosi breuis vitæ sunt & anhelosi, quia viæ spiritus sunt coarctatæ & incuruatæ. Scribit Aristoteles, quòd qui ventris partem, quæ sub vmbilico est, habent maiorem, quàm quæ attinet ad pectus, sint breuis vitæ; & rationem dat, quia superiorem ventrem habere paruum indicat debilitatem caloris, cordis, stomachi, hepatisque; & consequenter indicat debilitatem concoctionis, ex quibus necessum est vitam fieri breuiorem; si enim calor validus & robustus fuisset, in primâ generatione, partes supernas, in quibus tùm maximè erat, magis dilatasset & explicasset: Cutis color indicat humores in corpore abundantes; roseus sanguinem, pallidus bilem, liuidus melancholiam, albus pituitam: laxitas & humiditas cutis in sanis significat temperamentum humidum; in ægris verò morbos ex humiditate. Cutis quæ à subiectâ parte facilè diuellitur, tabis signum est. Cutim & carnem corporis, quæ antea solida ac dura fuit, flaccescere, signum est atrophiæ, ac ægritudinis imminentis, & corpus minùs rectè nutriri. Cutis tuberosa & grandinosa instar anseris deplumati, secundum aliquos est certum signum lepræ.

§. II.

§. II.

A Capite.

A capitis magnitudine & paruitate ſumuntur ſigna : Caput paruum teſte Galen. *in arte paruâ* eſt malum ſignum ; indicat enim paruam ſubſtantiam cerebri ; à multâ autem ſubſtantiâ cerebri aliorum pendet ſubſtantia , vti ex eo patet , quòd cerebrum humanum nullâ aliâ ratione differat à cerebro aliorum animalium , quam ſubſtantiæ cerebri multitudine ; ſubſtantia enim cerebri humani quintuplo maior eſt ſubſtantiâ cerebri bouis. Itaque caput paruum indicat ventricu os paruos & anguſtos, & ſpiritus paucos , & inſuper indicat reliqua omnia quæ à capite oriuntur eſſe parua. Nam Halyabbas inquit de hâc materiâ , quando radix eſt parua , etiam ſunt parua , quæ ab illâ oriuntur, & cùm cerebri ſubſtantia eſt parua , indicat ſpinalem medullam eſſe paruam , & conſequenter omnes neruos ex eâ orientes ; & proinde facultates minùs eſſe vegetas. Anterior pars capitis parua indicat debilitatem ſenſuum; poſterior verò imbecillitatem potentiæ motiuæ. Addit Galen. 1. *Epid. comm.* 3. *text.*3. ideò caput paruum eſſe malum , quia non ſolum arguit ſuper paruitate cerebri , ſed etiam ſuper vitio aliorum principiorum, quatenus ſcilicet ſicut facultas formatrix defecit in conformatione vnius principij , ita etiam poteſt cenſeri defeciſſe in conformatione aliorum.

§. III.

A faciei ſimilitudine.

A faciei ſimilitudine deſumuntur ſigna factâ comparatione cum ſtatu naturali : ſic Hipp. 1. *prognoſt.* 8. *Conſiderare* , inquit , *oportet in acutis morbis primùm vultum ægrotantis , ſitne ſimilis beneualentium ; & potiſſimùm ſui, ita enim optimus erit ; ſi verò quàm maximè ſibi contrarius ſit, malum ſignum eſt.* Ita non refert, an facies ſit alba , vel rubra , vel liuida in morbo , quia ſi eſt ſicut in ſanitate eſſe ſolet , eſt bona : & ideò facies pallida melior eſt quàm rubra , & contrà , ſi æger talem in ſanitate ſolet habere ; etenim faciem à ſtatu naturali multùm eſſe mutatam , morbi magnitudinem indicat ; & quò citiùs , eò peius , ſi mox in principio morbi eſt permutata , indicat malignitatem : ſi verò ſolùm in ſtatu, tunc non eſt ita malum ; quia non eſt mirum vultum eſſe permutatum , cùm æger iam tamdiu cum morbo fuerit conflictatus & 1. *prognoſt.* 9. & 10. addit Hipp. *Talis autem fuerit naſus compreſſus, oculi cavi, adſtricta tempora , aures frigidæ & contractæ ; & fibræ earum verſæ ; item cutis circa frontem dura , intenta, arida , & totius vultus color viridis & niger.* Hæc

facies vocatur Hippocratica, quia sic ab Hippocrate est descripta; & talis in morbis acutis est pessima; & si talis apparet in principio, aut intra triduum, est exitiosum. Et 1. *prognost.* 13. *Si*, inquit, *lucem fugiat, aut nolenter illacrymet, aut oculi peruertantur, aut alter altero fuerit minor, aut candidum oculi fiat rubrum, aut liuida aut nigra vena, aut sordes circa oculos appareant, aut sublimes tumidique oculi, vel caui admodum fuerint, aut squallentes & obscuri, vel totius vultus color permutetur; hæc omnia mala esse atque pernitiosa censendum est.* Et 1. *prognost.* 15. *si peruertitur aut liuida palpebra est, aut labrum, aut nasus cum aliquo alio signo pernitioso, sciendum est mortem propè esse*; lætare enim est habete labra resoluta, & pendentia, & frigida, atque albicantia. Hæc omnia signa intelligendum est esse pernitiosa in morbis acutis, vt continuis & ardentibus febribus. Item in viscerum qualiumcunque cerebri, pulmonum, hepatis, renum mesenterij, & similium partium inflammationibus. Lumen auersari signum est visoriam retentricem læsam. Oculum alterum altero minorem esse, motricem esse læsam; vt & oculos non claudi, & os hiare. Sordes oculorum concoctricis vitium indicant. Oculorum peruersio, conuulsionem. Instabiles oculi delirium aut tremorem. Hæc autem omnia indicant ex mali magnitudine. Cerebrum in consensum trahi & grauiter lædi, malum; est autem malum partes principes in consensum trahi. *In febre non intermittente si labrum vel palpebra vel supercilium, vel oculus, vel nasus peruertantur, vel non videant vel audiant, iam debili existente corpore, quicquid horum euenerit mors in propinquo est*: peruersiones illæ indicant conuulsionem; conuulsio est ab inatione; talis omnis post acutas febres est exitialis.

§. IV.

A faciei colore.

Faciei pallor in virginibus febrem pallidam, aut vteri obstructionem indicat, si alia etiam adsint signa, vt dolor capitis, difficilis anhelitus, febricula, &c. In aliis verò color pallidus indicat morbum gallicum, si alia signa comitentur; vel cachexiam, si insuper vultus tumet, aut crura sint œdematosa. Rubedo faciei in sanis significat sanguineam complexionem. Rubedo cum pustulis & rubedo ad liuiditatem quandam vergens significat intemperiem calidam hepatis, præcipuè si fuerit ebriosus, si quoque volarum ac plantarum pedis calor sentiatur, si est sitibundus, &c. etenim ex calore hepatis sanguis accenditur, hinc fœcundi vapores ad extrema corporis & maximè in caput feruntur, vnde pustulæ & rubedo illa & extremorum calor oriuntur. Rubedo in vultu liuido vnà cum faciei ac nasi indecoro tumore & labiis crassis, signum est elephantiasis. Hippoc. 2. *prognost.* 14. sic inquit: *color bonus cum mœstitiâ malum*; vbi per colorem bonum debet intelligi color ruber ad liuedinem tendens, talis color cum mœstitiâ coniunctus est malum signum

gnum, quia indicat humoris melancholici copiam, vel morbum melancholiam dictum. Rubedo faciei signum est sanguinem ad superiora ferri: hinc qui roseo isto colore in sanitate præditi sunt, facilè in hæmorrhagiam ac phthisim incidunt; quia in talibus sanguis ad superiora fertur. Rubedo maxillarum, si adest febris, tussis, ac difficilis respiratio, proprium ac pathognominicum signum est peripneumoniæ. Hipp. 2. *Prognost.* 60. genarum rubedinem etiam inter signa empyematis refert. Contingit autem in vtrisque hanc rubedinem generari, Galeno teste, ex calore in pulmone adaucto, qui in faciem redundat, & tussim, quæ ægrum defatigando concitat eiusmodi in facie colorem & ruborem maxillarum. Rubor assiduus in longis lentisque febribus, pulmonis præcipuè ardorem, & ad tabem viâ ostendit, præcipuè si tussicula adest: si verò non solùm genæ sed & tota facies rubeat, & flammea sit, & accedat externa corporis caliditas, est signum febris. In omnibus febribus ac morbis acutis facies flammea, si non est alia manifesta causa ruboris, vt ira, pudor, &c. est mala, quia febris & æstus magnitudinem indicat, & calorem sursum ferri, vnde vel phrenitis vel peripneumonia sit metuenda; nisi rubedo sit fortè critica: nam aliquando rubedo in statu vel circa tempus criseos est signum futuræ criseos per hæmorrhagiam: sic 4. *Coacarum prænotionum text.* 3. inquit Hipp. *quibus rubores in facie, & capitis vehemens dolor & venarum pulsus, iis vt plurimùm fit sanguinis fluor.* Et sic Gal. *in lib. de præsagiis ad Posthumum*, in ciue quodam Romano ex facie rubrâ erupturum criticè sanguinem prædixit. Tum autem præcipuè rubedo hæmorrhagiam indicat; si febris est synochus, si æger pletoricus, si est tempus & dies criseos, si signa coctionis præcesserint, si adest dolor capitis, & venarum circa tempora pulsatio, si insuper oculis splendores ac caligines obuersentur, nares pruriant, &c. Porrò rubor faciei etiam aliquando parotides post aures futuras indicat. Sic Gal. *comm. 2. in 6. Epid. text.* 18. testatur eiusmodi ruborem, cùm sanguis non erūpit, indicare crisim per abscessum. Hipp. 3. *Prorrheticorum tex.* 73. quibus comatosa fastidia, hypochondria dolentia & cruenta, ex quo in iis parotides excitantur: ante autē faciei signa inquit. Vbi Gal. *in comm.* inter faciei signa parotides indicantia, ponit ruborē, tumorem, oculorum humiditates, caliginosam visionem. Not. tamen, quòd facies rubra non solùm parotidas aut hæmorrhagiam indicat, sed potest etiam indicare quámuis crisim, & est signum criseos generale, & non tantùm particulare; quomodocunque enim crisis fiat, potest cū eâ facies esse flammea; sub crisi enim humores agitantur, febris inardescit, vaporis feruidi ex motis humoribus & luctâ naturæ in caput feruntur, & hinc non est mirum, faciem flammeam fieri: & sic facies flammea quamuis crisim potest indicare; hanc crisim cum talibus, aliam cum aliis signis; præcipuè tamen & magis particulariter, vt diximus, parotides & hæmorrhagiam indicat. Rubra facies etiā aliquando indicat phrenitidē, vt sic cum rubore faciei simul adsit oculorum tumor, intuitus ferox, deliriū, &c. Sic 5. *Coacarū prænotionum tex.* 13. *Qui*, inquit Hipp. *capite dolēt firmiter*

delirantes

delirantes, aluo suppressâ, feroci aspectu, rubrâ facie in posteriorem partem conuelluntur. Primò est signum conuulsionis, quatenus scilicet est signum phrenitidis, quæ potest in conuulsionem terminari; & proindè magis per se est signum phrenitidis. 1. *Coacarum. text.* 33. sic habetur. *Rigores, in quibus multa in somnum inclinatio inuenta est, vtcúmque sunt lætales; quòd si in iis facies instar flammæ exardescat cum sudore, malignum est.* Et 2. *Proreticorum.* 33. habetur: *æstuosi, rigores quadamtenus pernicioſi, inflammans quoque cum sudore facies in his mala.* Vbi intelligendum est, quòd flammea facies tempore crisεos fiendæ sit mala, si solùm faciei sudor comitatur, id est, si solum vnum signum criticum comitatur, aut vna euacuatio, quæ non sit sufficiens indicare morbum; aut si talis sudor comitetur, qui morbum non indicet, & sit vel paruus, vel non generalis: nam talis facies est signum criticum; vnde si crisis non sequitur, aut alia signa non concurrant, est signum naturam quidem agitare humores, sed succumbere, & crisim non futuram, vel fore imperfectam: *Etenim,* vt inquit Hippocrates, *iudicatoria non iudicantia sunt mala.* Coloris inæqualitas faciei est mala; sic Hippoc. *libro de aëre, aquâ, & locis: cùm toti,* inquit, *corpori mutationes accidunt, & corpus refrigeratur, & vicissim calefit, & color alius ex alio oritur, morbi longitudinem indicat.*

A tumore faciei etiam signa desumuntur; sic vultus collapsus, nasus acutus, adstricta tempora, in morbis longis tabem, in acutis morbem ostendunt. Vultus tumidus, albus, œdematosus, anasarcam prænunciat; idque magis si crura etiam sint œdematosa; si & magnæ euacuationes, & acutus morbus, ventrisque duities præcesserit.

A qualitatibus primis etiam signa desumuntur: nasus & aures frigidæ & liuido colore præditæ, in acutis morbis signum est lætale.

§. V.

Ab Oculis.

Ab oculis maxima & diuersissima signa desumuntur: Hipp. 6. *Epid. sect.* 4. *textu* 28. dicit, *ita valere corpus sicuti valent oculi; cùm illi bene videntur habere, corpus bene valet.* Signa mortis à nullo efficaciùs sumuntur, quàm ab oculis; quia vitæ & vitalium actionum omnium instrumenta sunt spiritus; oculi autem spiritibus pleni sunt; tùm etiam quia oculi cum corde maximum habent consensum. Varia autem circa oculos considerari possunt, à quibus signa sumuntur: vt ab oculorum magnitudine, figurâ, colore, contentis, motu & actione, palpebris, &c.

Ab oculorum figurâ: oculi magni indicant cerebri humiditatem & caliditatem: humiditatem, quia oculi magni sunt ab humorum in oculis contentorum multitudine. Multitudo autem humorum oculi indicat cerebri humiditatem; nisi enim cerebrum in primâ generatione humidum

humidum fuisset, non fuisset tam multum humiditatis ab eo ad oculos secretum: Caliditatem, quia indicat robur conformatricis in primâ generatione; conformatio enim robusta facit partes magnas, robur autem conformatricis indicat vegetum calorem, illud autem oculi præcipuè indicant, quando cum magnitudine vegeta visio est coniuncta. Magnitudo oculorum etiam indicat abundantiam spirituum; non enim humores tantùm sed & spiritus faciunt oculos intumescere; hinc vno oculo clauso pupilla alterius dilatatur, quia plus spirituum ingreditur. Pupillæ paruitas signum est visionis robustioris; in paruâ enim pupillâ species magis vniuntur, in magnâ dissipantur: accedit quòd cùm pupilla est magna, humor crystallinus ab externo lumine magis offenditur, minùs cum est parua. Humorem autem crystallinum ab externo lumine offendi, patet ex eo, quòd cùm oculus lumini obuertitur, pupilla contrahitur, & euadit minor; quam contractionem ideò natura facit; vt externum lumen arceat, à quo percipit se offendi. Oculi valde exerti minùs vident remota; meliùs autem caui ob eandem rationem: sic stantes in Sole cum volumus res remotas perfectas videre, manus oculis superponimus; quia scilicet hâc ratione oculi occultantur & euadunt profundiores, seu quasi in cauo collocantur. In cataractâ si vno oculo clauso cataracta alterius oculi mouetur, signum est non adesse cœcitatem, aut obstructionem in neruo optico, sed ablatâ cataractâ visionem restitutum iri, & sic hoc in cataractâ est bonum signum. Oculi in morbis fiunt maiores ab humoris influxu. A nerui optici rupturâ, à plenitudine humorum in cerebro, ab irâ, furore, nimio vomitu, colli constrictione etiam oculi intumescunt; quia spiritus ab iis in oculos feruntur. Ab anginâ oculos intumescere, & ex orbitâ suâ quasi exire, est malum signum; quia magnitudinem constrictionis circa collum significat, & suffocationem. Oculi caui indicant mœrores, vigilias, cogitationes, & omnes affectus oculos exsiccantes & spiritus consumentes; indicant etiam tabem & acutas febres. Vnum oculum in acutis febribus altero fieri minorem iam ante diximus ex Hippoc. inter signa pernicioſa haberi. Oculos in acutis morbis prominere, & intumescere etiam est malum; tales autem oculi apparere solent in variis capitis doloribus inflammatoriis, qui cum moto spiritu & calore ex inflammatione repleti intumescunt. Dicit Mercurialis à multis lacrymis oculos minui, quia sc. lachrymis multi oculorum humores, præcipuè autem albugineus diminuuntur.

A colore oculorum. Cæruleus color visus bonitatem indicat: flauedo in tunicâ adnatâ seu in albo oculi apparens signum est icteri; in nullâ enim parte flauedo citiùs apparet, quàm in albo oculi. Rubedo in oculi albo ophthalmiam indicat, cerebri calorem & humores ac sanguinem spirituſque ad superiora ferri. Si album in oculis flaueſcat, & mirâ craſſitie sicut vngue obtegatur, signum elephantiasis esse dicit Fernelius. *Malum*, inquit, Hippoc. 1. *prognost.* 1. *si oculi candidum rubeat*; quia

indicat calorem esse tantum, vt cerebrum ex eius multitudine inflammetur. Rubedo palpebrarum est signum epiphoræ : oculorum rubedo hæmorrhagiam etiam indicat, sic Hipp. 3. *Proret. Cerui cis*, inquit, *dolores, oculi intensè rubri sanguinis eruptionem ostendunt.* Et *primo Coacarum prænotionum sect.* 2. *text.* 8. *qui*, inquit, *caput dolent, stupore detenti, doloroſi & prærubro oculo, sanguinem fundunt :* intellige è naribus, modò sit status & præcesserit causæ morbificæ coctio, & alia signa criseos adsint. Oculi feroces & torui delirium indicant. Hoc docet Hipp. 6. *Epid. text.* 45. vbi docet tales oculos proprios esse phreniticorum ; & delirantium, & sæpe conuulsionem portendere, quæ in talibus est lætalis. *Et tertio Prorecticorum* dicit, *nigra vomentes, cibos fastidientes, deliros, quibus oculus ferox & clausus, eos non esse medicamentis tractandos, sed prognosticis relinquendos. Oculos apparere non splendidos, sed obscuros & hebetes, & mortuorum oculis similes, propinquæ mortis signum est* ; vt tradit Gal. 2. *Proretic. comm.* 2. *text.* 16. *Et* 2. *Epid.* dicit, *quorum oculi non sunt robusti, mors in propinquo est* ; etenim oculorum claritas spirituum copiam, obscuritas defectum indicat. Cardanus inter signa certæ mortis ponit, si oculi ægrotantis inspicientis hominis effigiem non reflectant. Oculi dissimiles mutati, imò vitio affecti in morbis acutis tempore criseos possunt non esse mali, sed indicare crisim : Quia enim tempore criseos omnia in corpore mouentur, humores agitantur, vapores in caput feruntur, non est mirum oculos esse mutatos ; & ideò si cum signis coctionis & aliis signis criseos sunt coniuncti, possunt esse bonum signum, nempe signum criseos ; alioqui extra tempus criseos oculi mali in acutis semper sunt malum signum ; nisi fortè eorum vitium oriatur ab aliâ quâdam manifestâ causâ, vt fumo, ploratu, ictu aut peculiari ac propriâ aliquâ defluxione. Porrò oculi mali tempore criseos si sint coniuncti cum malis signis & signis iudicatoriis non iudicantibus sunt exitiosi.

Ab oculi motu : *Instabiles palpebræ sunt indices vigiliarum*, teste Galeno 1. *Prognost.* 11. *Oculi instabiles sunt mali, id est immobiles* inquit Gal. 2. *Proret.* 11. Et 4. *Coacarum sect.* 2. *text.* 38. dicit Hippocr. quòd *oculos perpetuò rictare sit perniciosum* ; *etenim*, vt aliis locis dicit, *oculi instabiles delirium indicant vel tremorem :* è contrà verò. 2. *Proret.* dicit Hippoc. *concretos oculos semper esse malos.* Gal. autem *in comment.* dicit, *concretos seu immobiles oculos fieri vel propter summam debilitatem potentiæ motiuæ, vel ob paralysim, vel ob conuulsionem*; quorum vtrunque in acutis lætale & Gal. 6. *Epid.* 6 *tex.* 37. dicit, *oculos immobiles seu concretos fieri propter potentiæ motiuæ extinctionem. Palsiebras inter dormiendum non claudi, pernicioſum signum esse in Coacis*, dicit Hipp. & 1. *Prognost.* 11. dicit, *suspectiones oculorum per somnum esse pernicioſas.* Suspectiones autem oculorum vocat eas, quando oculi non clauduntur, & aliquid de albo eorum videtur ; dicit esse periculoſas, nisi manifesta subsit causa, & nisi, inquit, naturaliter sic dormire consueuerint ; & nisi vel alui fluor adsit,

vel

vel medicamentum valde purgans sit assumptum, vel tristitia inædiáve præcesserit, *etenim tales*, inquit, *suspectiones motiuæ oculorum facultatis maximam debilitatem indicant*; etenim ad clausionem magis opus est robore facultatis motiuæ, quàm ad apertionem; quia oculi naturaliter magis sunt aperti quàm clausi: quòd si autem ex manifestâ causâ id fieret, non esset tam malum; quia illam debilitatem tum non indicaret: contingunt autem ex manifestis causis tales suspectiones ex eo, quòd istæ omnes oculos exiccent, & exiccando difficilem pariant motum & clausionem. In pueris palpebras non perfectè claudi est signum vermium, vt docet Ægineta, *lib.4. cap.57.* & Auic. *lib.3.parte 16. sect.5. cap.2.* è contrà verò oculos esse clausos & difficulter aperiri in sanis indicat somnolentiam, vigilias prægressas, vel oculorum peculiare vitium, ratione cuius palpebræ à sordibus detinentur, & ægrè apperiuntur. Porrò in morbis acutis est signum lætale, nisi etiam fiat à causâ aliquâ manifestâ, vel nisi sit fortè signum criticum. Quòd autem possit aliquando esse signum criticum, docet Hipp.3. *Coacarum* his verbis: *qui in febri continuâ muti iacent clausis oculis subinde conniuentibus, siquidem è naribus sanguis fluxerit, aut vomuerint, & exinde loquantur, & ad se redeant, seruantur: quòd si nihil horum eueniat in difficilem redacti respirationem breui moriuntur.* Palpebrarum peruersio est etiam mala; sic Hipp.4. *Aph.49. in febre*, inquit, *non intermittente si labrum, vel palpebra, vel supercilium, vel oculus peruertatur, vel non videat, vel non audiat, debili existente corpore, mors proxima est* quòd idem dicit 1. *prognost. text.* 15. etenim oculos peruerti vel resolutionem vel conuulsionem indicat, illud imbecillitatem, hoc summam siccitatem & magnitudinem caloris indicat: talis peruersio est mala, nisi etiam sit critica; potest autem aliquando esse critica, & contingere ab humorum tempore crisεos agitatione, à qua multa alia eueniunt symptomata, quæ ex se videntur pessima, sed in quantum futuram crisim significant, non sunt mala. Sic Hipp.3. *Epid. sect.1. text.23. Oculus*, inquit, *distortus erat*, vbi Galen. in *comm.* ait, quòd delirauerit æger in nocte, & dextro oculo strabo fuerit; *Res sunt*, inquit, *quæ in crisibus solent euenire.* Oculum ipsum sursum contorqueri instantis mortis indicium est; contingit autem, inquit Mercurialis, ex eo, quòd calor expirans & exiens per partes superiores eas attollat; sed ratio videtur friuola.

A contentis oculorum; vt lacrymis, sordibus, &c. Lacrymæ tristantium sunt calidæ, laborantium verò frigidæ: rationem ponit Aristoteles *sect.31. problem.24.* quia quod incoctum crudumque est, id est frigidum; lachrymæ autem tristantium sunt antea coctæ, & ideò calidæ; sed laborantium humores sunt crudi & ideò frigidi. Porrò lachrymæ inuoluntariæ & sordes oculorum in acutis morbis sunt etiam pessimum signum. *Oculo inarescens pituita malum*, inquit Hipp.6. *Epid. parte 1. text.23.* quod idem Celsus *lib.2. c.6.* tradit; ratio est, quia est signum summæ debilitatis concoctricis facultatis oculorum. *Malum*, inquit, Hipp.1. *progn.10.*

si oculi nolentes illachryment; huius rationem dicit esse Galen. quia debilitatem indicat facultatis retentricis; si verò illachryment à manifestâ causâ, vt lippitudine propriâ, afflictione, &c. non est malum. Porrò oculi præter voluntatem illachrymantes etiam aliquando sunt signum criticum, & sanguinis è naribus eruptionem indicant, vt dicit Gal. 3. *de Crisibus cap.* 11. Sic Hippoc. 1. *Epid. sect.* 2. *text.* 8. *quibus*, inquit, *in febribus acutis atque adeò ardentibus non spontaneæ erumpunt lachrymæ, iis narium profluuium est expectandum*; modò reliqua signa non sint exitialia, tunc enim non crisim sed mortem ostenderent, quòd idem repetit. 6. *Epid. sect.* 1. *text.* 31. & *in Coacis prænotionibus* 1. *Proreticor.* 17. habetur, *quòd concretus in oculo puluisculus insaniam ostendit*; vbi inquit, Taurellus, non est intelligendus puluisculus, sed quædam asperitas in oculo obortа, nata ex palpebris resiccatis; nam quando palpebræ ita exsiccantur, vt in eis asperitas obortiatur, quæ sensum facit puluisculi cuiusdam, quem ægri digitis eximere volunt, signum est summi in cerebro caloris & siccitatis, ex quibus sequitur delirium: Verùm ratio mihi friuola videtur; & puto sic interpretandum esse, quòd eodem modo, quo insaniæ signum est, ægros carpere floccos, & actionem aliquam facere sine ratione & causâ, ita etiam est signum insaniæ, eos semper digito oculos extergere, quasi quidam puluisculus in eis esset. Verùm de lachrymis latiùs agemus infra, vbi de excrementis.

Ab oculi actione, vt visione: 1. *prognost.* 10. inquit Hippoc. *malum esse si ægri lucem non ferant*; Idem dicit *in Coacis prænotionibus*: ratio est, quia indicat magnam imbecillitatem & inopiam spirituum; nisi fortè locus sit valdè splendens, aut doleant oculi, aut sint inflammati, aut capitis dolor adsit; nam si locus valdè lucidus est, tum tale lumen, & sanos offendit; & sic mirum non est, ægros ex eo offendi.

§. VI.

A Naso.

Nasus acutus seu compressus in morbis acutis est signum lætale, inquit Hippoc. 1. *prognost.* 6. sicuti & caui oculi & adstricta tempora; quoniam indicant humoris & solidæ eorum substantiæ consumptionem, vt *ibidem* 7. declarat Galen. *Nasus si peruertatur in febre continuâ debili existente corpore lætale.* 4. *Aph.* 49. Nasus rubicundior factus est iudicationis signum teste Gal. 1. *ad Glauconem cap.* 14. præcipuè autem est iudicationis futuræ per alui fluxum. Hoc docet Hipp. *libro de Coacis prænot.* cùm dicit; *rubores circa nasum alui humescentis signa sunt.* In morbis acutis nasi & aurium liuor & frigus, sicut & omnium partium extremarum, malum signum est; quia signum est caloris natiui in extremis illis partibus incipientis extingui. Narium alas in acutis morbis secundum motum respirationis moueri est malum signum; indicat enim calorem cordis esse maximum,

maximum, & magnam esse ventilandi caloris à corde necessitatem, virium debilitatem, cui motus ordinarius thoracis non sufficit: quapropter natura conatur id compensare magnâ narium dilatatione. Nasus acutus & narium interstitium absumptum, inter signa elephantiasis referuntur. Narium vlcus sordidum ocæna, obstructio & caruncula in eis adnascens colicam indicat. Potum assumptum per nares reddi in anginâ periculosum est, & signum magnæ in trahæâ angustiæ. Narium pruritus in acutis delirium indicat; pruritus enim contingit ab acribus fumis & biliosis humoribus sursum ascendentibus; à talibus autem delirium est expectandum. Aliàs pruritus narium, nisi fiat à causâ manifestâ, vt à pilo pungente, indicat vermes in intestinis esse, præcipuè in pueris; vel præsagit futuram sanguinis hæmorrhagiam, præcipuè circa tempus criseos.

§. VII.

Ab Auribus.

Aures frigidæ, contractæ, fibræ earum versæ, periculosum inquit Hippoc. 1. *prognost.* 9. nam aures contractæ, vt & nasus & tempora adstricta, in acutis summum calorem & exiccationem notant. Aures frigidæ, liuidæ, vt de naso dictum est, calorem natiuum extingui significant; & proinde signum lætale, teste Hippoc. *eodem loco*, & *in Coacis prænot.* Acuti aurium dolores in acutis morbis non carent periculo; *aurium dolor acutus*, inquit idem 3. *prognost. cum febre continuâ ac vehemente difficilis est*; periculum enim delirij minatur; quia cerebri nobilissimi scilicet visceris malignam inflammationem significat: interim tamen non rarò post dolorem in auribus suppuratio contingit, quâ factâ pus criticè expellitur, & morbus dolorque soluuntur. Exemplum est 4. *Epid.* in quodam, qui criticè pure erumpente 7. die fuit liberatus. Sonus aurium in acutis febribus etiam est malum signum, præcipuè autem in principio; quia tunc non potest esse signum criticum. In statu autem, etsi etiam sit malum signum, potest tamen etiam tunc aliquando esse bonum signum & signum criticum, si cum aliis criticis signis concurrat; ideò autem malum est, quia indicat feruidos fumos in caput ascendentes, cerebrum in consensum rapi ac inflammatum iri, vel dilirium secuturum. Quòd autem etiam possit aliquando esse signum criticum, colligitur ex Hippoc. 4. *Coacarum text.* 18. cùm dicit, *in ardentibus febribus superueniens sonus aurium cum hallucinatione oculorum & narium grauitate, hi*, inquit, *insaniunt, nisi sanguis è naribus fluxerit.* 4. *Aphor.* 60. sic habetur: *quibus in febribus aures obsurduerint, sanguis è naribus fluens, aut aluus turbata, soluit morbum.* Et *libro de Crisibus* sic habetur: *quibus in febribus aures obsurduerint, hos non solutâ febre insanire necesse est*; soluit autem sanguis è naribus exiens, aut aluus biliosa eiiciens, aut dysenteria, aut

coxarum aut inguinum dolor: de his vide latiùs infrà, vbi de surditate. *Hominibus sordes aurium dulces quidem morbiferæ, amaræ autem non*, inquit Hippoc. 6. *de morbis vulgaribus sect.* 5. *textu* 19. cuius rationem esse iudico, amaritudo perfectam earum coctionem, & vegetum adhuc calorem natiuum, dulcedo autem, (per quam intelligenda est earum insipiditas) cruditatem, defectum concoctionis & caloris natiui extinctionem indicat. *Abscessus iuxta aurem, seu parotides in acutis morbis & maximè febribus ardentibus fieri, & si non iudicationes fecerint, aut maturuerint, aut ex naribus sanguis fluxerit, & vrinæ subsidentiam crassam habuerint*, inquit Hipp. *in Coacis prænot. ægri intereunt. Abscessus circa aurem in morbis diuturnis suppurari non valde albo sed inodoro pure, mortem inferunt & maximè in mulieribus*, inquit Hipp. *eodem loco.*

§. VIII.

A Labris.

Dicit Hippoc. 1. *Prognost.* 12. *si peruertitur aut nigra est palpebra, aut nasus, aut labrum cum aliquo alio malo signo, mortem significat* & optimè addit, (cum aliquo alio malo signo) vt si non audiat, non videat, &c. vnum enim signum malum, si alia plura eiusdem generis ei non sint coniuncta, non est tanti faciendum: nam si alia non responderet censendum est ex aliquâ causâ peculiari, vel externâ, vel nobis incognitâ, saltem non ex magnitudine morbi prouenire, & 4. *Aphor.* 49. Sic inquit: *Si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium inuertitur, & non videat, vel non audiat, debili existente corpore, mors proxima est.* Labrum inferius tremulum aliquando præcedit futuras crises; & sic aliquando est signum decretorium; significat autem crisim per vomitum futuram, teste Galen. *de Crisibus cap.* 1. Hoc habuit Chelion apud Hippoc. 3. *Epidem. sect.* 2. *text.* 28. & iudicatus est. Labra exulcerari in febribus communiter à vulgo habetur pro bono signo solutionis febris; sic experientia sæpe docet, cùm febres soluuntur, labra exulcerari: hæc opinio est etiam fundata in auctoritate antiquorum. Hippoc. *in Epid. sect.* 8. *text.* 8. ait, *Febres, in quibus labra vlcerantur, fortassis cessant*: per vocabulum (fortassis) indicat Hippoc. illud signum non esse certum, aut necessarium solutionis, sed aliquale tantùm; etenim Galen. *in comm.* dicit esse signum maximi ardoris; quod autem est signum maximi ardoris, non potest semper esse signum solutionis; etenim, inquit Galen, labra ob nullam aliam rationem vlcerari videntur, quàm quia acer quidem vapor ex biliosorum humorum in corpore contentorũ copiâ ad fauces, labra, & os ascendat, qui partes illas modò sordibus & lentoribus conspurcat, modò exulcerat. Huic doctrinæ consentit Auicenna, qui asserere videtur, illam exulcerationem aliquando indicare caloris magnitudinem, aliquando verò febris solutionem, etenim *libro* 4. *parte* 2. *sect.* 1. *cap.* 28.

sic

sic ait, *scissio labrorum in febribus acutis significat superfluitatem inflammationis*; at verò *in Canticis parte* 1. *cantico* 4. 77. dixit; *& pustulæ narium aut labrorum in tertianâ signum sunt salutis prognosticum*, quod *ibidem* Auerrhoës *in commentis* affirmat.

§. IX.

A Dentibus.

Dentes robustos & spissos habere est signum longæ vitæ. Hoc confirmat Aristoteles. *sect.*34. *problem.*1. & 2. *sect.*44. vbi quærit, cur raros dentes habentes sint breuioris vitæ, & Respondet, id esse, quia signum est, os illud, ex quo dentes oriuntur esse solidum & densum; & consequenter ossa capitis reliqua esse densa & solida; & consequenter parùm perspirabilia; hinc quia cerebrum non potest liberè perspirare, fit debile & humidum; tale autem facilè putrescit. Idem repetit Aristoteles 2. *histor. animalium cap.* 3. & confirmat Hippoc.2. *Epid. sect.*6. & Plinius *libro* 7. *cap.* 16. Vallesius verò *in comment. ad locum citatum Epidem.* reddit aliam causam probabiliorem, & dicit crebros dentes indicare longam vitam duobus modis; & vt causam, & vt signum: causam, quia multi & firmi dentes faciunt bonam masticationem; masticatio bona meliorem concoctionem, &c. vt signum, quia multi & robusti ac firmi dentes sunt signum robustæ facultatis conformatricis in primâ generatione, & consequenter vegeti caloris natiui & longæ vitæ. Dentium vacillatio & gingiuarum vndiquaque exesio ac excrescentia cum sanguine & pure ab eis promanante significant scorbutum, præcipuè si alia signa, vt maculæ liuidæ, dolor genuum & articulorum adsint. Stridor dentium in febribus acutis est lætalis. Hipp. 1. *prognost. text.* 25. sic inquit: *si quis stridat dentibus, reliquâ vitâ id facere non assuetus, insania indicatur aut mors; in vtrisque autem*, inquit, *futurum prædicere periculum necesse est*; & Galen. *in comm.* dicit, *quòd stridor ante insaniam futuram insaniam præsagit, post insaniam verò vel cum insaniâ, mortem.* Idem habet Hippoc. 1. *Proret.* 13. exemplum est apud ipsum *in Epidem.* in muliere anginosâ, quæ apud Metronem habitabat, de quâ dicit, quòd pridie antequam moreretur, dentium habebat attritionem; ratio est, quia dentium stridor fit à conuulsione musculorum maxillarum; & stridor dentium nihil est aliud quàm conuulsio orta, propter læsam grauissimè partem principem quæ est principium neruorum, & propter exiccatos à summo æstu maxillarum musculos. Conuulsionem autem post acutas febres lætalē esse Hippocrates 2. *Aph.*26. tum aliis multis locis affirmat. Dictum autem est hoc signum periculosum esse, nisi sit consuetum; nam quæ à naturâ fiunt, & sunt consueta, non sunt mala: multi autem à naturâ habent, vt dormientes stridant:

ſtrident : ita Gal.3. *Prognoſt.* dicit,multos à naturâ habere oculos cauos, pulſus intermittentes , dentium ſtridores , pronam ſeu ſupra ventrem dormitionem , plangoſam vocem, &c. quæ omnia in talibus non ſunt mala , cùm tamen in non aſſuetis præſertim cum aliis malis ſignis coniuncta eſſent periculoſiſſima. Extra morbos acutos pueros dormientes dentibus ſtridere eſt ſignum vermium , vt teſtatur Paulus *lib.4.cap.57.* & Auic.*lib.3. parte 16.ſect.5.* Lentores circa dentes ſunt malum ſignum. Hipp.4. *Aph.53.*Sic inquit,*quibus lentores in febribus circa dentes naſcuntur,iis fortes febres fiunt:*ratio aſſignatur 4.*Epid.ad finem,quia* , inquit,tales pituitoſæ humiditates circa dentes affigi non poſſent, niſi ingens febris calor adeſſet,qui eaſdem exiccaret.

§. X.

A Linguâ & Ore.

Linguæ ſordes & albedo febrem continuam ſignificant : etenim in omni febre continuâ mox lingua ſordida fit, & alba cùm punctis rubris albedinem illam intercurrentibus. Fiunt autem iſtæ ſordes & albedo à craſſis vaporibus & humoribus putreſcentibus in caput ac palatum aſcendentibus , ibidemque ad linguam exiccatis & concretis : quapropter in omni morbo , in quo febris periculum adeſſe poteſt, lingua eſt aſpicienda ; quia mox illa febrem prodit. Hipp.6.*Epid.part.5. text.14.* dicit , linguam indicare , qui humores morbum faciant ; *nam,* inquit,*qui humor morbum facit,ab eius colore lingua inficitur :* ſi lingua pallida eſt , peccat bilis ; ſi rubeſcat,peccat ſerum ſanguinis ; ſi eſt liuida peccat melancholia. Et ita *textu 16.*lingua lotium ſignificat , quòd ſicut lotium refert qualitatem humoris peccantis,ita & lingua.Porrò eſt conſiderandum , an lingua eiuſmodi mutationes habeat à febre , an ab aliquâ causâ peculiari ac manifeſta ; quia ſi habet à manifeſtâ causâ , vt, verbi gratiâ , à potu aut cibo aſſumpto,aut peculiari à capite humoris in eam defluxione,tunc nihil ſuper febrem ſiue ſpecie ſiue malitiâ indicat. Linguam in febre acutâ naturali maximè eſſe ſimilem eſt bonum ſignum ; vt eſſe rubram, eſſe mollem & humidam ; nam eſſe aridam, albam,nigram,malum eſt , & magnitudinem febris , ac maximum in interioribus æſtum ſignificat : in quo tamen oportet animaduertere ne fallamur ; nam lingua eſt quandoque mollis ac pituitoſa defluxione ex capite, vel aliquando fit mollis à potu immediatè ante medici aduentum præbito ; nam quando talis ab illis cauſis eſſet , tunc eius diſpoſitio neque bonitatem , neque febris paruitatem notat. Lingua ergo arida, dura,parua,ac valde contracta , nigra , viridis ſummum ardorem , ſiccitatem , febrem ardentem , delirium atque periculum indicat. *Linguæ,* inquit Hipp.1.*Proret.3.denſæ,duræ,& aridæ phrenitica ſunt.*& 4.*de ratione victus,comm.4. lingua enim,* inquit, *dura & arida deſipientiam ſignificat.*

In

In Coacis prænot. Sic inquit, *lingua, quæ in principio quidem inhorruit, in colore verò permanet, & in progressu temporis exasperatur, liuescit & rumpitur, lætalis est*; qualem linguam habuit Philiscus 1. *Epid. sect.3. text.8.* & Hermocrates *lib.3.sect.1. text,11.* & ideò perierunt. Interim tamen etsi tales linguæ sint periculosæ, & indicent ardentem febrem & magnitudinem incendij, tamen non necessariò indicant mortem; quia multi cum talibus linguis adhuc conualescunt; sicut in exemplo virginis Larissæ apud Hipp. *in Epid.* apparuit, & Galen. *in comment.* id manifestè ostendit. *Linguæ contremiscentes signa sunt non constantis mentis*, inquit Hipp.1. *Prorret.2.* ratio est, quia lingua tremula indicat conuulsionem, quæ in acutis febribus est lætalis. Lingua valde sicca in anginâ est etiam pessimum signum; quia indicat magnitudinem inflammationis gutturis, & summum ardorem. *In acutis febribus, si in linguâ apparuerint pustulæ ciceribus magnitudine æquales, in principio sequentis diei morietur*, inquit Rhases,1. *ad Almansorem cap.2.* præcipuè linguæ aridæ, nigræ exitium indicant, si insuper ægri non sitiant; hoc enim est signum vel delirij, vel extinctæ facultatis naturalis, vt Galen. 1. *Epid.* docuit. Exemplum habet Hippoc.1. *Epid. comm.3. text.29.* & aliud de Hermocrate *lib.3.sect.1. text.11.* Qui cum aliis pessimis signis linguam habentes aridam non fuerunt sitibundi, mortui sunt. Porrò de signis à loquelâ infra agemus, vbi de signis ab actionibus læsis. Hiante ore dormire in acutis, nisi sit assuetum, est malum; indicat enim maximum ardorem & summam necessitatem ventilandi cordis, cui ordinaria per nares respiratio non sufficit, sed necessarium est ægros insuper os aperire ad sufficientem aërem hauriendum, quo ardorem extinguant.

§. XI.

A faucibus.

A faucibus etiam signa sumuntur, præcipuè in anginâ & inflammatione gutturis. In anginâ enim fauces & rubere & tumorem in iis apparere est bonum signum; nihil verò apparere, malum. *Si febre habitâ non apparente tumore in faucibus strangulatio repentè supernenit, lætale*, inquit, Hippoc.4. *Aphor.34. & 35.* & *in Coacis prænot.* Sic inquit, *in febribus deglutire noa posse citra tumorem, malum est*, quod idem & Celsus *lib. 2. cap. 6.* affirmat; ratio est quia hoc indicat tumorem interiùs esse ac in profundo gutturis, malum autem est eiusmodi tumores introrò vergere, bonum, foras. Sic 3. *prognost.2. quibus*, inquit Hippoc. *fauces rubent ac cervix & pectus traxit ruborem, nec sacer ignis introrecurrit, maximè salvantur.* Et *eodem libro: Securissimum est*, inquit, *si rubor quàm maximè foràs vertatur.* Vbi tamen adhuc considerandum est, ruborem maximum in faucibus cervice, & pectore apparere, non esse semper bonum signum, quin possit esse pessimum; potest enim esse, vt tumor sit tam magnus, vt

non solùm internas partes occupet, sed magnitudine suâ afficiat & fauces & externas partes; at si ita ad externas partes vergit, vt in internis sit minor, bonum. Itaque si exteriùs illa signa appareant, & deglutitio, respiratio, ac loquela sint faciles, est bonum: si verò exteriùs appareant, & nihilominus febris sit maior, & suffocatio magna, magnitudinē morbi indicat, qui & internas & externas partes occupet. In febribus acutis fauces multis sordibus albis', quasi tenello caseo circūquaque esse oblitas, est malum signum, indicans vel mortem, vel saltē delirium. Palatum esse durum, aridum, & siccum eit exitiale, sicuti de linguâ dixi. *Fauces exulceratæ cum febre difficiles sunt*, inquit Hipp. 3. *Prognost.* 15. & ideò, si hoc cum aliis prauis signis sit coniunctum, prædicendum, inquit, morbum cum periculo esse. Et 2. *Proret.* 54. *collum durum & doloroſum, & maxillarum colligatio, & venarum iugularium palpitatio fortis, & tendinum distentio est pernicioſum.* Et *in Coacis prænot.* dicit, *in omni febri malum esse dolorem colli; peſſimum autem in his, in quibus timor est, vt etiam insaniant*; ratio est quia in febribus est maxima respirādi & caloris ventilandi necessitas: ideò bonum est collum & partes respirationi inseruientes esse liberas; & contrà verò affici & dolere, est malum, quia respiratio fit difficilior. 2. quia indicium est calores & vapores æstuosos ad guttur & cerebrum ferri, & periculum inde esse, ne sicut in gutture dolores, ita quoque vlteriùs in cerebro insaniam inferant.

§. XII.

A Thorace.

Qui angusto sunt thorace, ij phthisi & difficultati respirandi sunt obnoxij. Gibbosi iisdem malis obnoxij sunt, & plerumque non sunt vitæ longæuæ, vt supra dictum est: quia partes spiritales sunt coarctatæ, vnde nec cor liberè ventilari, nec spiritus vitales & calor natiuus liberè distribui & communicari possunt. *Mulieri vterum gerenti, si mammæ graciles repentè fiunt, abortit*, inquit Hipp. 5. *Aph.* 37. & 38. *geminos habenti si altera tantùm mamma gracilis fiat, vnum tantùm*, inquit, *fœtum abortit; marem si dextra; fœmellam, si sinistra:* Ratio est, quia mammæ cum vtero maximè consentiunt: & mammas gracilescere signum est fœtum esse debilem, etenim fœtus pro suâ nutritione attrahit sanguinem è venis vteri; eùm autem vteri sanguis non sufficit, attrahit etiam aliquid sanguinis & lactis è mammis, vnde mammæ gracilescunt; ac proinde mammas gracilescere, signum est fœtum laborare inopiâ alimenti, & parum sanguinis ad vterum ferri, & sic futurum abortum. *Mulieri grauidæ si lac è mammis copiosè effluat, imbecillum fœtum indicat*, inquit Hippoc. 5. *Aph.* 52. ratio est, quia indicat fœtum parùm sanguinis trahere, sed sanguinem ad mammas ferri, & sic suâ copiâ effluere: fœtum autē parum sanguinis trahere, eius imbecillitatē indicat. *Sanguinem in mammis colligi, furorem indiat:* inquit Hipp.

Hipp.5. *Aph.*40. Verùm dicit Gal.hoc signum rarò apparere: contingit autem hoc ex eo,quòd sanguis in mammis coaceruatus, aliquando malignitatem acquirit;vnde vapores in cerebrum ascendentes delirium faciunt, & signum est sanguinem ad superiora ferri. *Quæ nec prægnans est, nec puerpera,& tamen lac habet,illi menstrua defecerunt.*Hipp.5.*Aph.*39.*In mammarum papillis color viridis, conceptaculi morbum ostendit.* 6. *Epid. parte* 5.*text.*18.

§. XIII.

De Hypochondriis.

In hypochondriis hæc considerari possunt; eorum qualitates nempe calor & frigus,magnitudo & paruitas,durities & mollities, tensio, subsultus,rugitus,&c. & ab his omnibus signa desumuntur.

Hypochondriorum nomen interdum strictiùs, interdum latiùs sumitur.Strictè sumendo vocantur hypochondria, partes illæ externæ abdominis, quæ supra vmbilicum versus vtrumque latus continentur, quod idem 2.*Proret.* asserit. In latiore verò significatione etiam præcordia hypocondriorum nomine continentur, atque adeò ventriculus, hepar, lien & septum transuersum hypochondrij nomen sortiuntur, & sic per hypochondrium dextrum,hepar;per sinistrum,lien intelligitur.Hipp.1.*Prognost.*25.Sic inquit:*Hypochondria saluberrima sunt,si dolore vacant,si mollia & æqualia sint tam sinistrâ quàm dextrâ parte*; ratio est, quia tum hypochondria sanis sunt simillima;optimum enim sanitatis signum est,partes taliter se in morbis habere, qualiter in sanitate consueuerunt. Denique hypochondria sic sese habere signum est,in nullo viscerum,neque in liene,neque in stomacho,neque in hepate,neque in septo transuerso vitium vllum esse;nam si in aliquo illorum vitium esset,necessariò hypochondria deberent esse mutata, & deberet vel aliquis dolor, vel durities,vel aliud vitium percipi. In acutis autem febribus illas partes bene sese habere est optimum signum.Vbi tamen notandum,quod aliquando possit esse tensio in hypochondriis,quæ non est mala;& hoc quando est critica; nam aliquãdo eiusmodi tensio est signum criticum:sic 3.*de Crisibus c.*11.habetur, quod *tensio præcordiorum sine dolore sit signum sanguinis fluxus è naribus*, & 3. *Proret.*55.sic habetur; *ventris quoque palpitationes cum hypocondriorum tensione sublongâ,& tumente,sanguinis indicat eruptionem*,& paulò post inquit:*Hypochondriorum tensio cum grauitate capitis,& surditate, & splendoribus sanguinem enuntiant effluxurum*:talis autem tensio critica fit propter sanguinis copiam circa præcordia congregatam,qui ibidẽ excitari incipit ad expulsionẽ;ex quâ ascendentibus sursum vaporibus simul fiunt & palpitationes,& splendores oculorum,& rubedo vultus,& alia eiusmodi signa critica. Ex dictis antè colligitur, quomodo tensio critica discernatur ab aliâ,quę est periculosa,quæ contingit ex inflammatione viscerum: nimirum quòd tensio critica sit sine dolore,alia verò cum dolore;nam,vt

inquit Galen. 3. *de Crisibus*, quòd si præcordia cum dolore tenduntur, non fluxum sanguinis futurum, sed aliquam ibi adesse inflammationem significant. Est aliud signum, quo cognosci potest, an tensio sit critica, necne; quia quæ critica est, subitò & tempore status, & cum aliis signis crisεos apparet; at quæ inflammationem ac obstructionem sequitur, lentè fit & diu durat.

Porrò quia magni momenti est scire, quid Hypochondriorum tensio in morbis significet, sciendum est duplicem obseruari hypochondriorum tensionem; vna species tensionis est, quando sentiuntur quidem præcordia esse tensa & renitentia, sed tamen non sentitur sub illis aliqua durities, aut durus tumor; talis tensio vocatur à Galen. tensio vacua, tensio submollis, & tensio sine duritie; & de tali tensione etiam agit Hippoc. *in Epidemicis* loquens de hypochondriis; & hæc tensio vt non habet coniunctum tumorem, ita etiam non habet coniunctum notabilem dolorem. Alia species tensionis est, quando sic hypochondria tensa sunt, vt verè dura sentiantur, vel sub ipsis sentiatur magna durities, ac tumor durus. Prima tensio, quæ est sine tumore potest aliquando causari à flatu præcordia contendente; aliquando à copioso sanguine circa præcordia congregato, & sursum à naturâ protruso, sicut fieri potest, quando crisis per hæmorrhagiam facienda instat, sicuti iam dictum est; vel potest etiam fieri à siccitate magnâ præcordiorum, ex quâ quædam fit tensio, quæ quodammodò est conuulsiua, quæ tensio ab Hippoc. aliquando sublimia hypochondria vocatur; tensionem talem ab eiusmodi causa fieri docet Hippoc. 1. *Prognost.* 3. his verbis: *quandoque intenduntur ilia sine inflammatione propriè dictâ, propter vehementem siccitatem non solùm in ilibus existentem, sed etiam in septo transuerso, costis, membranâ succingente, præcordiis.* Et 3. *Epid. comment.* 3. *text.* 1. *Hypochondrium*, inquit, *tenditur, vbi à septo transuerso vicinæ partes conuelluntur*; conuellitur autem septum transuersum vel propter inflammationem in pleuritide, vel propter neruos septum mouentes ardore exiccatos, vel propter ipsiusmet diaphragmatis inflammationem: fit etiam aliquando tensio ab aliquâ inflammatione in visceribus aut partibus internis latente, quæ non est ita magna, nec profundè ac in imo hypochondriorum hæret; vt si inflammatio sit in cauo hepatis, aut profundiore parte stomachi; tum enim etsi interiùs tumor & inflammatio sint, tamen exteriùs tactu non percipiuntur, sed sentitur sola tensio sine tumore: hæc tensio sine dolore & tumore non est semper tam malum signum; quia hæc tensio non necessariò indicat viscerum inflammationem, quæ in acutis est mala, sed potest indicare crisim, vt dictum est; & tunc est bona, si alia signa crisεos concurrant: vel indicat tensionem à flatu; & tunc etiam non est mala, præcipuè si alia signa indicantia flatum concurrant. Est tamen aliquando mala, præcipuè cùm indicat eiusmodi tensionem conuulsiuam, & summam à caloris intensione siccitatem. Est etiam mala ex

eo, quòd possit talem profundè latentem viscerum inflammationem indicare. Et Gal.3. *Epid. comm.2. text.5.* scribit hypochondriorum mollem renitentiam significare aliquod viscus, stomachum, hepar, aut lienem, vel diaphragma esse inflammatum. Et 1. *Epid.* de tensione Hypochondrij in Sileno agens, dicit, septi tranuersi inflammatione Hypochondriorum per continuitatem sursum trahi, & tendi sine tumore. Et 3. *Epidem.* de hâc tensione agens dicit, quòd Hypochondrium dextrum in Hermocrate tendebatur, sed sine tumore; vel quia non magna erat iecoris inflammatio, vel quia erat solùm in imâ parte eius, & necdum in gibbâ; vel quia inflammatio erat in partibus profundis. Secunda verò tensio, quæ est cum dolore & tumore interdum fit ex inflammatione musculorum abdominis, interdum à viscerum iam dictorum inflammatione & quidem magnâ, & præcipuè cum gibba iecoris est inflammata; talis tensio in acutis non est tam mala, si contingat ob musculorum inflammationem; sed si contingat ob inflammationem viscerum, tum est mala & lætalis; quia viscerum inflammatio est periculosissima: Imò Hipp. 1. *Prognost.* 39. dicit talem tensionem citam mortem indicare, præcipuè, vt inquit, *text.* 42. cùm inflammatio est magna. Vbi tamen sciendum est, quòd talis inflammatio est quidem periculosa. Sed tamen non necessariò citam mortem indicat, sed sæpe inflammatio in suppurationem solùm conuertitur, quæ etsi sæpe etiam mortem inferat, tamen nec semper, nec necessariò, nec cito: nam si talis inflammatio diu durat, & non citò mortem inferat, suppurationem minatur: sic Hipp. 2. *Prognost.* ita inquit: *Si febris tertium diem transcendat, & tumor non desistat, in suppurationem verti contingit.*

Verùm obiiciet aliquis. Hippoc.2. *Aphor.* 35. commendat hypochondrium & abdomen crassum: ergo videtur falsum hypochondria tensa & dura esse mala. Respondeo: aliud esse durum & tensum, aliud crassum & magnum. Malum est hypochondria dura esse & tensa, sed non est malum esse læta, crassa & robusta. Hippoc. autem hîc loquitur de crassitie & magnitudine, & non de duritie & tensione; sic enim inquit: *in quouis morbo partes ad vmbilicum & imum ventrem attinentes crassitudinem habere, melius est; malum verò extenuari & contabescere*; ratio est, quia partes illas contabescere indicat maximum æstum in partibus internis, ob quem partes exiccantur, consumuntur & graciliscunt. Malum etiam est eas partes, quæ origini alimenti proximæ sunt alimento destitui, & non nutriri; quid enim fiet de remotioribus, si propinquæ suo alimento destituantur? intellige autem malum esse nisi fiat à causâ manifestâ: nam si fiat ab inediâ, vigiliis, alui fluxu, tunc non est tam malum. Malum etiam est hypochondria percipi ardentia; quia magnitudinem æstus indicant. Malum si cum ardore adsit dicta tensio & dolor, & interiùs pulsatio percipiatur; tum enim longè manifestiùs in internis partibus inflammatio subesse indicatur: peius autem illa percipi in parte dextrâ, quàm sinistrâ;

nam in parte dextrâ hepatis inflammationem indicant. Malum etiam est hypochondria esse inæqualia in calore & frigore; Sic enim esse, signum est inflammationis in illâ parte, in quâ maior calor percipitur; nam nisi in vnâ inflammatio esset, non esset illa inæqualitas, sed omnia æqualiter perciperentur. *Præcordium*, inquit Hippocr. *molle esse conuenit, & doloris expers & æquale, sed inflammatum & inæqualiter se habens, aut dolens signum est*, inquit, *ægritudinis non leuis:* & ita *in Epid.* varia exempla habentur eorum, qui eiusmodi prauè affecta corpora habuere & obierunt; vt Philistæ adolescentis, qui in magno foro decumbebat, Apollonij adolescentis, Mœlibæe, Hermocratis & aliorum. *Pulsus in præcordiis aliquando prænuntiat insaniam*, hoc dicit Gal. 1. *Prognost.* 28. *Verùm oculos intueri oportet*, inquit, *qui si crebrò mouentur*, inquit, *insania est expectanda.* Ex quibus colligitur, quòd non semper talis pulsus insaniam significet, sed tunc tantùm cùm alia signa delirij etiam adsunt, inter quæ est creber oculorum motus. Idem repetitur *in Coacis prænot.* his verbis: *Pulsus in præcordio cum tumultu, mentis emotorius est, & magis si oculi frequenter moueantur:* ratio est, quia vehementis æstuosæque inflammationis signum est, ex quâ delirium est timendum. *Febres ex hypochondrij doloribus malignæ*, inquit Hyppocr. 2. *Proret.* 21. vbi *in Comment.* dicit Gal. non omnes febres ex hypochondij doloribus ortas esse malignas, sed tantùm illas quæ oriuntur ex doloribus seu inflammationibus viscerum in ipsis hypochondriis contentorum, vt diaphragmatis, lienis, &c. nam in inflammatione seu doloribus musculorũ existentium in hypochondriis non necessariò oritur febris, neque acuta neque magna. *Quibus dolor circa hypochondrium sit absque inflammatione, iis febris superueniens morbum soluit*, inquit Hippoc. 6. *Aphor.* 40. Etenim dolores hypochondrij, qui fiunt sine inflammatione, fiunt vel ab obstructione, vel flatu, vel inæquali temperie frigidâ; hæc omnia, inquit Gal. curat & dissipat febris, quare & dolores ab iis ortos; etenim febris, cùm sit calor, resoluendo & fundendo humores frigidos facientes obstructionem, curat illa; dissipat etiam & discutit flatus, & frigidam intemperiem curat. Tumor in pæcordiis durus & doloroſus pessimus est, si iuxta omnes partes fuerit; talis enim indicat citam mortem; sed vt habetur. 6. *Aph.* 7. & 2. *Proret.* 21. *qui duri & dolenets non sunt, non sunt ita periculosi.* Verum de signis à tumoribus infra latiùs suo loco.

§. XIV.

A partibus ventris.

Vesicæ duræ & dolentes omninò quidem malæ sunt, inquit Hipp. *pessimæ verò cum febre ecutinuâ*; etenim tumor cum dolore est calore circa pubem

bem indicat vesicæ inflammationem, quæ est periculosa; *soluitur autem hic morbus*, vt docet Hipp. *per vrinam purulentam cum subside ntiâ alba & leui*; ratio est, quia hoc indicat illam inflammationem in abscessu erupuisse; *quòd si verò*, inquit, *sic non soluatur, nec vesica molle scat, in primis circuitibus ægrum moriturum timor est.* Totius ventris magnus tumor sine dolore & inflammatione, nisi mulier grauida sit, indicat vel scirrhosos tumores, vel hydropis speciem cùm tumores scirrhosi sunt, venter inæqualiter durus & tensus, & hinc inde duras exstantias habet, vnâ parte quàm alterâ rariores; cùm verò est hydrops, venter æqualiter tumet ac durus est. Si venter cum tumore & duritie pulsatus sonitum edit instar tympani, & signum tympanitidis; sin autem manu super dextrâ eius parte adhibitâ, eius siniſtra pars percutiatnr, & sonitum edat instar aquæ conquassatæ, & sentiatur contra manum vndositas aquæ in ventre fluctuantis, est signum ascitidis; idque multò magis si crura sint œdematosa, aut scrotum tumidum sit ac perlucidum instar membranæ aquâ repletæ. Quid ventris rugitus indicet infra habetur. Tumores in inguinibus vel morbum gallicum vel pestem vel herniam, vel alios bubones criticos significant: at de his infra, vbi de signis à tumoribus ventris. Rugæ ac maculositas in mulieribus, eas in vtero fœtum habuisse indicant. Scrotum & genitalis adstricta, non laxa, nec pendula, nisi ab aëris frigore talia sint, in sanis indicant firmitudinem & robur; ideò ægris genitalia sic nunquam sunt adstricta, sed semper pendula & flaccida. In ægris si genitalia & testes conuelluntur dolor vehemens & mors indicatur.

§. XV.

Ab extremis partibus, & primùm ab Vnguibus.

Vnguium crassities & signum elephantiasis. Vngues excrescentes & curui sunt signum hecticæ. Sed de hic latiùs, vbi de signis ab excrementis.

§. XVI.

De Venis.

Venarum magnitudo indicat temperamentũ hepatis calidũ, teste Gal. *in arte paruâ*; paruitas verò frigidum. Vbi sciendum, quòd non sit necessariò semper verum. Nam magnitudo membrorum non est semper signum abundantiæ caloris; ratio est, quia calor non est semper causa efficiens, & non est causa efficiens principalis conformationis ac figuræ membrorũ sed facultas formatix; ideò magnitudo non pendet à calore, sed à facultate conformatrice: est equidẽ verũ, quod instrumentũ conforma

formatricis est calor & sæpe conformatrix format mẽbra maiora, quãdo calor est maior; sed effectus non semper pendet à causâ instrumentali, sed sæpe magis à principali, & sæpe proprietas conformatricis est ipsa causa per se magnitudinis & paruitatis membrorum: sic illi filij sæpe sunt magni, quorum parentes sunt magni; & filij sæpe magnum habent nasum, magnos pedes, & alia membra magna, quorum parentes illa eadem magna habuerunt siue filij frigidi sint siue calidi. Sic aliqui parentes producent filios paruos & calidos, alij filios magnos & tamen præditos temperamento frigidiore. Ex quo patet, quòd magnitudo non semper pendeat à calore, sed sæpe à naturâ & proprietate conformatricis; sicuti autem est de toto corpore, sic est de singulis partibus. Porrò etsi magnitudo venarum indicat abundantiam caloris, non indicat tamen quouis tempore & per totam vitam, sed solùm tempore conformationis; etenim potest calor in vtero ac tempore generationis fuisse magnus, & fecisse venas magnas; & potest ille calor, qui tunc fuit magnus, postea decursu ætatis fuisse diminutus; & tamen venæ permanebunt in illâ magnitudine, in quâ in primâ generatione fuerunt conformatæ: & è contrà, potuisset calor in primâ generatione fuisse debilis, & sic fecisse venas paruas; & tamen postea per ætatem, victus rationem creuisse, & tamen propter hoc venæ non fuerunt factæ maiores, sed manent, sicut in principio fuerunt factæ: sicut enim primò factæ fuerunt, ita permanent, siue temperies minuatur siue augeatur; vnde cum mutatâ temperie non mutetur magnitudo venarum, patet quòd magnitudo venarum non possit indicare super temperie aduentitiâ, sed tantùm super temperie naturali & primæuâ; atque consequenter neque natiuum super aduentitio, neque aduentitium super natiuo indicare potest. Venas esse sanguine plenas signum est caloris; paruas venas habent pingues, graciles verò magnas. Ratio est, quia in obesis venæ comprimuntur, ita vt non possint magnificari, 2. quia in obesis est paucus sanguis, cùm conuertatur in adipem; hinc venæ sunt paruæ. 3. quia in obesis venæ apparent minores, quàm sint, eo quòd tegantur multâ pinguedine & carne superiacente. Venæ in aliquibus apparent minores, quia profundiùs sub cute decurrunt. Venæ tenues & pallidæ cum pallore partium extremarum morbum virginum indicant & cachexiam.

§. XVII.

A Cruribus, Brachiis & aliis partibus.

Si causa morbifica ad externas partes feratur; ad cutem, axillas, inguina, post aures in morbis acutis, est bonum signum: sic dolores ab internis ad externa conuerti est bonum: sic tumores in brachiis, axillis, post aures, sic pustulæ, exanthemata, pruritus, scabies, &c. colores extranei apparentes sunt bonum signum; intellige si critici fiant, id est in morbi statu,

ſtatu, naturâ validâ, prægreſſis ſignis concoctionis; de quibus omnibus infra, vbi de tumoribus in morbis acutis. Externas partes frigere, vt manus, aures, &c. eſt malum ſignum; peius ſi non tantùm frigeant, ſed etiam liueſcant. 2. *Prognoſt.* 4. ſic habetur: *Si caput, pedes, frigidi ſint, ventre & coſtis calentibus, malum:* Sic Hipp. 1. *Epid. comm.* 2. *text.* 28. & *comm.* 3. *text.* 66. de Philiſco & aliis moribundis agens, dicit, quòd extrema erant frigida, ſic vt calor reuocari non poſſet. Sed de his latiùs, vbi de ſignis à corporis qualitatibus deſumptis. Manuum geſticulationes floccos capere, & muſcas abigere ſunt ſigna delirij, & conſequenter lætalia. De quibus infra, vbi de ſignis ab actionibus motus. Atque hæc ſunt ſigna à rebus naturalibus.

SECTIO II.

A Rebus non Naturalibus.

CAPVT I.

PROOEMIVM.

A Rebus non naturalibus etiam ſigna ſumuntur: res, enim non naturales ſunt cauſæ morborum, ſymptomatum & cauſarum internarum; quare etiam poſſunt eſſe ſigna eorum, ſicut ſupra dictum eſt; ſunt enim ſigna ſuorum effectuum. Cùm autem ſint cauſæ omnium rerum contra naturam, de omnibus rebus contra naturam, cauſis morbificis, ſymptomatibus poſſunt ſigna deſumi; proximè autem ac certiùs ab eis deſumuntur ſigna cauſarum morbificarum, propterea quòd ipſæ cauſas morbificas internas proximè & per ſe producant. Deſumuntur etiam ab iis ſigna morborum, ſed per accidens & mediatè, eo quòd cauſæ externæ morbos producant mediantibus cauſis internis.

§. I.

Ab Aëre.

Ad aërem referuntur regiones, anni tempora, cœli conſtitutiones, ſyderum conſtellationes, lunæ aſpectus, cometæ vrbium ædiumque ſitus, &c. à quibus omnibus ſigna deſumi poſſunt; etenim quorum illa ſunt cauſæ, eorum quoque ſunt ſigna; & ideò videndum quid regio, anni tempora, &c. cauſent, & quos effectus inducant; nam illorum etiam effe-

ctuum sunt signa ; vnde si sciatur, quomodo & quales sint causæ, scitur etiam quomodo & qualia sint signa, quorum autem effectuum & morborum sint causæ, non spectat ad simeioticen exactè tractare, sed hoc spectat ad hygieinem ; quare eò recurrendum est; nos autem hîc summariè & leuiter tantùm ab eis signa sumemus.

§. II.

A Regione.

Regiones inducunt morbos vel ratione sui temperamenti, vel ratione ciborum qui in iis crescunt, & comeduntur, vel ratione proprietatis influxus cœli in eam, vel ratione marium ac montium, qui in eis sunt.

In climatibus calidis calidi, in frigidis frigidi morbi generantur, saltem ordinariè & per se; nam aliquando etiam contrarij per accidens generantur. Aristoteles *sect.3. probl.3.* dicit, *in frigidissimis regionibus febres ardentes maximè fieri*; cuius rationem esse dicit, quia *frigiditas externa repercutit calorem ad interiora*; hoc autem fit non per se, sed per accidens. Porrò in variis regionibus peculiares aliqui morbi generantur, qui morbi solent vocari endemij seu vernaculi, quod Lucretius lib. 7. testatur, & Nicephorus *lib.15. cap.17.* dicit, vrbem Constantinopolitanam valde vexari podagrâ. Hippoc. *lib.de aëre, aquâ, & locis* dicit, Scythas ischiade ac sterilitate solere infestari. Galen. 1. *Epid.comm.2.* dicit, semitertianas febres prauas Romæ familiarissimas fuisse. Aurelianus 2. *acutorum* 10. & 1. *diuturnorum* 3. scribit, Romæ febres cũ mentis alienatione, & letharciam affectionem esse communem ; & incubem frequentem esse, & quasi contagio contrahi. Et Galen. 5. *methodi* scribit. Alexandiæ familiarem fuisse Elephantiasim. In regionibus Alpinis familiaris est bronchocele. In Hispaniâ & Syriâ strumæ. In Apuliâ icterus. In Vasconiâ lycanthropia. Florentiæ in Italia Epilepsia. Bononiæ & aliis Italiæ vrbibus cœcitas. Auenzoar *lib.2. theisir, tract.2. cap.* 2. dicit, in Mauritaniâ familiares esse dracunculos in tibiis genitos; quod mihi etiam retulit quidam cognatus meus, qui ex illis partibus reuersus laborabat verme in brachio, & dicebat ferè omnes homines ibi esse eidem morbo obnoxios. Polonis familiaris ac proprius est quidam morbus, qui vocatur plica, in quo oriuntur in corpore tumores, qui suppurati & aperti emittunt simul cum sordibus infinitam multitudinem pediculorum, & in quo momento temporis omnes totius corporis pili ita sibi mutuò implicantur, & fœtido vapore è corporis poris erumpente ita sibi mutuò conglutinantur, vt extricari non possint ; & barba non pilos sed quasi serpentes refert ; qui si abscinduntur, breui post mors sequitur: quapropter in illis locis magis semper magisque illis morbis est metuendum, cùm vel minima signa apparent, quàm in aliis.

§. III.

§. III.

Ab anni tempore.

Anni tempora duobus modis morbos causant, vno modo per se & ex naturâ suâ & ratione sui proprij temperamenti : secundo modo per accidens, idque tripliciter : vel sc. ratione tempestatum, quæ in eis contingunt, vel ratione ciborum, qui in eis comeduntur, vel ratione exercitiorum, quæ in eis vigent, vel etiam ratione humorum, qui in præcedentibus anni temporibus fuerunt generati; & sic ex accidenti à sequenti anni tempore excipiuntur, & in ipsis mouentur, & morbos faciunt. Hipp. 3. *Aphor.* 19. sic inquit ; *Morbi omnes in omnibus temporibus fiunt, quidam verò magis in quibusdam ipsorum fiunt & exacerbantur.* 3. *Aphor.* 20. inquit : *Vere furores & atræ biles, & morbi comitiales, & profluuia sanguinis, & grauedines & raucedines, & lepræ, & tusses, & impetigines & vitiligines & pustulæ vlcerosæ plurimæ & tubercula & articulorum dolores.* Ex his morbis aliqui fiunt ex propriâ naturâ veris, & per se ab ipso vere producuntur, & vocantur verni ac vernales; & tales sunt illi, qui fiunt à sanguine; idque vel ab ipsâ sanguinis quantitate, vel sanguinis motu; vt tumores, anginæ, sanguinis profluuia, &c. nam cum ver sit calidum & humidum, sanguinem multiplicat, & calore suo fundit, & agitat eum. Aliqui verò illorum morborum fiunt in vere per accidens, non quatenus ver illos humores generat, ex quibus illi morbi fiunt, sed quatenus à præcedentibus anni temporibus generatos humores excipit, eosque calore suo fundit & agitat; nam ex prædictis morbis multi fiunt à pituitâ & melancholiâ, quæ in vere non generantur, sed in aliis temporibus ipsum ver præcedentibus, ac inde in corpore vsque ad ver remanserunt, & tum temporis incipiunt agitari & moueri, & sic tunc primùm morbos faciunt qui morbi reuerà non sunt vernales, sed tantùm per accidens in vere fiunt ; sunt verni igitur non generatione materiæ, sed materiæ motu ; sic & melancholiæ & morbi gallici verno tempore recurrunt & exasperantur, cùm tamen non magis in vere quàm in aliis temporibus generentur, quapropter videndum est, qui morbi cuique anni tempori sint proprij. De quibus ordine.

§. IV.

Morbi æstatis siue æstiui.

Tertio Aphor. 21. Sic loquitur Hipp. de morbis æstatis, *Æstate nonnullæ horum & febres continuæ, & ardentes, & tertianæ, & quartanæ & vomitus, & alui profluuia, & lippitudines oculorum, & aurium dolores, & oris exulcerationes, & genitalium putredines, & sudamina.* In æstate morbi calidi, & morbi omnes ex bile generantur, & humores à calore externo in cutem

rapiuntur. Itaque ex prædictis morbi omnes, qui ex bile generantur, sunt propriè æstiui & æstati proprij; vt sunt furores, pleuritides, febres tertianæ, &c. nonnulli alij per accidens generantur: quartanæ fiunt, cùm bilis multa aut melancholia in corpore iam ante præexistente aduritur; Vomitus à bile sursum motâ, albi profluuia ob cibos & fructus multos, qui æstate comeduntur; tum etiam propter bilis multiplicationem, quæ ad intestina expellitur; & sic de aliis.

§. V.

Morbi Autumnales.

Aphor.22. sect.3. Sic ait Hippoc. *Autumno verò & plurimi æstiui morbi fiunt, & febres, quartanæ & erraticæ, & aquæ intercutes, & tabes, & stillicidia vrinæ, & difficultates intestinorum, & coxendicum dolores, & anginæ & anhelationes, ilei, & morbi comitiales, & furores, & atræ biles,* Et 3. *Aphor.*10. dicit, quòd *autumnus sit tabidis malus*; Autumnus ergo bilioſum in corpore à prægressâ æstate collectum humorem reperiens suâ frigiditate crescente morbos excitat materiâ quidem æstiuos, sed motu tamen autumnales: Externum enim frigus bilem difflari prohibet, quo fit, quòd in corpore retenta morbos inferat, quos hîc enarrat Hippoc. At verò si propriam autumni naturam spectes, non bilioſos sed melancholicos morbos causat; autumnus enim recipiens aërem & corpora iam ab æstate facta sicciora, & in eâ frigus superinducens, mirum non est, quòd melancholia, quæ est frigida & sicca, multiplicetur.

§. VI.

Morbi hyemales.

Porrò 23. *Aphor. sect.3.* Sic inquit; *hyeme morbi laterales & pulmonis inflammationes, & grauedines, & raucedines, tusses, dolores pectoris & laterum ac lumborum, capitis dolores, vertigines, & apoplexiæ.* Rationem verò cur hyeme frigido anni tempore, morbi laterales, & pulmonis inflammationes fiant, dicit Galen. esse, tum quia pulmo frigore offenditur, tum quia humores frigore exprimuntur è cerebro, qui in pulmonem dilabuntur. Et hæc de affectibus anni temporis ex propriâ naturâ.

§. VII.

De Accidentalibus anni Constitutionibus.

De accidentalibus anni constitutionibus sic loquitur Hipp.3. *Aph.7. In siccitatibus febres acutæ fiunt, & qualis annii constitutio fuerit, tales plurimum*

rimùm morbos expectare oportet: siccitas autem febres non inducit. Sed febres quæ in siccâ temporis constitutione ex aliâ causâ fiunt, propter siccitatem redduntur acutiores. 3. *Aphor.*17. sic inquit; *ex anni constitutionibus siccitates imbribus sunt salubriores & minùs mortiferæ.* Et *Aph. præcedenti* inquit: *in pluuiarum multitudine plerúmque fiunt febres longæ, alui profluuia, putredines, morbi comitiales, apoplexiæ, & anginæ. In siccitatibus, tabes, lippitudines, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, intestinorum difficultates.* Et *eod. lib.*7. *Aphor.*8. *in constantibus temporibus morbi constantes & boni iudicij: in inconstantibus contra.* Et *Aphor.*4. *in temporibus, quando eadem die modò calor, modò frigus sunt, oportet expectare morbos autumnales.*

Porrò & comparatio & successio temporum inter se etiam peculiares morbos faciunt. *Aphor.*11. *lib.*3. sic habetur: *Si hyems sicca & aquilonia fuerit, ver autem pluuiosum ac australe, necesse est æstate febres acutas fieri, & lippitudines, & dysenterias, præsertim verò mulieribus atque viris humidioribus*; ratio est, quia veris pluuiosa & australis constitutio pituitosos humores multiplicat, qui & morâ putredinem, & æstatis calore acrimoniam nacti, facilè febres acutas in æstate, lippitudines & dysenterias inducunt, maximè verò iis, qui superfluitatibus excipiendis sunt aptiores; quales sunt mulieres & viri pituitosiores. *Aphor.*12. sic inquit, *Si verò hyems australis, & pluuiosa, & clemens fuerit, ver autem siccum & aquilonium, mulieres quibus partus ad ver instat, & quacunque occasione abortiunt; quæ verò pariunt, pariunt infantes imbecillos, & morbidos, quare vel statim intereunt, vel tenues ac valetudinariè viuunt. Cæteris verò hominibus dysenteriæ & lippitudines siccæ fiunt, senioribus autem destillationes, quæ citò interimunt*; Ratio est, quia in hyeme collecta est in corporibus pituita; ver eam excipiens suo calore destillationes excitat; caput autem austrino hyemis statu repletum, si veris frigore comprimatur, destillationes producit. 3. *Aphor.*13. sic inquit; *Si verò æstas sicca & aquilonia fuerit autumnus verò pluuiosus & australis, dolores capitis ad hyemem fiunt, & tusses, raucedines & grauedines; quibusdam autem & tabes*; ratio est, quia in hoc casu hyems eosdem exhibit humores, quos priùs æstas à vere exceperat sc. pituitosos: at quando æstas eos recepit à vere, putredine & acrimoniâ ab æstate acquisitis, fecerunt febres dysenterias, &c. at verò quando hyems eosdem recipit ab autumno pluuioso & australi, tunc ab hyeme ipsi non fiunt putridi, sed tales manent, & sic destillando faciunt tusses, grauedines & raucedines; quatenus hyemis frigus caput humoribus plenum comprimens, destillationes mouet. *Aph.* verò 14. sic inquit; *si verò autumnus aquilonius fuerit & siccus, iis qui naturam habent humidiorem & mulieribus conferet; reliquis verò fient lippitudines siccæ & febres acutæ, & grauedines, nonnullis verò & atræ biles.*

Sic proponitur æstas aquilonia & sicca, & autumnus pariter talis; quòd autem hic autumnus frigidus & siccus febres ardentes, grauedines, lippitudines siccas, & atras biles excitare dicatur,

id ei per accidens adscribendum est, si sc. Corpus aliquod in hoc aëris statu bile refertum fuerit. Porrò longas febres in autumno fieri rationi consentaneum est, eo quòd in autumno melancholia multiplicetur; febres autem ex melancholiâ sunt diuturnæ. Quæ anni constitutiones quos morbos inferant ac prænuncient, vide apud Hipp. *in Epid.* & *lib. de aëre, aquâ & loc.* & apud Aristotelem *sect. 1. problem. à problemate 8. vsque ad 15.*

§. VIII.

A Constellationibus Syderum.

Solstitia & aquinoctia, magnas, vt inquit Hippoc. *libro de aëre, aquâ & loc. in corporibus faciunt mutationes.* Cometarum apparitio morbos, aëris corruptelam, & prauam prænuntiat constitutionem: hic cometæ prægressi inter pestis futuræ signa ponuntur. Nam, inquit Porphyrius, Cometa si ad aquilonem tendit, siccitates; si ad occasum, bonam aëris constitutionem; si ad ortum, pestem, luem & tabem prænuntiat. Ratio cur cometæ malum prænuntiant, est, quia ipsi ex prauis & pinguibus in aërem eleuatis exhalatibus, ibidemque inflammatis generantur: hinc colligitur aërem ab illis exhalationibus infici ac impurum reddi, ac proinde ab eo humana corpora infectum iri. Porrò, quia illæ in aëre inflammantur, fit vt aëri quoque feruor ille & inflammatio communicentur, quæ in corporibus hominum etiam ardores ac malignas febres excitant.

§. IX.

A Lunæ ætate.

Aëtius *lib. 1. Tetrabili sermone 3. capite 162.* dicit, quod *primus septenarius à nouilunio vsque ad diem 7. sit similis veri: secundus vsque ad plenilunium æstati, tertius autumno, quartus hyemi.* Ex quo sequeretur, quòd similes morbi ab illis causarentur, quales ab illis temporibus anni causari solent. Aliqui dicunt tunc temporis mala exacerbari & periculosiora esse, quando luna est in signis illis membris respondentibus, in quibus ipsa mala seu morbi subiectantur; dicunt autem arietem respondere capiti, & quando luna est in ariete, tunc lunam esse in capite, id est, tunc lunam determinatè agere in caput. Taurum respondere collo; quia tauri habent crassum collum. Geminos respondere humeris & brachiis; quia brachia sunt gemina. Cancrum scapulis & costis; quia costæ sunt sicut pedes cancrorum. Leonem cordi & ventriculo; quia leo est valdè vorax & animosus. Virginem ventri, Libram pudendis, vesicæ, ano. Capricornum genibus. Aquarium cruribus. Pisces pedibus. Et cùm Luna

est

est in illis signis, tum illam in eas partes magis influere ac operari, proinde vetant medici astrologici, ne tunc in illis membris aliquæ vstiones, sectiones, phlebotomiæ fiant, aut in illis per aliqua remedia mutationes. Verùm hæc nihili sunt facienda, & sunt figmenta vanorum hominum, quæ à doctis medicis contemnuntur; etenim illa signa cœlestia nullam habent cum partibus corporis nostri sympathiam; neque enim maiorem habet Aries sympathiam cum capite, quàm cum cruribus; Leo cum corde, quàm cum vesicâ: nec Luna hoc tempore magis in vnam determinatam partem agit, quam in aliam, sed in totum corpus æqualiter & quouis tempore agit; quia est causa vniuersalis emittens vim vniuersalem in omnia corpora subiecta receptiua actiones eius; sicut enim Sol hoc die non calefacit hanc partem hominis, alio die aliam, sed quouis die & tempore omnes partes æqualiter, ita & Luna agit in omnes partes corporis æqualiter, & quouis tempore. Est equidem verùm, quòd Luna magis agat in vnam partem quàm in aliam; quia sc. vna est magis receptiua eius actionis, quàm alia, nempe magis agit in cerebrum, medullam, sanguinem, quàm in partes sicciores; quia Luna dominatur humiditatibus, illæ autem partes sunt humidæ; sed tamen non magis agit in eas existens in vno signo, quàm in alio: Interim tamen secundum Lunæ quadras constat corpora nostra nonnihil mutari, & Lunam tunc in corpora nostra non paruam habere actiuitatem. Lunâ crescente ossium medullæ implentur, cerebrum augetur, humiditates in corpore augentur, mutantur, agitantur & mouentur: sic menstruorum purgatio à Lunæ motu dependet: vnde versiculus.

Luna vetus vetulas, Iuuenes noua luna repurgat.

Crescẽte ac plenâ Lunâ morbi omnes à multitudine humorum, præcipuè sanguinis ac pituitæ, quæ humida est, generantur, augentur, & exacerbantur: Sic hydropici peius habent lunâ crescente, & tum in anasarcâ crura magis fiũt œdematosa: sic & apoplexia, & angina, & lethargus, & asthma, & epilepsia, & paralysis crescente lunâ magis fiunt & augentur. Morbus melancholicus etiam lunæ motum sequitur, ideò melancholici solent vocari lunatici: luna enim crescens & plena magis humectat, quàm decrescens & vacua: plena etiam magis calefacit, ideò humores fundit; sic & humores humiditate suâ multiplicando & calore suo fundendo eiusmodi morbos causat. At morbi, qui à siccitate contingunt, augentur lunâ decrescente: sic senes, hectici, &c. magis deficiunt Lunâ decrescente.

Quæritur, quâ lunæ constitutione homines magis moriantur? Plinius ex sententiâ Aristotelis 2. *histor.* 98. dicit, nullum animal in Oceano Gallico, nisi mari decrescente, exspirare; ex quo sequitur quòd moriantur luna à Meridiano descendente ad Horizontem; nam maris motus Lunæ motum sequitur. Pro cuius responsione dico: Lunam humectare & calefacere: calor autem eius est viuificus; nam calor eius sequitur lumen; lumen eius est à sole; ergo & calor eius est à sole; solis calor est

viuificus

viuificus, ergo & Lunæ: & consequenter, quò luna est plenior, eò magis calefacit, & quidem calore viuifico; ex quo sequitur, quòd lunâ crescente res minùs moriantur, quia augetur calor viuificus; decrescente verò moriantur, quia calor ille viuificus minuitur: quod quidem intelligendum est, quantum est ex parte caloris eius; sed quia luna non tantùm calefacit, sed etiam humectat, ideò aliquando contingit, quòd etsi suâ calefactione vitam conseruet, suâ tamen humiditate eandem destruat. Sicut autem Luna maximè calefacit, dum crescit ac plena est, sic etiam magis humectat, cùm crescit ac plena est; & ideò ad bene iudicandum vtendum est distinctione: ex morbis, qui fiunt à nimiâ humiditate & plenitudine nimiâ humorum, præcipuè sanguinis, pituitæ & serositatis, magis moriuntur homines lunâ crescente: ex morbis autem à siccitate, vt hecticâ, phthisi, &c. magis moriuntur lunâ decrescente.

Cap. II.

Signa à quinque reliquis rebus non naturalibus.

§. I.

A Cibo & Potu.

Hippoc. 2. *Aphor.* 17. Sic inquit, *vbi cibus præter naturam plus ingestus est, is morbum facit,* & *Aphor.* 45. *lib.* 4. Sic inquit, *quibus tubernacula, vel in articulis dolores fiunt, ij pluribus vtuntur cibis.* Quibus verbis colligitur, quòd plenitudo cibi causet tubercula in articulis, & articulorum dolores. Hunc Aphorismum intelligit Galen. de conualescentibus; sed neque de solis, neque de omnibus est intelligendus: nam conualescentibus & sanis sæpe fiunt ibi tumores ob alias causas, ob partium scilicet debilitatem, & naturæ robur eò humorum reliquias expellentis. Porrò, qui calidissimis semper vinis vtuntur & crapulosi sunt, primùm in hepatis intemperiem calidam, in faciei pustulas & rubores; inde in podagram, paralysim, apoplexiam, cachexiam, hydropem & phthisim frequenter incidunt. Vina Rhenana peculiari facultate putantur podagram facere: aquæ potus non assuetis, & quibus hepar & ventriculus imbecilla sunt, lienteriam ac hydropem, & dictorum viscerum magnam imbecillitatem inducunt, & præsagiunt. Qui aquis salsis & nitrosis vtuntur, facilè dysenteriâ corripiuntur. Qui aquas niuosas bibunt, vt in quibusdam regionibus, in herniam gutturis incidunt. Qui aquas bibunt lutosas, & per argillam fluentes, calculo frequenter & omni genere obstructionum laborant; quia illi aquæ terrestres partes ac etiam viscosæ plurimæ permiscentur. Qui aquis cisternarum vtuntur,

vtuntur, obstructionibus quoque, & ventris constipationi sunt obnoxij, propter vim adstringendi, quam aqua illa recipit à rubrica fabrili, quâ in variis regionibus cisternæ solent obduci. Idem patiuntur, qui bibunt aquas per fictiles canales fluentes, præsertim quando illi adhuc sunt recentes. Galen. asserit aquas per plumbeos canales fluentes dysenteriam inducere, propterea quòd talis aqua cerussam à plumbo abluat. Qui potu ex pomis & pyris facto vtuntur, vt in Heluetiâ, Germaniâ & aliis regionibus frequens vsus est, œdemata, dolores colicos, morbosque ex pituitâ & flatu contrahunt. In Bauariâ & vicinis regionibus vt Austriâ, vbi vtuntur vinis Tirolensibus, primò in colicam, à colicâ in paralysim incidunt; quod ibi ita frequens est, vt in vnâ Abbatiâ aliquando viderim 20. paralyticos ex illâ causâ sic affectos. Vbi homines solent vesci leguminibus, carnibus ac piscibus salitis ac infumatis, vino generoso, aliis, cæpis, porro, sinapi, cancro & elephantiasi solent infestari. Ad eos etiam disponunt carnes venaticæ, gallorum Indicorum, pauonum, auium supra mare volantium & in eo degentium, vt anatum, anserum, &c. Multi venatores elephantiaci euadunt ex ceruinæ carnis frequenti vsu; Inquit Galen. 2. *de nat. hum. cap. 9. qui leguminibus vescebantur, iis crura debilitabantur:* legumina enim & pisces flatus & cruditates gignunt, ventrem distendunt, calculculum generant, & cruditatibus illis ad articulos propulsis podagram inferunt. Qui cerasis aut fungis plurimum vtuntur, (intellige cerasa nigra & immatura) anginâ solent infestari: qui persicis lippitudinem; qui ficubus, scabiem persæpè acquirunt; qui nucibus, amygdalis, pineis, cephalalgiâ, ventriculi dolore & subuersione infestantur: Qui sale, caseo, lacticiniis, pane azymo seu non salito nec fermentato, calculo ac nephritide. Quo anno frequentiora sunt cotonea, mespila, nuces, & adstringentia omnia, eo dysenteriæ magis fiunt ac ventris fluxus; propterea scilicet quòd in corporibus diu retenta putredinem & acrimoniam acquirant. Pueri voraces, cibos malè masticantes, carnes multas comedentes, vermibus laborant. Puellæ picâ laborantes, quæ gingibere, caryophyllis, pipere, vel frumento ac lateribus vescuntur, in obstructionem, cachexiam, ac hydropem incidunt.

§. II.

A Motu & Quiete.

Otiosam vitam agentes cruditatibus ac obstructionibus laborant, pituitam multam coaceruant, & morbis omnibus ex pituitâ obnoxij sunt. Qui lautè viuunt & in otio versantur, facilè corporis obesitatem contrahunt; ita videmus omnia animalia in otio ac quiete detenta saginari ac corporis molem adipisci. Studiosi ac sedentariam vitam agentes catarrhis, calculo ac cerebri debilitate, & morbis oculorum sæpe infe-

stantur. Exercitia nimia pariunt lassitudines, virium dissolutiones, febres, & multos alios morbos, propter partium attritionem & humorum agitationem: *Silenum*, inquit Hippoc. 1. *Epid. comm.* 8. *text.* 19. *ex lassitudine, potationibus & exercitationibus intempestiuis ignis corripuit.* Exercitia nimia in corpore cacochymico & cruditatibus referto, præsertim post assumptum cibum, cruditates, obstructiones & humorum putredinem inferunt; humores enim sic agitati in angustissimas vias rapiuntur, vnde obstructiones; & in stomacho cibus nec concoctus diffluit; vnde cruditates, ex quibus putredines. Nimia exercitia in aëre calidissimo sanguinis eruptiones & acutas febres causant. Quibus sanguis rarescit & inflammatur, si post calorem bibunt, vel vento frigido se exponunt, aut in aquâ frigidâ natent febres putridas, anginam, pleuritidem, &c. persæpe contrahunt. Exercitia in frigido & humido aëre catarrhos & grauedines inferunt; equitationes ac violentæ saltationes, ancurismata, rupturas, & sanguinis eruptiones causant. Hipp. *lib. de aëre, aquâ & locis* dicit, *Scythas multos esse arthriticos, & ad venerem impotentes propter equitationem.* Concionatores & religiosi altâ voce cantantes sanguinis eruptione & herniâ solent infestari: hinc infiniti concionatores sunt, qui herniâ laborant. Genibus nudis super frigidis lapidibus frequenter in templo flectentes, flaccidos & aquosos tumores in genibus acquirunt. Plumbifusores aphoniâ & vocis abolitione vexantur. *Laniones & Coriarij*, inquit Rondeletius, *qui morticinia tractant, carbone non pestilente facilè capiuntur.* Pannorũ infectores in phthisim incidunt; acupictores in vitia oculorum; typorum fusores in tremorem, paralysim, & vultus decolorationem cadunt. In mari nauigantes & in indicam proficiscentes plerumque Scorbutus inuadit. *Iuuenibus*, inquit Hippoc. 1. *Epid.* 5. *text.* 19. *propter intermissos labores consuetos puris expuitio & mixtio cruenta deiectionésque accidunt.* Sed dicit Gal. *in comm.* per puris expuitionem & mixtionem non verum pus sed pituitam esse intelligendam; alioqui Hippocratis sententiam veritate carere; certum autem est ob defectum exercitij corpora reddi pituitosa, & phlegmata plura expui, & vrinam emingi cum sedimento magis crasso & pituitoso. Qui in pratis supra dorsum decumbunt, ac supra terram dormiunt, spinæ dorsi ac neruorum refrigerationem contrahunt, & malis quæ inde oriri possunt, exponuntur. Venatores sæpe melancholicis morbis corripiuntur, vt supra dictum est, quia venaticis ac ceruinis carnibus frequenter vtuntur.

§. III.

A somno & Vigiliâ.

Qui somno meridiano sese dedunt, in capitis frigiditatem ac debilitatem incurrunt, & capitis doloribus catarrhis, apoplexiæ, aliisque cerebri affectibus sunt obnoxij; caput enim impletur vaporibus, si cibi sumptio

sumptionem mox somnus excipiat. Somnolentia indicat cerebri frigiditatem & humiditatem. Somnolentia in senibus & somnus cum stertore, indicat procliuitatem ad apoplexiam. *Somnus in quo morbo laborem facit*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 1. *lethalis est*; si verò iuuat lætalis non est. *Somnus vigilia, si modum excesserint*, inquit Hipp. 2. *Aphor.* 3. *malum.* Verùm de signis à somno & vigiliis latiùs, vbi de signis ab actionibus animalibus.

§. IV.

De Euacuatione & Inanitione.

Qui aluo lubricâ sunt, à variis malis præseruantur, qui adstrictâ in dolores colicos, iliacos, venarum meseraicarum, hepatis, folliculi fellis, & aliarum partium obstructiones incidunt. Alui lubricitas humiditatem, vel frigidam totius, saltem hepatis complexionem indicat; durities siccitatem & calorem. Menstruorum retentio febres, morbum virgineum inappetentiam, difficultatem respirandi, palpitationes, cachexiam, &c. inducit. Immodicus fluxus atrophiam ac hydropem minatur, & sterilitatem inducit. Retentia subita menstruorum in muliere virum expertâ sine alio morbo, est præcipuum indicium conceptionis. Qui liberaliter emungunt plerumque à capitis doloribus, vertigine ac catarrhis liberi sunt: Qui verò nares siccas habent, prædictis morbis magis obnoxij sunt; & si senes sunt, apoplexiam plus aliis metuere debent. Qui frequenter sanguinem è naribus emittunt, phthisim metuere debent, quia in talibus sanguis sursum fertur; ideò fit, quòd aliquando venis narium obturatis sanguis ad pulmonem feratur, & eius venas oppleat, ac quantitate suâ orificia relaxet, & inde sputum sanguinis sequatur; sputum verò sanguinis plerumque phthisis excipit. Si hæmorrhagia magna est ac diuturna, in cachexiam & hydropem fit lapsus. Hęmorrhoïdes à morbis melancholicis ac lienis affectibus liberant. Sagacitas melancholicam complexionem indicat; qui sagaces sunt, plerumque vitæ sunt breuioris; neque enim hæc opinio solùm est medicorum, sed & vulgi.

§. V.

Ab Animi affectibus.

Metus & tristitia diu durans, melancholicum est, inquit Hipp. id est, melancholicum morbum minatur.

Ex animi affectibus naturalis complexio cognoscitur: Iracũdi sunt calidi; timidi, frigidi & sicci. Hinc qui iracundi sunt, in febres ac alios morbos calidos incidunt; timidi ac tristes in frigidos. Subitus terror facit abortum; fœtum signaturas, & non raro perpetuum vultus pallorem, ac

perpetuam cordis palpitationem. Nonnulli ex magno metu incidunt in Epilepsiam, alij in pestem, alij in subitam canitiem, alij etiam derepentè moriuntur. Ira mala latentia & sopita excitat, humores agitat & mouet, cordis palpitationem, sanguinis inflammationem, hæmorrhagiam, fluxum menstruorum ac calidas febres excitat; in sanguineis etiam sæpe causat apoplexiam, præcipuè illam, quæ à carotidum arteriarum propter multum crassumque sanguinem obstructione causatur; ab irâ enim sanguis ad caput fertur; hinc irati inflammantur in vultu & toruitatem acquirunt aspectus. Tristitia ossa exiccat, atrophiam & hecticam facit, & vultus pallorem; & coniuncta morbis longis eos reddit periculosos & lætales.

SECTIO III.

Signa à Rebus contra naturam, & primùm, à causis morbificis.

CAPVT I.

A Causis morbificis etiam signa desumuntur. Res non naturales sunt causæ externæ: quomodo ab iis signa desumantur iam ostensum est. Porrò à causis internis quando cognitæ sunt, etiam desumuntur signa.

Pituitosi in obstructiones, frigidos morbos, catharrhos, febres quotidianas, & morbos longos proni sunt.

Sanguinei in febres synochas, hæmorrhagias, peripneumoniam, anginam, pleuritidem & phlegmonarum omnia genera, ac morbos à sanguine ortos facilè incidunt.

Melancholici in hæmorrhoides, lienis duritiem & obstructiones, quartanam, cancrum, elephantiasim, scirrhos, scorbutum, melancholiam, &c.

Cholerici in icterum, tertianam, dysenteriam, phrenitidem, crisipelata, herpetes causones, &c.

A pituitâ morbi sunt longiores, à bile & sanguine breuiores. Morbi à calidis causis plerumque sunt periculosiores iis, qui à causis frigidis fiunt. Morbi à pituita & melancholiâ lentè magis soluuntur; Morbi verò à sanguine & bile magis per crisim ac subitam euacuationem. Morbi à pluribus & contrariis causis interdum sunt peiores; cùm contrarias exigant indicationes; interdum verò leuiores, quòd se mutuò retundant & ad mediocritatem reducant.

CAP.

CAP. II.

A Morbis.

A Morbis varia signorum genera desumuntur; anamnestica, diagnostica, & prognostica. Anamnestica, quia à morbo causæ tùm internæ tum externæ cognoscuntur: sic synochus sanguinem, tertiana bilem, quartana melancholiam, œdemata pituitam, scirrhi melancholiam, erisipelata & herpetes bilem indicant.

A morbo etiam temperamenta cognoscuntur: sic qui sæpe morbis ex bile corripiuntur, bilioſi: qui morbi ex sanguine, sanguinei esse iudicantur. Ex morborum paroxysmis & duratione etiam causa morbifica cognoscitur: morbi breues tenuem & crudum humorem indicant; longi & pertinaces lentum & humidum, sc. melancholicum & pituitosum: Insultus tertianarij bilem, quotidiani pituitam indicant.

Desumuntur etiam signa diagnostica; nam vbi à parte affectâ sæpè morbi, ita è contrà, pars affecta à morbo cognoscitur: sic ex ictero folliculus fellis, ex calculo renes, ex scorbuto lien, ex febribus intermittentibus vel affectum esse habitum corporis, vel paruas venas, vel viscera ipsa: ex continuis venas maiores & cordi vicinas.

Desumuntur etiam signa prognostica; nam ex vno morbo præsente cognoscitur sæpe quis alius morbus sit secuturus. Cognoscitur etiam quantum periculum immineat, quis exitus morbi futurus, quàm diu duraturus: Sic morbi magni, morbi multi, morbi naturâ suâ lætales, morbi principem aliquam partem occupantes, &c. periculum minantur, contrarij contrà: sic febres ardentes, anginæ, pleuritides, apoplexia, cancer, pestis, hydrops, periculum ostendunt. *In morbis minùs periclitantur*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 34. *quorum natura, ætati, anni tempori morbus congruit.* In acutis morbis, & maximè malignis incertæ sunt prædictiones; nam occulti morbi malignâ suâ vi statim cor spiritusque petunt, & sæpe qui omnibus functionibus sani apparent, breui sine causâ manifestâ moriuntur; hinc morbi mali moris & maligni sunt periculosiores aliis; quia sc. occultâ & venenatâ qualitate agunt, vt patet in peste. Epidemici morbi sunt periculosi; quia peculiarem ferè habent malignitatem coniunctam; sic pleuritides epidemicæ ferè pestilentiales, & semper sunt aliis lætaliores. Morbi acuti sunt difficilioris curationis diuturnis: hinc Celsus *lib.* 3. *cap.* 1. dicit, magis condonandum esse medico, qui non potest acutos morbos curare, quàm qui non potest diuturnos; ratio est, quia in acutis præcipites sunt occasiones & mutationes, quas qui non aduertit, non potest commissum errorem posteà resarcire; in longis verò potest. In morbis naturâ suâ longis faciliùs curantur recentes

quàm inueterati. Morbi continui sunt periculosiores iis, qui per accessiones inuadunt; nam in illis natura à grauamine morbi non potest respirare ac vires resumere, in his potest. Simplices morbi sunt leuiores compositis. Morbi ordinati & constantes leuiores sunt inordinatis. Morbi per protapathiam sunt difficiliores iis, qui per sympathiam fiunt.

A morbo etiam sumuntur signa longitudinis ac durationis; Morbi, qui citò crescunt, & statim maxima habent symptomata, & citò ad statum perueniunt, non sunt diu duraturi; contrà, qui lentè mouentur. Morbi multi simul si sunt lætales, vitam abbreuiant; si salutares mortem prolongant. Morbi periculosi in partibus nobilibus breuiores sunt, in ignobilibus longiores. Frigidi sunt longiores, calidi breuiores. Morbi qui suâ naturâ sunt breues breuem semper durationem prænunciant; qui verò naturâ longi, contrà: Sic causones, febres ardentes, pestes, anginæ, & inflammationes internæ sunt breues; contrà cancer, elephantiasis, phthisis, hydrops, quartana, podagra sunt morbi longi.

A morbo etiam colligitur modus exitus morbi; aliqui enim morbi ex naturâ suâ per crisim soluuntur, alij non: frigidi morbi finiuntur per simplicem solutionem; acuti per crisim, præcipuè in regionibus calidis. Morbi venosi generis ac à putredine orti sæpe per crisim terminantur, morbi partium externarum minimè. Tertianæ, synochi, febres ardentes, ac malignæ sæpe per crisim soluuntur, intermittentes, vt podagra, scabies, elephantiasis, paralysis, morbi sunt naturâ suâ tales, vt per crisim non soluantur.

A Morbo etiam cognoscitur, qualis sit futura crisis; nam alij morbi hâc, ac aliâ crisi soluuntur. Item ex morbis præsentibus alij morbi futuri colliguntur; ex tinnitu aurium surditas; ex suffusione cataracta ac cæcitas; ex vertigine apoplexia & epilepsia; ex partis stupore ac frigiditate paralysis; à sputo sanguinis phthisis; ex phrenitide aliquando lethargus; ex febre erraticâ quartana; à diarrhæâ biliosâ dysenteriæ; ab herniâ inguinum hernia scroti; à pleuritide non purgatâ peripneumonia; à peripneumoniâ ac anginâ phthisis; à febris acutis febris hectica; à febre pallidâ cachexia, hydrops; ex scirrho hepatis ac lienis ascites; à diuturnâ cordis palpitatione hectica; à longo fluxu muliebri seu albis mensibus vlcus vteri; A gonorrhæâ virulentâ carnositas penis; à non virulenta emaciatio & atrophia; à diuturnis lachrymis epiphora, ophtalmia & egylops sunt metuenda. Conuulsio & paralysis persæpe colicis doloribus superuenit, materiâ ab intestinis ad neruos transmissâ; quartana tertianæ, cùm humor biliosus à calore nimio fuit adustus & torrefactus. De his plurimi sunt apud Hipp. aphorismi & aliæ passim sententiæ. *Quicumque pleuritide laborantes in 14. diebus non purgantur, ij ad suppurationem vertuntur*, inquit Hipp. 5. *Aphor.* 8. & 5. *Aphor.* 10. *quibuscunque anginâ laborantibus ad pulmonem vertitur, illi in diebus septem pereunt; si verò hos effugerint, suppurantur*; & 5. *Aphor.* 15. *quicunque ex morbo laterali suppurantur, si in 40. diebus fuerint purgati liberantur; si verò non, in tabem transeunt* & 7.

Aphor.

*Aphor.*11. *à morbo laterali pulmonis inflammatio malum est* & 6. *Aph.*8. *lienosis difficultas intestinorum superueniens bonum est.* Et *Aph.*43. *quicunque lienosi à difficultate intestinorum capiuntur, si diu durauerit, aqua intercus aut leuitas intestinorum aduenit, & moriuntur.*5. *Aphor.*72. *qui regio morbo laborant, non multùm ventosi fiunt*; ratio est quia ille morbus fit à bile 6. *Aphor.*33. sic inquit, *qui acidum eructat non valde morbo laterali corripitur*; ratio est contraria, quia acidus ructus fit à ventriculi frigiditate & copiâ pituitæ, pleuritis *verò fit à bile* 6. *Aph.*34. sic ait; *quicunque calui fiunt, iis magni varices non fiunt; quibus verò caluis magni varices fiunt, iis rursus capillitium crescit*; ratio est quia caluities aliquando fit à melancholicis humoribus sub capitis cute detentis, cùm autem varices superueniunt, signum est eos ad crura deriuari.5. *Aph.*65. *quibus tumores in vlceribus apparent, maximè non conuelluntur neque insaniunt*: Ratio Hipp. est, quia vbi vlcera sunt, eò natura frequenter omnes humores protrudit; hinc in vlceribus aliquando fiunt tumores; quibus autem fiunt, iis neque insania, neque conuulsio fit, neque alij morbi, quia, inquam humores ad tumores & vlcera conuertuntur; at si tumores iam facti subitò dispareant, & fuerint ad partes posteriores conuersi conuulsio fieri potest, humoribus scilicet in spinam transmissis; & si humores fuerint ad partes anteriores conuersi, fieri potest insania, humoribus sc. per venas & arterias ad caput transmissis.5. *Aph.* 70. *à quartanis capti non admodùm conuulsionibus capiuntur; si verò priùs capiantur & quartana superuenerit, liberantur*; ratio Aphor. est quia calor febrilis discutit, & rigor febrilis expellit humores illos, qui conuulsionem facere possunt 6. *Epid.* 6. *text.*7. *quartâ*, inquit, *laborantes magno morbo non capiuntur*, (per magnum morbum intelligit morbum comitialem) & 1. *Epid. sect.*3. *text.*4. dicit, quòd quartana superueniens ab aliis multis morbis liberet; & simile dicit 2. *Aphor.*26. his verbis, *febrem conuulsioni superuenire melius est quàm conuulsionem febri*; ratio est, quia si febris superueniat conuulsioni ex repletione ac pituitâ factæ, febris illam pituitam discutit & consumit, & sic conuulsio cessat: at quando conuulsio superuenit febri & quidem acutæ, & est conuulsio facta ex siccitate propter summam cerebri ac neruosi generis nimiam exsiccationem; talis autem conuulsio ex siccitate est lætalis. *Bonum est*, inquit Hipp.6. *Aphor.*17. *si lippitudini alui profluuium superueniat*; nam sic humorum abundantia euacuatur, & ad intestina retrahitur. *Longo alui profluuio laboranti spontaneus vomitus superueniens bonum*, inquit Hippoc. *Aph.*15. *lib.* 6. quia humores sursum tendunt, ex quo alui profluuium cessat. *Melancholiâ & nephritide laborantibus hæmorroïdes superuenientes bonum*, inquit Hipp. *Aphor.*11. *lib.*6. *quibus biliosæ deiectiones sunt, iis surditate superueniente desinunt; & quibus surditas adest, iis deiectionibus biliosis superuenientibus finitur*, inquit 4. *Aph.*28. & 6. *Aphor.*5. *à maniâ difficultas intestinorum aut hydrops aut extasis bonum.*

CAP.

CAP. III.

A symptomatibus.

PRæcipua signa sumuntur à symptomatibus; symptomata enim sunt effectus morborum, causarum morbificarum ac partis affectæ; & ideò illa omnia possunt indicare; nam quando effectus adsunt, signum est causam adesse, & talem causam, quæ talem effectum edere & causare nata est. Significant ergo symptomata, quomodo effectus significant causam; interdum tamen significant etiam sicut causa effectum; nam aliqua symptomata magnitudine sui induunt naturam causæ; & non solùm sequuntur aliquem morbum, sed & aliquem morbum faciunt; vt magni dolores, vigiliæ, hæmorrhagiæ, alui fluxus, sudores & omnes immodicæ euacuationes; & tum etiam significant futuros morbos, vt causa effectum. Significant etiam vt coëffectus, quapropter à symptomatibus etiam sumuntur signa anamnestica, diagnostica, & prognostica. Anamnestica, nam ex symptomatibus præteritæ causæ nosci possunt: diagnostica, quia ex symptomatibus cognoscuntur & causæ præsentes, & morbi præsentes, & pars affecta præsens: prognostica; quia ex nullis signis meliùs morbi exitus futurus cognoscitur modus solutionis, quàm à symptomatibus; hæc autem futura significant symptomata, præcipuè in ratione coëffectus.

CAP. IV.

Ab actionibus animalibus.

§. I.

CVm actionum aliæ sint animales aliæ vitales, aliæ naturales, nos de singulis agemus, & primò de signis sumptis ab actionibus animalibus.

Actiones animales aliæ sunt principes, aliæ sensitiuæ, aliæ motiuæ, de quibus nunc ordine; & primùm ab actionibus animalibus principibus.

§. II.

A Delirio.

Qui dociles facilè sunt, humidi & calidi sunt, qui naturâ alacriores & excitatio

excitatiores sunt, sunt aliis calidiores; nam qui frigidi sunt stupidi & somnolenti sunt. Actiones principes primò quidem ostendunt solam cerebri temperiem, & per consequens totius corporis, præcipuè verò in Pueris; propterea quod in illis temperies partium adhuc sint proportionatæ, & æquales, & necdum visu rerum externarum disproportionatæ; vnde qui cerebro est valde frigido & humido, non est verisimile quòd reliquo corpore sit valde calidus & siccus. Itaque dociles, iracundi, ad amores & odia procliues sunt & alacriores, & temperamento calidiore. Sicci pertinaces sunt. Humidi somnolenti & ab opinione mobiles. Sensus omnes hebetes & obtusos habere, frigiditatis ac humiditatis signum est. Fatuitas indicat frigidam cerebri intemperiem, vel malam conformationem, vel paucam cerebri substantiam. Deliria in morbis mala & periculosa sunt, partim vt signa, partim vt causæ: vt signa, quia indicant cerebri, quæ pars princeps est, magnam læsionem, aut aliarum partium læsionem tantam esse, vt cerebrum in consensum trahatur: vt causæ, quia deliria faciunt ægros inobedientes & monitis ac rationi non parentes; vnde fit quod sæpe non comedant, bibant, nec necessaria remedia admittere velint. Sæpe etiam sunt deliria cum magno motu & corporis agitatione coniuncta, ex quo ægri valde lassantur, debilitantur, & humores magis agitantur, & venæ sectio, & cucurbitulæ, & clysteres adhiberi non possunt, metu, ne in illâ corporis agitatione ab illis lædantur, ac à scalpello grauiter vulnerentur, aut vena clausa denuò erumpat. Deliria meliora aut deteriora sunt pro tempore quo apparent pro ratione morbi in quo apparent, pro ratione virium quæ cum illis coniunguntur, pro ratione concoctionis & cruditatis, aliisque symptomatibus, quæ cum illis coniunguntur. In febribus acutis deliria sunt malum signum; indicant enim ardorem tantum esse, vt cerebrum ac spiritus animales in consensum rapiantur & inflammentur. *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirium eis succedit*, inquit Hippoc. 6. *Aphor.* 26. nam translatis humoribus morbificis à venis ad neruos, cerebrum in consensum trahitur, & tremor & delirium sequitur. Ex delirio ægroti semper assurgentes, vel semper iacentes quidem, sed continuò partem aliquam mouentes, aut semper deliria loquentes inter paucos dies extenuantur, inquit Hipp. *Deliria præcedentia crisim, bona* inquit idem 1. *de Crisibus cap.* 8. nam deliria sub crisim si signa coctionis præcesserint, & alia signa adsint, futuram crisim significant; & sic sunt bona signa. Signa enim quæ ex naturâ suâ pessima sunt, bona euadunt, si sint critica, vt est 2. *Aphor.* 27. Desipientiæ aliæ sunt mites, aliæ ferinæ, aliæ cum risu, aliæ cum silentio, aliæ cum corporis agitatione: *Desipientiæ, quæ sunt cum risu, securiores: quæ verò cum studio, periculosiores*, inquit Hipp. 6. *Aphor.* 53. ratio est, quia quæ cum risu fiunt, fiunt à sanguine inflammato; quæ verò cum studio, taciturnitate, & profundâ cogitatione fiunt, ab humore melancholico superassato. Quæ cum silentio fiunt, obscuræ & blandæ desipientiæ sunt malæ; de his 2. *Coacar.*

*sect.*1. *text.*30.Sic inquit Hipp. *In febribus insania vehementes silente ægro, sed non tamen priuatâ voce lætale.* Delirium cum silentio sequitur frequenter deliria ferocia & turbulenta ; quia significant vel vires esse deiectas,vt æger nequeat ampliùs sic tumultuare, vel bile à summo calore esse assatam & in atram bilem conuersam. Notandum tamen quòd delirium cum silentio aliquando contingit propter affectum lethargicum coniunctum;aliquando propter vocis abolitionem;vtrumque silentium est lætale:Primum quidem, quia est pessimum calidissimum morbum in lethargum conuerti;nam 3.*Proret.*inquit, *insanabilia sunt ea frigora, quæ ex calidis morbis oriuntur* : Secundum silentium contingit,quia loqui non possunt;hoc verò fit à facultate animali emortuâ, vel vocalibus instrumentis conuulsis aut exiccatis, quorum vtrumque est lætale : aliquando tamen potest talis vocis abolitio fieri à causâ externâ aut manifestâ, vt frigido percepto catharro; & tum talis vocis abolitio cum delirio non est lætalis. Deliria cum prauis aliis symptomatibus, vt tremore, conuulsione coniunctâ sunt lætalia; & tunc tremores & conuulsiones non superueniunt, nisi deliriis magnis & ferinis ; deliria autem magna sunt periculosa : denique eiusmodi tremores & conuulsiones superueniunt propter summam cerebri ac neruosi generis à calore exiccationem;tantum autem esse ardorem vt cerebrum exiccetur, est lætale : hæc deliria vocat Galen.phrenitides tremulas , & vbicumque earum facit mentionem, dicit esse pernitiosas.1.*Proret.* 14. *mente ob melancholiam aberrantibus tremores superuenientes maligni.* Et *sect.*16. phrenitici modico vtentes strepitum edentes, tremorem incurrunt ; & postmodum dicit,hæc omnia esse mala & lætalia, & *text.* 19. *vacillationes mentis cum voce caliginosâ, linguæque conuulsiones cum tremore, & voces obmutescentes, & duritiæ in his pernitiosa.* Et 3. *Coacar. sect.*2. *text.*22. *in vehementi phrenitide tremores mortiferi.* Porrò deliria omnia in phrenitide & ardentibus febribus,si mortifera sint in conuulsionem desinunt,& conuulsio eis superuenit, vt Galen.1.*Proret.*3.affirmat;& talis conuulsio est signum mortis, Sic Galen.13. *Method. cap.*8. *Succedit*, inquit, *conuulsio maximè exitialis phrenitidi , nec sanatum ita conuulsum vllum aut ipse vidi*, inquit, *aut alium narrantem audiui* ; Palpitationes etiam seu conuulsio animalium motus qui non sunt vera conuulsio,sed tremores conuulsiui,ac manuum subsultus deliriis superuenientes, etsi non perinde vt veræ conuulsiones tamen etiam sunt lætales. Hipp. 1. *Epid. comm.*1.*text.*52. *Phreniticis*, inquit, *conuulsiones fiunt & virulenta vomunt, & ex iis quidem subitò moriuntur , vt in Philistâ phrenitice fuit obseruatum*; quia sc. talis vomitus causæ magnitudinem indicat, nisi forte sit in die critico,aut sit copiosus nam tum non esset malum sed posset esse decretorius. *Delirium etiam cum stillicidio sanguinis è naribus* 3.*Proreticorum text.*49.*&* 1.*Proret.text.*1. *planè lætale iudicatur.* Porrò & deliria sine siti, & cum deiectionibus ac vrinis albis inter lætalia habentur, vt ex 1. *Proret. text.*16. *&* 4. *Aph.*72. patet. Cùm delirio nihil dormire, vel dormire hiante ore, vel delirium

à

à somno non mitigari ac minui, pernicioſum eſt; contra *bonum vbi ſomnus delirium ſedat*, vt habetur 2. *Aphor.* 2. Sopor quoque poſt delirium & peruigilium ſunt pernicioſa: ſic 3. *Epid. text.* 2. *nullus*, inquit, *phreniticorum vehementer tum inſanit, ſed quadam veternosâ in ſomnum delatione capite grauatus moritur.* Delirium etiam cum magnâ obliuione ac ſtupiditate eſt malum; quia indicat cerebri ardorem in frigiditatem eſſe conuerſam. Si delirantibus facies flammea eſt, ſi deſipientes neque vident neque audiunt: ſi frigent aut rigeant, & externa liueſcant, ſi aliquâ anxietate laborent, ſtridant dentibus, ſingultiant, frigidum habeant ſudorem, &c. mors in propinquo eſt, *ex multâ potatione rigor & deſipientia malum*, inquit Hipp. 7. *Aphor.* 7. deſipientia ſola poſt potum non eſt ita mala quia omnibus ebriis contingit, ſed deſipientia cum rigore; talis enim caloris natiui à multo vino ſuffocationem ac extinctionem oſtendit. *A profluuio ſanguinis deſipientia ac conuulſio, malum*, inquit Hipp. 7. *Aphor.* 9. ratio eſt, quia conuulſio corporis ab euacuatione ſanguinis exiccationem ac ſpirituum extractionem ſignificat. *A pulmonis inflammatione phrenitis malum*, inquit Hipp. 7. *Aphor.* 10. *delirio ſedari phrenitidem lætale*, inquit, 6. *Epid. ſect.* 7. *text.* 11. ratio eſt, quia materiam, quæ inflammationem pulmonis ac phrenitidem facit, ad cerebrum conuerſam eſſe indicium eſt, *ex capitis ictu ſtupeſcentia ac deſipientia malum*, inquit Hippoc. 7. *Aphor.* 14. quia vulnus ad cerebrum penetraſſe, vel cerebrum concuſſum & loco motum, indicat, *ex vigiliis conuulſio ac deſipientia malum.* 7. *Aphor.* 18. quia ſc. indicat maximam ſiccitatem, quæ lætalis eſt.

§. III.

Ab obliuione ac memoriâ deperditâ.

Obliuio ac memoria deperdita indicat frigidam ac humidam cerebri intemperiem natam ex humoribus frigidis ac pituitoſis, vt Galen. 3. *de loc. aff. cap.* 5. docet, per vſum refrigerantium, ac narcoticorum, vel læſionem conformationis cerebri; nam à caſu ex alto, percuſſione & vulneribus capitis non rarò obliuio contingit. Sic legimus Meſſalem Coruinum ex lapidis ictu ita memoriam perdidiſſe, vt literas & proprium nomen fuerit oblitus. Idem contingit etiam aliquando ab apoplexiâ & epilepſiâ prægreſſis. Si obliuio à frigidâ causâ ac humiditate ortum ducat, vel apoplexiam, vel epilepſiam, vel lethargum minatur. Thucidides ſcribit de magnâ quadam peſte, à quâ qui ſuperſtites manſerunt, omnes obliuione tacti fuerunt. Obliuio in morbis acutis eſt periculoſa, quia vel emortuam facultatem indicat, vel calidam cerebri intemperiem in frigidam eſſe conuerſam; quam conuerſionem eſſe periculoſam iam ante dictum eſt, etenim vti etiam dictum eſt, veternoſa in acutis conſtitutio eſt pernitioſa. *Ignorantia cum rigore mala; mala quoque*

& obliuio, inquit Hipp. 1. *Proret.* 3. *Ratio est*, inquit Galen. *in comm. quia indicat calorem victum à refrigeratione symptomaticâ:* sic Hipp. 3. *Epid.* 3. *text.* 84. loquens de Apollonio phrenitico *Externa*, inquit, *partes vndique erant frigidæ, aliquantulum delirabat, omnium quæ locutus erat, obliuiscebatur.* Et alibi *in Epid. obliuio, sub accessiones languor vocisque defectus*; quæ omnia Galen. 3. *Proret.* 3. *text.* 57. dicit esse signa lætalia. Aliqui propter delirium videntur præteritorum esse obliti, quia delirando sic loquuntur, vt videantur præteritorum non meminisse; sed illa non est vera obliuio, sed tantùm delirium; nam qui sic delirant, paulò post garriendo sæpe ostendunt se memores esse eorum, quæ antea videbantur fuisse obliti; & talis obliuio quia non est vera, sed tantùm delirium, non est tam mala, & solum indicat, quod ipsum delirium indicat. Porrò sicut multa symptomata pessima aliquando sunt critica, & tum non sunt mala, ita aliquando sub crisim cum aliis signis criticis contingit obliuio; propter humorum agitationem, vnde vel vapores, vel ipsi humores, sanguis sc. aut pituita, aliquando in caput feruntur, & talis non est mala, sed futuram crisim denuntiat, nempe si cum aliis signis criticis, & signis coctionis prægressis concurrat, & in statu ac die critico.

§. IV.

A somno & vigiliâ.

Prognosticorum 2. *text.* 11. dicit Hippoc. *illum somnum esse bonum, qui sic est, sicuti ex naturâ & consuetudine esse solet. Somnus & vigilia vtraque si modum excedant, malum*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 3. malum autem est & vt signum, & vt causa: vt signum, quia indicat naturam non consueto modo se habere, si in somno mutatio aliqua contingit: vt causa, quia somnus deficiens est causa, vt spiritus non regenerentur, vires non restaurentur, concoctio humorum ac alimentorum non rectè fiat, corpus siccius euadat & debilius; somnus enim reficit & humectat; & efficit vt humiditates in corpore multiplicentur. Somnus exuperans caput humectat, vaporosa excrementa in corpore retinet & minùs discuti ac expelli facit; ideò bene Hippoc. 6. *Epid. sect.* 6. *text.* 5. *labor, somnus, cibus, potus, venus, omnia mediocria sunto. In quo morbo somnus laborem facit, lætale*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 1. malum enim est, ex quo natura iuuamen deberet percipere, ex eo percipere noxam; cùm ergo ex somno natura deberet refici, spiritus reparari, materia morbifica meliùs coqui, si nihil istorum consequatur, sed è contrà symptomata, iectigatio, delirium, debilitas, &c. augeantur, malum est; signum enim est, naturam nihil antedictorum facere, & causam morbificam non compescere, sed illam naturâ esse superiorem; porrò hic aphorismus præcipuè veritatem habet in declinatione morbi ac paroxysmorum; tum enim somnus maximè confert; si ergo tum non confert, signum est debilitatis

bilitatis caloris natiui, qui causam morbificam superare non potest: at in perturbatione criticâ, in principiis paroxysmorum febrilium somnus est nociuus, quia per somnum humores intrò rapiuntur, qui foras pelli deberent. Itaque si tum somnus nocet, est quidem malum vt causa, sed non vt signum, quia tum iuuare non solet nec debet; at tum non iuuare cum iuuare debet & solet, est malum signum, & signum debilitatis naturæ. *Vbi somnus delirium sedauerit*, inquit Hippoc. 2. *Aphor.* 2. *bonum*; quia indicat naturam esse superiorem, & superare causam morbificam, & discutere acres fumos, ac humectare cerebri siccitatem, & acres humores delirium facientes mitigare. Auicenna *lib.* 4. *fen.* 2. *sect.* 1. *cap.* 49. *profunditas somni*, inquit, *cum debilitate pulsus, malum*; quia si cum profundo somno pulsus est debilis, signum est, quòd somnus sit potiùs à victâ & debilitatâ facultate naturali, quàm ab humiditate aut aliâ causâ; nisi enim facultas quodammodo esset emortua, pulsus non esset debilis, sed potiùs fortior; naturaliter enim à somno pulsus euadunt fortiores. In magnis viscerum inflammationibus, in tempore criseos, in peste, in assumpto veneno somnus malus; quia per somnum sanguis spirituſque ad interiora trahuntur; hinc inflammationes augentur sanguine ad eas confluente, & venenata qualitas tum pestilentiæ tum veneni assumpti, quæ ad externas & ignobiles partes protrudi deberet, intrò ad cor & alia nobilia viscera repit. In febribus & aliis morbis somnus vtilis est, quia humores coquit. Somno in pueris sæpe acutæ febres iudicantur, & somnus in pueris sæpe est criticus; iudicat autem febres, quatenus corpus humectat, humores coquit, & spiritus restaurat; quibus natura roborata causam morbificam superat, & febres cessant. *In febribus tremores & conuulsiones malum*, inquit Hippoc. *Aphor.* ratio est, quia illa sunt symptomata malè affecti cerebri ex symptomaticâ tetri vaporis & bilioſi humoris assatione, qui conuersus in humorem melancholicum ad cerebrum ac neruosum genus præcipuè ex ore ventriculi transfertur. 2. *Prognost.* 12. sic habetur: *pessimum si neque interdiu neque nocte dormiat*; *dolor enim, labor ac desipientia ab eo indicantur*; dolor & labor indicantur vt causa, vigiliæ ac desipientiæ vt effectus; nam vigiliæ vel summam siccitatem, vel dolorem, vel anxietatem, vel animi ægritudinem, quæ somnum interpellent, indicant, vt testatur Gal. indicant autem desipientiam vt futuram; nam ex nimiâ siccitate & spirituum cerebri exhaustione sequitur desipientia. 5. *Aphor.* 27. sic habetur: *Quibus noctu bibendi est auiditas, iis admodum sitientibus somnus bonus est*: quod idem Rhases 10. *ad Almansorem cap.* 21. asserit; ratio est, quia sitientibus noctu potum dare non est bonum, & sic præstat sitim somno fallere, nam potus concoctionem humorum, quæ noctu maximè fit, impedit, somnus verò iuuat: interim somnus sitim sedat humectando, humores acres mitigando & coquendo, qui sitim faciunt. Vigiliæ sunt signum maximi ardoris ac siccitatis, ideò peruigilium febres acutas plerumque comitatur; est autem peruigilium in acutis febribus valde malum,

quia exiccat magis & inquietudinem adfert, & coctionem humorum ac alimentorum impedit, & spiritus exhaurit; hinc peruigilium sæpe conuulsio ac delirium sequitur: Hinc Hipp.4. *Aphor.*2. ait, *in vigiliâ conuulsio & desipientia malum*, & præcipuè malæ sunt vigiliæ, si cum aliis malis signis adsint, vt vomitu æruginoso, maximâ siti, capitis dolore, &c. quia tum delirium præsagiunt: hinc Hippoc.1. *Proret.*10. *qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent vigilántque cum surditate, hi vehementer insaniunt.* Porrò varia habentur exempla apud Hippoc. *in Epid.* eorum, qui insomnes in ardentibus febribus obierunt. Porrò sicuti vigilias aliquando deliria & conuulsiones sequuntur, ita etiam aliquando sequuntur comata, quæ non minùs illis lætalia sunt, vt Galen.4. *Aph.*67. ostendit: contingunt autem eiusmodi comata post vigilias vel emortuâ facultate, vel vsu nimio refrigerantium remediorum, vel resolutâ bile; pituitâ, quæ in capite erat, relictâ. Porrò etsi vigiliæ in ardentibus febribus plerumque sint pernitiosæ, possunt tamen nonnunquam esse bonæ, nempe cum sunt criticæ; nam sicut aliquando somnolentia, ita aliquando vigiliæ inter critica signa referuntur, siquidem inter alia signa critica, deliria, anxietates, inquietudines, dolores maximè vigiliæ referuntur, vt docet Galen. 3. *de Crisibus*; tales autem vigiliæ debent esse in vigore; nam, vt inquit Galen. 4. *Aphor.* 70. *quo ægri magis ad crisim accedunt, eò magis vigilant, graviter habent ac febricitant*, & 3. *Proret. text.* 45. *qui compositi*; inquit, *perturbantur, peruigilant, naribus stillant, sextâ die liberantur, & capitis affecti grauitate, & syncipite dolente peruigilésque sanguinem profundunt*, &c. quod idem aliis locis refert. Itaque hi somni omnes intra limites somni naturalis comprehenduntur. Sunt verò alij somni toto genere nõ naturales, qui sopores, ac somni longi ac veternosi & comatosi vocantur; tales somni sunt illi, qui sunt valdè diuturni, & non cessant, & à quibus ægri vix possunt excitari, & cùm excitati sunt, mox iterum obdormiunt; tales somni apparent in lethargo, apoplexiâ, caro, catalepsi, comate, &c. cùm ergo ægri eiusmodi somno tenentur, alicuius istorum morborum indicium est. Porrò sicuti illi morbi sunt magni & periculosi, ita quoque somni, qui illos indicant, sunt periculosi.

CAP. V.

A læsione sensuum externorum.

§. I.

SEnsuum vitia aliud in morbis acutis, aliud in morbis longis indicant; in longis non sunt ita pernitiosa aut lætalia sicut in acutis; neque

neque in longis ita signa prognostica vitæ aut mortis ab eis desumi possunt, sicut in acutis. Extra acutos morbos vitia & læsiones sensuum plerumque contingunt vitio proprio, & primario suorum sensoriorum ac partium: àquibus fiunt vel exercentur: in acutis verò, quę vitia contingunt, plerumque contingunt per sympathiam totius, vt in febribus acutis ac malignis, vel viscerum præcipuorum inflammationibus; & plerumque contingunt propter magnitudinem morborum eorundem, & per hoc, quòd magnitudo mali cerebro communicetur, ac facultatem animalem in consensum trahat, quod in eiusmodi morbis est pernitiosum, ac malum; capite enim in consensum tracto, debent necessariò circa aliquos sensus læsiones contingere. Euidentes ergo aliquæ sensuum læsiones in acutis morbis adesse est malum signum; non adesse tamen, propterea non est bonum signum, aut signum salutis; quia possunt morbi multi acuti esse lætales, & hominem interimere sinè eo, quòd in illis euidentes aliquæ læsiones sensuum contingant; propterea, quòd eiusmodi febres ac inflammationes viscerum contingant frequenter in partibus à capite remotis, quæ possunt interimere sine eo, quòd caput aut facultates animales coafficiantur, tamen nihilominus caput coafficitur, vel saltem semper coafficitur sub mortem, & ferè sub mortem aliquæ læsiones sensuum semper concurrunt. Plerumque autem in acutis euidentissima signa mortis à sensuum læsionibus hauriuntur. Tam autem illæ sunt lætales, quando à proprio aut peculiari aliquo vitio suorum instrumentorum non contingunt, sed consensu morbi acuti, aut propter magnitudinem eius, aut facultatis animalis læsionem aut imbecillitatem; nam si in morbo acuto contingeret hebetudo visus, aut surditas propter peculiare aliquod auris aut oculi vitium, propter catarrhum, propter ophtalmiam, aut peculiarem aliquam læsionem, quæ quocunque tempore etiam extra illum morbum acutum contingere potest, non esset tum vllum lætale aut pernicioſum signum; sed tantùm signum indifferens, & nihil super ipsâ febri aut morbo acuto, cum quo casualiter incidit, indicans, sed tantùm indicans suam propriam causam. Verùm cùm aliquando difficulter distinguitur, an illæ læsiones propter peculiare aliquod sensorij vitium, an verò propter acuti morbi magnitudinem contingat; ideò oportet alia symptomata considerare; nam si cum eiusmodi læsione sensuum cum surditate, cum cæcitate, etiam alia pessima & lætalia signa concurrant; si nulla manifesta eiusmodi læsionum causa adsit, si omnia consentiant, si cruda omnia sint, si delirij species aliqua, aut metus, vigiliæ, capitis grauitas, & tandem si vitium adest imbecillitas, signum est læsionem à morbi magnitudine esse; multò maius signum erit, si non in vno tantùm, sed in pluribus sensibus læsio percipiatur. Itaque.

§. II.

A læsione visus.

In acutis morbis non videre, vel obscuros ac caliginosos oculos habere, est malum signum. Hipp.4. *Aphor.*49. *In febre*, inquit, *non intermittente si oculus, aut nasus peruertatur, & æger non videat neque audiat, iam debili existente corpore, mors in propinquo est.* Quæ eadem.1. *Coacar. sect.*1. *text.*10. & aliis locis repetit. Splendores oculis obuersantes, videre muscas volantes, sunt etiam signum pernicioſum: *malum est quoque*, inquit Hipp.1.*Prognost.*13. *si ægri non ferant lumen.* Hæc autem signa sunt mala, nisi sint critica; possunt autem aliquando esse critica, sicut & quæuis alia pessima symptomata. Hoc testantur Galen. & Hipp. variis locis: *Quibus surditas*, inquit Hipp.1.*Coacar.sect.*2.*text.*7.*cum grauitate capitis & hypochondrij tensione, & ad oculos splendore, profluuium sanguinis significatur.* Et 3.*de Crisibus sect.*1.*text.*18. hæmorrhagiæ criticæ futuræ signa ponit Galen. *si motus fulgoris oculis appareat cum visus obscuritate*, quæ eadem citat.3. *Prognost. text.*35. Non solùm per hæmorrhagiam, sed & per vomitum futuram crisim indicant tales affectiones. Sic Hippoc. 3. *Prognost.*30. *In febre*, inquit, *non extiosâ tenebricosum aliquod oculis obuersari, vomitum biliosum indicat.* Et 3. *de Crisibus cap. vlt. Vertigines*, inquit, *obortæ cum agitatione labris inferioris, & multâ saliuâ, oríque ventriculi morsu & capitis dolore vomitum futurum indicant.* Tum autem hæc tenebricositas & caligo oculorum hæmorrhagiam significat, quando simul adest oculorum & faciei rubedo, & splendores oculis obuersantes, capitis grauitas, morbus sanguineus, ætas iuuenilis: tum autem potiùs indicat vomitum futurum, cùm adest ventriculi dolor, nausea, labri tremor, febris biliosa, & pro splendoribus oculorum, oculorum vertigo: tum autem maximè hæ visus læsiones critica signa præbent, quando cum aliis signis criticis apparent, in die decretorio, præuiis signis concoctionis, & facultate robustâ; nam si in morbi principio, vel in incremento apparent, vel in statu sine signis coctionis, facultate existente debili, tum non pro signis criticis ac bonis, sed pro pernitiosis & lætalibus debent haberi. Extra morbos acutos læsæ visiones suas causas & sua sensoria affecta esse indicant indicant autē vel spirituum inopiā, vel crassitiem, vel aliam qualitatem malam, vel tunicarum aut humorum ac maximè vstallini obscuritatem, velopticorum neruochryum obstructionem. Pessima læsio visus est, quæ contingit sine vllo externo oculi vitio; nam hæc contingit vitio interno ac profundo, quo collyria ac remedia externa non possunt pertingere; vel contingit ex nerui optici obstructione, quæ difficilis est curationis. Res geminas videre humoris crystallini à suâ sede remotionem notat. Muscas ante oculos videre volantes, delirium indicat, vel suffusionem & cataractam minatur. Flaua omnia videri, icterum

icterum indicat. Videri omnia in orbem versa, vertiginem animalium spirituum in cerebro circumactionem, vapores feruidos bilioſos in eo circumagitantes, & cerebri debilitatem indicat. Quid istæ visionum differentiæ indicent, nempe videre meliùs propinqua, vel videre meliùs remota, vel meliùs videre de die, vel meliùs videre de nocte, vel videre res maiores vel minores quàm sunt; suo loco est videndum, vbi scilicet de causis eiusmodi symptomatum disputatur, quæ referre huius loci non est.

§. III.

Ab Auditione læsâ.

Mala est surditas in morbis acutis: sic Hipp. 4. *Aphor.* 49. vt iam audiuimus, *lætale*, inquit, *si in febribus acutis æger aut non videat, aut non audiat debili existente corpore.* Additur (*debili existente corpore*) quia tum est iudicium fieri ab emortuâ facultate: nam si facultas non esset debilis, & non adessent symptomata mala, suspicio esset, quòd possint à vitio aliquo auri proprio contingere, quod non esset lætale: pessima quoque surditas si cum aliis signis lætalibus coniungatur: sic 1. *Coacar. sect.* 2. *text.* 10. *valde surdi, tremuli, linguâ resoluti, torpidi, malum.* Et paulò post addit: *Surdastri, trementes manibus, dolentes ceruice, crassa mingentes, nigra vomentes, lataliter habent.* Sic varia exempla sunt apud Hipp. *in Epid.* mortuorum, qui inter pessima signa surditatem quoque habuerunt, vt 3. *Epid.* 3. in philistâ & aliis. Surditas & aliæ capitis affectiones superuenientes acutis ac malignis morbis, sunt etiam aliquando signa imminentis delirij; indicant enim cerebrum ob malignitatem mali in consensum trahi: Sic 1. *Pror.* 10. inquit Hipp. *qui in capitis doloribus æruginosos vomitus habent, vigilantque cum surditate citò vehementer insaniunt*; nam si vomitus sint æruginosi, signum est, bilem pessimam abundare, & si superueniant vigiliæ & surditas, signum est, quòd illa bilis superiora petat, & consequenter quòd delirium sit secuturum, & *eod. lib. text.* 32. habetur, *quòd surditas & vrinæ absque residentiâ prærubræ & sublime petentes mentis oberrationem portendant.* Et Hipp. *in Coac. prænot. in acutis febribus aures obsurdescere*, dicit *esse furiosum.* Porrò sicut cœcitas, ita aliquando surditas est signum criticum, & tunc etiam non est malum: sic 3. *Proret. text.* 55. habetur, quòd hypochondrij sensio cum capitis grauitate & surditate, quæ consequentet fatigant, sanguinis profusionem denuntiant: sic 5. *Aphor.* 6. *quibus per febres aures obsurduerunt, iis sanguis è naribus profluens, aut perturbata aluus soluit morbum.* Aliquando surditas parotidas post aures futuras indicat: Sic 3. *Proret.* 67. *surdis*, inquit, *mansuetæ parotides fiunt.* Tùm autem surditas critica erit habenda, quando in statu cum aliis signis criticis, cum preuiis signis coctionis, ac robustis viribus apparet; quòd si in principio & incremento cum debili-

bus viribus,& ſine ſignis concoctionis appareat,eſt malum ſignum.Quòd ſi etiam poſt criſim eiuſmodi ſymptomata, vt hebetudo oculorum, ſurditas , & alia mala ſigna appareant , præcipuè cum nulla in criſi facta fuerit euacuatio, peſſimum ſignum ſunt , nam vt eſt 3. *Proret. 3. iudicatoria non iudicantia ſunt lætalia.* Non ſolùm ſurditas eſt mala , ſed & aurium tinnitus. Circa quod notand. quod ægri aliquando conquerantur, ſe multa audire, magnum ſtrepitum , campanas , homines colloquentes; ſed hoc fit ex delirio ; nam imaginantur ſe audire & nihil audiunt , & de eo hîc non agimus. Aliquando ægri mente conſtantes aſſerunt ſe in auribus tinnitum habere ; talis autem ſonitus in ardentibus febribus eſt etiam pernitioſus : Sic Hipp. *Coac.ſect.2.text.6. bombus & ſonitus aurium in acutis lætalis* ; eſt autem malum ſignum,quia indicat bilioſum humorẽ in caput ferri,& ſe in anfractus aurium inſinuare,aut cerebri ſanguinem inflammari, vnde feruidi vapores aëri implantato commiſcentur. Malus eſt etiam aurium tinnitus , quia aliquando futurum delirium ſignificat; nam vt ait Galen. ab eadem causâ fit delirium & ſonitus aurium, nempe à feruidis fumis ſurſum eleuatis ; etenim *ſecundo Proret. text.1.* dicit,*quòd humor ad caput aſcendens facit tum deſipientiam tum aurium ſonitum :* ſic 1. *Proret.*18. habetur ; *quod ſi aurium ſonitus euenit cum caligine, euenerítque in naribus grauitas , mente ex melancholiâ aberrant , niſi* , vt inquit Hipp.*ſanguis fluxerit.*Ex hoc verò quòd addit,(niſi ſanguis fluxerit,) patet,quòd ſonitus aurium etiam aliquando ſit ſignum criticum,quòd itidẽ confirmat Hipp.1.*Coacar.ſect.2.tex.7.*vbi dicit,*aurium ſonitum tum delirij, tum è naribus fluxuri indicium eſſe.* Extra morbos acutos tinnitus aurium eſt ſolummodò ſignum ſuæ cauſæ , nempe obſtructionis in aure à pituitâ, flatibus , aut aliquo alio obſtruente. Inſuper indicat cerebri frigidam intemperiem , pituitæ & flatuum in eo abundantiam. Si ſolùm in aëre hoc vitium percipiatur, ſolius affectus auris indicium eſt ; ſi verò iungatur cum aliis affecti cerebri ac aliorum ſenſuum ſymptomatibus, vt viſus obſcuritate, capitis dolore, grauitate , olfactu diminuto , ſomnolentiâ, &c. indicium eſt affecti capitis vel afficiendi , & tinnitum non proprio auris vitio, ſed per conſenſum cerebri vel aliarum partium fieri : ſic aliquando graues cerebri morbos indicat , vt teſtatur Hippoc.1. *Coac. ſect.1.*his verbis.*Quibus capitis dolor, ſonitus aurium ſine febre, tenebricoſa vertigo, vocis tarditas, manicum torpor , hos vel apoplecticos,vel epileſticos , vel obliuioſos fore expectandum.* Tinnitus diuturnus difficilis eſt curationis , & ſurditatem præſagit. Tinnitus fiunt etiam aliquando in conualeſcentibus , tum etiam à crapulâ, repletione , ventriculi cruditatibus , capitis ictum, &c. fit etiam tinnitus à venenatis medicamentis; vt ſi quis in morbo gallico hydrargyo inungatur , frequenter tinnitu laborat ; ſic etiam qui ſedent aure obuersâ oſtiis,præcipuè auſtro ſpirante:ſic qui frequenter aquis innatant , ſæpe tinnitu laborant;quare etiam aliquando has cauſas poteſt indicare.

§. IV.

§. IV.

A læso olfactu.

Læsus olfactus in acutis est etiam malum signum, eo modo, quo de læsâ visione & auditione, dictum est: quia sc. cerebrum in consensum trahi indicat, vel delirium imminere. Extra morbos acutos olfactus læsus indicat suam causam, nempe vel nasi compressionem, vel internam obstructionem, vel catarrhos, vel cerebri humidam ac frigidam intemperiem. Contingit aliquando ægrotantibus, vt in corpore proprio sentiant magnum fœtorem, quòd omnia quæ exhibentur illis videantur fœtere, etsi assidentes nullum tamen eiusmodi fœtorem percipiant. Hoc autem contingit ab humoribus aliquibus circa os ethmoides putrescentibus, ex quibus fœtor aliquis ad organum olfactus emanans, organum ipsum imbutũ & omnia externa ipso fœtore affecta esse iudicat; eodem modo, quo oculus omnium ictericorum iudicat omnia esse flaua, quando ipse flauedine est affectus. Verùm signa à corporis ac excrementorum fœtoribus desumpta, ad hunc locum non spectant, sed ad illos fontes, qui à corporis qualitatibus mutatis desumuntur.

§. V.

A læso gustu.

Ordinarium est in morbis acutis & febribus, vt gustus lædatur, & vt ægri ordinarium saporem cibi ac potus non percipiant; & quæ eis aliàs grati saporis solent esse, tum amari saporis eadem esse videantur, quia lingua sordibus à vaporibus ex humorum in stomacho & venis putrescentium abundantiâ factis inficitur, quæ quo vaporum illorum gustu inficitur, eodem & omnes res præditas esse iudicat. Iudicat autem plerumque res amaras, interdum salsas, interdum acidas, &c. provt humores sunt, qui morbum faciunt; adeoque ex illâ specie saporis, quæ sic percipitur, aliquâ ratione diuersitas causæ morbificæ dignosci potest: nam si amara omnia videantur, bilem; si acida melancholiam; si insipida pituitam; si falsa, pituitam salsam indicat: Catarrhus quoque gustum lædit, qui si frigidus est, omnia insipida videntur; si verò calidus, tenuis, salsus, salita omnia.

§. VI.

A læso tactu.

Ad symptomata læsi tactus referuntur dolores, stupor, pruritus, insensibilitas. Verùm cùm dolor possit etiam referri ad symptomata in qua-

litate tangibili,nos de signis à dolore agemus infra, vbi de signis à qualitatibus corporis ; nam cùm signa à dolore magnam tractationem requirant,hanc seriem signorum ab actionibus læsis desumptam plurimùm interturbaret ; itaque quod attinet ad stuporem.

Stupores in morbis acutis , non possunt esse boni,nisi sint critici;possunt autem aliquando esse critici, naturâ causam morbificam ad partes externas ac neruosum genus propellente. Tum autem stuporem criticum esse iudicare poterimus,si oborto stupore morbus minuatur,ac æger meliùs habeat:aliàs in morbis acutis stupores sunt periculosi,nisi forte fiant ab aliquo proprio aut peculiari vitio, aut à causâ manifestâ, tunc nihil mali indicant, nisi proprium ipsius partis vitium : si à causâ manifestâ, vt si æger in brachium incubuerit, aut brachium fortiter habuerit ligatum, aut crure distorto dormiens iacuerit, nihil tunc indicat mali. Alioqui si stupor ratione ipsius morbi acuti superueniat, vel indicat emorientem facultatem, quod pessimum & lætale ; & hoc indicabit, si pars quæ stupida est, simul etiam sit frigida & liuida, & summa corporis adsit debilitas ; vel indicat causam morbificam ad partem nobilem , nempe cerebrum, transmitti , quod est periculosum,& tum potest indicare vel apoplexiam , vel epilepsiam , vel catalepsim, vel aliquid simile futurum. Extra morbos acutos stupor vel assumpta vel foris adhibita narcocia indicat, vel obstructionem in neruis ad partem stupidam currentibus,vel luxationem & percussionem, vel cerebri vitium,ac frigidam humidamque intemperiem eius. Si stupor est generalis totius lateris , vel partium superiorum , indicium est cerebri affecti:si est tantùm vnius partis,aut partium inferiorum signum est vitij in neruo illo , qui in illam partem fertur. Hippoc.7. *Coac. sect.2. text.1. Torpores* , inquit , *& sensu priuationes præter consuetudinem ortæ futuras apoplexias denuntiant.* Certè stupores, vel apoplexiam, vel paralysim, vel spasmum , vel grauem aliquam potentiæ motiuæ læsionem indicant, & plerumque eas præcedunt. Stupores partium infernarum non sunt ita periculosi, sicut supernarum, ac partium quæ sunt circa caput; ratio est,quia harum partium nerui oriuntur ex spinali medulla, illarum autem ex capite. Vitia autem spinalis medullæ minùs sunt periculosa vitiis capitis. Stupor alterius cruris est vnum ex signis calculi renum ; contingit autem ille stupor propter neruorum cruris à calculo compressionem illo loco , vbi ex medulla spinali oriuntur.

Eiusdem generis cum stupore signum est insensibilitas;sed longè maius vel gangrænæ & emortuæ facultatis vel apoplexiæ vel paralysis. Insensibilitas in partibus scabie ac vlceribus laborantibus est signum lepræ ; si enim leprosi acu in partibus vlceratis punguntur , non sentiunt. Solet etiam poni inter signa stigmatum diabolicorum;nam qui stigmata diabolica habent, etiamsi intrò pungantur non sentiunt. Non sentire est etiam signum delirij: *qui aliquâ parte dolentes dolorem non sentiunt*, inquit,Hipp. *iis mens ægrotat.* Dolorem non sentire in magnis affectibus , signum est

affectus

affectus existentis in pulmone, eò quòd pulmo insensibilis sit, ac neruis careat.

A pruritu; pruritus autem indicat humores tenues ac salsos sub cute contentos, eosdémque quiescentes: tenues quidem, quia si essent crassi, scabiem facerent: quiescentes, quia si mouerentur, allidendo ad partes sensibiles facerent rigorem vel horrorem; quando itaque pruritus comitatur morbos, magnam tenuis & salsi humoris in corpore abundantiam esse ostendit. Si postmodùm in morbis pruritus sentiatur, qui priùs non fuerit, signum est crudos & crassos humores calore attenuatos esse, & salsedinem contraxisse. Insuper etiam indicat robur facultatis expultricis, quæ humores ad cutim & externas partes protrudit: sed cùm pruritus ad dolorem etiam referatur, de eo latiùs, vbi de signis à dolore agemus.

CAP. VI.

A Motu voluntario.

§. I.

VAria sunt symptomata motus voluntarij, à quibus signa desumi possunt; motus diminutio, abolitio, lassitudo, tremor, conuulsio, palpitatio, gesticulatio, pandiculatio, inquietudo, certus decubitus, modus, rigor respiratio, &c.

A torpore seu motus diminutione ferè eadem, quæ à stupore signa desumuntur; sunt enim plerumque simul, & à quo vnum, ab eodem & alterum causatur. Contingit torpor & motus inopia ac paralysis ab obstructione cerebri, spinalis medullæ, à compressione neruorum, vt luxatione ossis, vel tumoribus comprimentibus, à nerui induratione, vulneratione, refrigeratione, spirituum qui in neruis sunt malitiâ & prauitate emortuâ facultate, spirituum à neruis reuocatione; quare omnes has causas indicat. In apoplexiâ, paralysi, epilepsiâ, deliquiis animi, vteri suffocatione motus extinguitur. Paralysis etiam frequenter sequitur dolorem colicum, materiâ sc. ab intestinis ad venas, à venis in neruos transmissâ. In capitis vulneribus paralysim superuenire est malum; indicat enim cranium fractum, vel menynges vulneratas, vel cerebrum compressum, vel concussum. In casu ab alto etiam paralysis est mala; quia indicat spinalem medullam grauiter affectam. Paralysim apoplexiæ superuenire est bonum signum; quia est indicium humores in neruos ac medullâ è cerebro expelli. Paralysis in acutis febribus semper est pernicioſa, nisi sit critica; signum enim est humorem ad cerebrum conuerti, vel frigidam intemperiem cerebri magno ardori superuenire, quod est malum. Cõtingit autem

aliquando criticam esse, naturâ humores morbificos è venis ad neruos ac spinalem medullam expellente; sed hoc est rarò: difficilis est humorum à venis in neruos metastasis, & talis crisis ac transmissio humorum est valde imperfecta; quia fit non per apertos, sed saltem per cœcos ductus, & transudatione per partium substantiam.

§. II.

A tremore.

Tremor semper neruorum ac musculorum indicat debilitatem. Contingit autem à manifestâ causâ, vt à gestatione grauium ponderum, aut nimio exercitio; ab animi passionibus, vt irâ, timore, ebrietate. Aliàs contingit vel à paucitate spirituum animalium, debilitate cerebri, ac potentiæ motiuæ, à grauibus morbis prægressis, à quibus membra sunt debilitata; ab obstructione in neruis, à nimiâ refrigeratione, humectatione, & aliquando ab exiccatione, & alimenti neruorum ac musculorum consumptione, ex quâ ipsi debilitantur: sic post famem, vigilias immoderatas, venerem, &c. sequitur tremor. Tremor in acutis febribus est periculosus, nisi fiat à manifestâ causâ; etenim vel significat superabundantiam ac copiam humorum musculos ac neruos grauantium, vel humorum ad cerebrum motus, vel summum ardorem neruos exiccantem; in principiis morborum humorum abundantiam, in statu siccitatem magnam indicat. De tremore loquitur Hipp. 3. *Epid. sect.* 1. *Pythion*, inquit, *primâ die cœpit manu tremere, febris acuta delirium, secundâ & tertiâ die omnia exacerbata, septimâ os distractum, octauâ omnia exacerbata, semper*, inquit, *tremor perseuerabat; in summâ, fuit in magno periculo, & tremor fuit vnum inter maxima symptomata.* Eodem modo in Cherione 3. *Epid. sect.* 2. ægroto, & in vxore Emmyris 4. *Epid.* tremor pessimi præsagij fuit. Et *in Coacis: In pernitiosis*, inquit, *iam praui tremores & vomitus æruginosos & postea caput dolentes. Surdastri, manibus tremuli, nigra vomentes, ac mingentes pernitiosè habent.* Et vbique illo libro tremor inter pernitiosa signa habetur. Porrò in phreniticis tremor est semper pernitiosus; quia conuulsionem præsagit & mortem, eo quòd indicet summam cerebri & neruorum siccitatem, & Hipp. *in Proret.* & Galen. *in comm.* idem asserunt; nam si apparet in statu potest aliquando esse criticus, naturâ sc. expellente humorem morbificum ad neruos ac spinalem medullam: nihilominus in phreniticis semper est pernitiosus, & si oritur antequam adsit delirium, præsagit ipsum; si oritur post, conuulsionem ac mortem minatur. *Phrenitica in vehementer trementia, finiuntur*, inquit, Hippoc. *in præsag.* & 1. *Proret. tremulæ, obscuræ, blandæque desipientiæ sunt valde phreniticæ*; rationem dat Galen. *in comment.* quia tremor valde affectum cerebrum, & tum ipsum tum neruos valde exsiccatos à calore esse ostendit, & ita pessimi semper sunt tremores, qui in principio

ac

ac incremento apparent; nam in ſtatu poſſunt aliquando eſſe critici, & ſic boni, naturâ humores ad neruorum genus expellente, præcipuè verò poſt ſigna concoctionis, circa diem criticum, cùm aliis ſignis criticis. Talis fuit tremor in adoleſcente peregrino, qui ſextâ die fuit indicatus, teſte Hipp. 4. *Epid.* quem febris die ſeptimâ cum tremore dimiſit. Sic ſupra habuimus, quòd labij inferioris tremor aliquando ſit ſignum criſeos per vomitum futuræ. Extra morbos acutos tremor nihil mali ſignificat præter ſe ipſum, ſi durat, prænunciat frequenter paralyſim, aliquando apoplexiam. In ſenibus difficilis eſt curationis.

§. III.

A Conuulſione.

Conuulſio grauiſſimum eſt malum. Dignoſcitur autem pars affecta, tum cauſa morbi, tum futurus morbi euentus. Pars affecta dignoſcitur; nam quando conuulſio eſt totius corporis & partes capitis occupat, vt oculos, frontis cutem, mandibulas, linguæ radicem, ſignum eſt cerebrum eſſe affectum: ſeu communem illam radicem; vnde partes capiti proximæ & totum corpus neruos ſuos tanquam ramos acquirunt: ſi infra caput omnes partes conuulſione tentantur, indicium eſt vitium eſſe in ſpinali medullâ; ſi vna pars ſola comellatur, indicium eſt ibi vitium eſſe, vnde neruus proximè oritur, qui in illam partem conuulſam diſſeminatur. Dignoſcitur etiam ex conuulſione cauſa; nam quot ſunt cauſæ quæ conuulſionem cauſare poſſunt, tot cauſas conuulſio poteſt indicare: cauſæ autem proximæ conuulſionis ſunt tum repletio tum inanitio & ſiccitas, tùm etiam partium refrigeratio, inſuper venenata qualitas, ſeu ab humoribus in corpore corruptis, ſeu à veneno aſſumpto, ſeu ictu ac morſu inflicto. Cauſæ mediatæ ſunt diuerſæ; nam aliquando fit conuulſio in ardentibus febribus, aliquando à vulnere, aliquando à punctura nerui, aliquando ab elleboro aut purgatione vehementi ſumptâ. Aliquando à nimiâ ſanguinis euacuatione, fit aliquando à maximâ ebrietate & vaporibus vini, aliquando à flatibus vel pituitâ neruis impactâ, fit etiam aliquando à vermibus, aliquando à venenatis vaporibus ab vtero aſcendentibus, aliquando à venenis aſſumptis, & inflictu ſcorpionis, &c. Contingit etiam aliquando ab ebrietate, vt patet ex Hipp. 5. *Aphor.* 5. *Si ebrius quiſpiam repentè obmutuerit, conuulſus moritur.* Has itaque omnes cauſas conuulſio poteſt indicare; quam illarum indicet, oportet ex coniunctis ac propriis ſignis colligere. Cognoſcitur etiam ex conuulſione futuri morbi euentus. Omnis conuulſio generalis, (quales ſunt illæ tres ſpecies emproſthotonos, opiſtotonos, tetanos) eſt pernicioſa; periculoſior tetanos, nam, vt inquit Hippoc. 4. *Aphor.* 6. *intra* 4. *dies interimit.* Conuulſio omnis ex inatione, ſi nimirum ſit vniuerſalis, eſt periculoſa, præſertim ſi eſt ex ſiccitate; nam cum illâ ſiccitate totius,

ex

ex quâ oritur conuulsio, non potest vita stare. Conuulsio ex magnis euacuationibus etiam est lætalis 5. *Aphor.* 56. sic inquit Hippocrates: *si muliebri profluuio conuulsio aut animi defectus superuenerit, malum.* 5. *Aph.* & 7. *Aphor.* 9. *à copioso sanguinis fluxu conuulsio aut singultus, malum.* Et 5. *Aph.* 4. *à purgatione immodicâ conuulsio aut singultus, malus*; & *conuulsio ab elleboro lætalis.* Et *Aphor.* 25. *sect.* 7. *à medicamenti potu conuulsio mortiferum.* Est autem conuulsio ex elleboro mala duplici de causâ, & quatenus helleborus suâ vehementiâ potest facere superpurgationem, & quat. est medicamentum venenatum, etenim quæ à venenatis medicamentis conuulsio fit est periculosa: Sic Hipp. 5. *Epid. text.* 1. scribit de quâdam puellâ 25. annorum, quæ, vt fœtum perderet, venenatum medicamentum sumens, in conuulsionem incidit & mortua est. Conuulsio ex vulnere etiam est lætalis, teste Hipp. 5. *Aphor.* 65. Exempla sunt apud ipsum *in Epid.* in Scamandro, in filio Herpagi & Tichone; in illâ pulchrâ Nerei virgine, & aliis, qui vulnerati, posteà conuulsi obierunt. A magnis doloribus etiam conuulsio est pessima: Sic Hipp. 7. *Aphor.* 10. *ab ileo*, inquit, *vomitus, singultus, desipientia, & conuulsio malum.* 7. *Aph.* 18. *propter vigiliam conuulsio aut desipientia, malum.* Conuulsiones in febribus etiam sunt lætales. Hinc Galen. 12. *method. cap.* 8. de iis sic scribit: *conuulsio*, inquit, *talis, si modò curabitur, humectationem expetit*; *ceterùm*, inquit, *curatu difficilis vel omninò impossibilis est, si febris occasione est contracta, plerúmque succedit exitiali phrenitidi, & taliter conuulsum neminem sanatum*, inquit, *aut ipse vidi, aut alium narrantem audiui.* Hippoc. 7. *Aphor.* 13. *propter ardores vehementes conuulsio aut tetanus, malum.* Et *sect.* 2. *Aphor.* 26. *melius est*, inquit, *conuulsioni febrem superuenire, quàm contrà*; quia febris superueniens conuulsioni, eam soluit, si nimirum conuulsio sit à flatu ac repletione frigidi humoris, & ipsa febris sit mediocris. At conuulsio quæ fit à febre, fit propter summam exiccationem; & talis est ferè incurabilis. Et 4. *Aphor.* 66. *in febribus acutis conuulsiones & circa viscera vehementes dolores malum portendunt.* Et 4. *Aphor.* 49. *in febre non intermittente si labrum vel palpebra, vel supercilium, vel oculus, vel auris peruertatur, &c. iam debili existente corpore, mors in propinquo est.* Ita quoque Galen. *comm. in Aphor.* 35. & 66. *lib.* 4. dicit *conuulsiones, quæ acutis febribus superueniunt, plerúmque esse lætales*; *propterea quòd contingant à summo febris ardore, & neruorum exiccatione.* Tales conuulsiones in febribus sunt lætales in adultis, sed in pueris non ita; quia in iis non ita magnus est recessus à naturali statu; pueri enim plerumque multis cruditatibus laborant, & neruosum genus habent valde infirmum. Hoc dicit Galen. 1. *Epid. comm.* 2. *text.* 23. his verbis: *Pueri*, inquit, *propter neruosi generis debilitatem conuulsionibus sunt opportuni, & de paruis occasionibus hoc eis malum accidit, & minùs est periculosum.* Hoc dicit quoque Hippoc. 2. *Epidem. Multos*, inquit, *conuulsiones maximè, pueros ab initio tentauerunt, febricitabant & febribus conuulsiones succedebant*; *erant hæc plerisque diuturniora & innocua.* Et

in

in coacis: conuulsio, inquit, *in febribus lætales, minimè verò in pueris.*

Notand. porrò, quòd conuulsiones in principio febrium non sint ita lætales, sicut in statu; sunt equidem malæ, sed multò minùs; ratio est, quia in principiis non contingunt à maximâ exiccatione, quia tum illa summa exiccatio non potest adhuc esse facta, quia tum primò ardor incipit; sed fiunt à copiâ humorum: talis autem humorum copia non est ita mala, sicut extremus ardor & exiccatio; hæc enim est lætalis & incurabilis, illa verò potest tum arte, tum criticâ naturæ expulsione euacuari & falli: interim tamen adhuc est mala; quia dum indicat abundantiam humorum, indicat saltem magnitudinem morbi futuram: & sic varia sunt exempla apud Hippoc. *in Epid.* Picionis qui apud Telluris ædem habitabat: Chelionis qui apud Demetum. Vxoris Heracriti & morosæ mulieris, quam primâ die conuulsio corripuit: qui omnes nihilominus euaserunt.

Not. 2. quòd conuulsiones in febribus aliquando fiant ab aliis causis quàm à summâ exiccatione; & tum tales conuulsiones non sunt ita pernitiosæ; contingit enim in pueris aliquando à vermibus; in aliis ab humore acri, mordaci, aut æruginosâ bile orificium stomachi obsidente, à quibus venenati vapores in cerebrum feruntur conuulsionem causantes, vel quia cerebrum illis partibus ab acris illis humoribus commorsis consentit, vnde conuulsio; & tales conuulsiones, quia non indicant exiccationem sicut aliæ, non sunt ita lætales, sed sæpe de facillimo cessant; sæpe enim aut demisso semine, aut bile per vomitum reiectâ cessant: sic in filio Herophili apud Hipp. 5. *Epid.* fuit conuulsio oculorum quæ vomitu atræ bilis per pennam ori immissam cessauit: sic Gal. *comm. in Aphor. 5. sect. 1.* dicit, de quodam adolescente, qui frequenter vniuersali conuulsione laborabat ex æruginosâ bile in orificio stomachi contentâ, quâ per vomitum excretâ, statim liberabatur. Signa autem ex quibus cognosci potest, an conuulsio sit ab aliquâ tali causâ, an à summâ exiccatione, varia sunt; si enim febris est in statu, si est maxima & cum summo ardore, si adest virium debilitas, immensa sitis, delirium, vigiliæ, linguæ ariditas, &c. indicium est, quòd tunc conuulsio fiat à siccitate, & quòd sit lætalis; sin hæc non adsint, & adsint signa affectus stomachi, aut vteri, aut vermium in intestinis, aut præcessit aliqua causa manifesta, ex quâ potuerit conuulsio esse orta, signum est conuulsionem esse ab aliâ causâ, & proinde non adeò lætalem. Signum pessimæ conuulsionis est, si sit orta ex præuio tremore; nam si tremor conuertitur in conuulsionem, signum est, quòd conuulsio sit à siccitate & maximâ febre.

Not. 3. quòd conuulsio etiam aliquando possit esse critica, & vel signum futuræ crisεos, sicut sunt multa alia symptomata pessima signa, rigor, tremor, delirium, &c. propter agitationem & motum humorum neruosas partes offendentium, vel adsit crisis ipsa naturâ causam morbificam ad neruos expellente: talis criticæ conuulsionis exempla sunt apud

Hipp.2. *Epid.* in illo, qui in Dealcis horto habitabat, & alij, qui cum illâ euaserunt & liberati sunt. Porrò sicut conuulsio est pessima, quæ acutas febres sequitur, ita longè pessima est & omninò lætalis, quæ phrenitidem comitatur; nam talis contingit propter summam cerebri exiccationem. Vnde Galen.12. *method. cap.*8. dicit, quòd exitiali phrenitidi superueniat conuulsio:& Hipp. 5. *Epid. comm.2.text.53.phreniticis*, inquit, *conuulsiones, sed & virulenta vomunt, & ex his*, inquit, *quidam subitò moriuntur.* Proinde varia apud Hipp.3.& 5.*Epid.* phreniticorum sunt exempla, quibus conuulsio superuenerit, vt vxoris Philini, mulieris Cysici, & 5. *Epid.* Coronidis seruæ, &c. qui omnes obierunt.

§. IV.

A rigore & horrore.

Maxima in morbis signa desumuntur à rigore, tum partis affectæ, tum causarum, tum morbi, tum futuri eorum euentus. Contingit autem rigor, quando materia acris, mordax, ac bilioſa ad partes neruosas ac sensibiles in habitu corporis existentes, vel contra membranas sensiles viscerum fertur, & allidit, easque pungit, mordicat & offendit;propter quem morsum spiritus & calor natiuus per modum fugæ primùm ad interiora se recipiunt,post verò iterũ foras erumpunt;& sic alternatim; in quo motu caloris, percipitur frigus, & musculi coércentur & vibrantur, ad expellendum id, quod eis nociuum est, tamdiu donec calor totaliter foras prorumpat,& causa morbifica expellatur; ex quo patet,quòd rigor fit, cùm aliquid sensibilibus partibus est molestum, quod natura, mediante motu caloris natiui & mediante concussione musculorum,qui sunt in habitu, conatur expellere. Rigor omnis ferè contingit in febribus, aliquando tamen etiam contingit sine febre, vt in inflammatione viscerum, quæ ad suppurationem perueniunt; cum sc. acrimonia puris membranas viscerum pungit & vellicat, in quorum consensum trahitur neruosum genus ac musculi, qui in habitu sunt. Fit autem rigor & in febribus intermittentibus & in continuis, maximè autem & semper in intermittentibus: in intermittentibus fit in singulis accessionibus, quando morbifica causa in habitum corporis expellitur, quæ ad partes sensiles allidit. Itaque in quotidianis rigor continuè fit, in tertianis alternis diebus, in quartanis quarto quoque die: in continuis fit etiam aliquando rigor, sed non semper, & quando fit, tunc non fit ordinatè, sic vt per certa interualla,velut in intermittentibus,recurrat, quapropter cùm rigor ordinariè & semper fiat in intermittentibus, in continuis verò non, sed tantùm aliquando, ideò rigor in febribus est signum intermittentiæ. Vnde Hipp. 4. *Aphor.*63. *quibus*, inquit, *quotidie rigores fiunt, quotidie etiam febres soluuntur.* Itaque febrem inuadere cum rigore,horrore, aut refrigeratione,est signum, quòd sit intermittens, non autem continua;

nam

nam continuæ non habent rigorem: sic Galen. *Primò de arte curandi ad Glauconem capite* 8. proponens signa continuarum febrium dicit inter cætera esse quòd non habeant rigorem, horrorem aut frigus. Quod idem Auicenna 4. *fen. tract.* 2. *cap.* 2. asserit. Verùm tamen hoc signum non est absolutè certum; nam aliquando rigores etiam apparent in febribus continuis, vt dictum est, & post rigorem in iis non sequitur semper intermissio, sicut in intermittentibus. Et in intermittentibus rigor est bonus, quia ostendit materiam expelli ad habitum, vnde mox sequitur infebricitatio. At in continuis rigor non semper est bonus, sed plerumque malus. In continuis etiam aliquando apparere rigorem patet ex Hipp. 4. *Aphor.* 46. vbi ait; *Si rigor incidat non deficiente febre, ægro iam debili, lethale.* Et *in Coac. pronot.* dicit, *in febribus acutis continuos rigores esse praues.* Et 4. *Aphor.* 58. *si in febre continuâ rigor superueniat, solutio,* inquit. Ex quibus locis patet in febribus continuis etiam apparere rigorem. Verùm hoc non est ordinarium, & est differentia; nam in intermittentibus sunt rigores magni & manifesti, & ordinatè per certos periodos recurrentes & cum eis fit manifesta exacerbatio. Verùm in continuis hæc non fiunt. Fiunt autem tales rigores in acutis ac continuis febribus ob varias causas; vel quia cum febre adest inflammatio viscerum internorum; nam quando calidi & acres humores incipiunt in membranosas viscerum partes fluere, vel quando illa inflammatio in pus incipit conuerti, tunc ab acrimoniâ humorum ac puris sensibiles viscerum partes punguntur, & sic fit rigor. Vel fiunt rigores ab acribus & mordacibus fumis ex putrescentibus humoribus ad habitum eleuatis, qui propter cutis externam obstructionem per carnosas ac sensiles eius partes oberrant, & faciunt rigorem; vel contingunt naturâ humores necdum coctos sed crudos ad habitum corporis symptomaticè expellente: vel contingunt circa tempus status & sub tempus criseos, naturâ sc. humores morbificos iam coctos ad externa expellente. Aliqui ex istis rigoribus sunt boni, aliqui mali; ad quod distinguendum oportet considerare, à quâ istarum causarum seu quo istorum modorum rigores fiant, & quo tempore, an in principio febris, an in medio, an in statu; & quales rigores sint, & quid post eos sequatur. Rigores in principiis continuarum febrium non sunt boni; vel enim indicant viscerum inflammationem cum febre coniungi; vel ostendunt febris malignitatem; indicant enim humores esse acres & mordaces ac bilioſos, & illos turgere, ac hinc inde in corpus ac in habitum ferri; vel naturam ab eis irritatam eos symptomaticè ad habitum expellere, quod est malum; nam talis expulsio non est critica aut salutaris, sed mala & symptomatica; quia fit in principio & non in statu, & est humoris ad hoc crudi & non cocti, & est insufficiens, ac talis quâ morbus non soluitur. Hæc confirmat Galen. *comm.* 2. *in secundum Epid. text.* 75. vbi dicit, quòd rigor in principio vel significet febrem ex inflammatione viscerum, vel insignem malignitatem. Tales rigores ex viscerum inflammationibus contingere patet 2. & 3. *Coacar.* & in *lib.*

Proret. vbi proponit frequenter rigores cum obliuione ac ignorantiâ, vel rigores cum face flammeâ, vel rigores cum dolore veſicæ, qui ſunt dolores ex viſcerum ſc. cerebri, veſicæ, pulmonis, & iecoris inflammatione contingentes, ſunt omnes periculoſi: ſic Galen. 6. *de loc. affect. c.* 4. oſtendit, ex ſuppuratione renum, veſicæ, hepatis eiuſmodi rigores excitari. Dignoſcuntur autem inflammationes ex rigore; quia ſi rigor apparet in principio febris, & eſt diuturnus ſeptem aut octo horarum, & non eſt ita magnus, & alicuius partis affectæ ſigna adſunt, (quod ex dolore percipitur, & ex actionibus alicuius partis læſæ, & excrementis eius mutatis, & propriis illius partis ſignis,) certum eſt illius partis inflammationem adeſſe: vt ſi, verbi gratiâ, rigor apparet in principio cum acuta febre, cum difficultate reſpirandi, cum rubedine genarum, &c. ſignum eſt peripneumoniæ: ſi cum dolore capitis, oculis rubris & flammeis, delirio, &c. ſignum eſt phrenitidis: ſi cum dolore veſicæ, difficultate mingendi; ſignum eſt inflammationis veſicæ. Et ſic de aliis. Rigores, qui ſic in principio apparent, indicant incipientem inflammationem ac humores acres iam in partes ſenſibiles viſcerum, nempe membranas, influere; at ſi rigores poſteà appareant iterum, ſignum ſunt non iam incipientium inflammationum, ſed talium, quæ in pus vertuntur; quapropter rigores, qui in medio febrium oriuntur, ſunt etiam praui; quia vel ſymptomaticam expulſionem humorum indicant, vel ſuppurationem, quorum vtrumque eſt malum. Poſſunt tamen etiam aliquando rigores fieri ab acribus halitibus in habitum eleuatis, qui propter cutis obſtructionem nequeunt exhalare, ſed per habitum oberrant, & tales rigores non ſunt tam mali; interim tamen non etiam boni; quia ſaltem acrimoniam humorum & acrem putredinem, ex quâ illi mordaces habitus reſurgunt, & cutis obſtructionem indicant. Aliàs rigores in medio febrium, & ante ſtatum, aut ante diem criticum ſunt periculoſi: ſic Hipp. 4. *Aphor.* 29. dicit, *quòd rigor in ſextâ die habeat iudicium difficile*; quia dies ſexta non eſt critica; ſic etiam, vt dictum eſt, rigores in principio, vt teſtis eſt Galen. 2. *in primum Epid.* ſunt ſignum malignitatis; etenim rigor eſt ſignum criticum, & fit naturâ humores in habitum expellente; critica autem ſigna in principio apparentia ſunt mala, imò ſi apparent in principio cum virtute debili ſunt lætalia. Hinc Hippoc. 4. *Aphor.* 46. *rigor*, inquit, *ſi incidat cum febre non deficiente & virtute debili, eſt lætalis*; quia rigor cum virtute debili eſt ſignum decretorium non decernens; quomodo enim decerneret, ſi facultas eſt debilis? *decretoria autem non decernentia*, vt inquit Hippoc. *ſunt lætalia.* At rigor apparens in ſtatu, ſi cum aliis ſignis criticis coniungitur, ſi præceſſerint ſigna concoctionis, ſi facultas eſt valida & appareat in die critico, eſt ſignum bonæ criſeos futuræ; & talis rigor eſt bonus, & de tali loquitur Hipp. 4. *Aphor.* 58. cùm dicit, *à febre continuâ habito ſi rigor ſuperuenerit, ſolutio*; indicium enim eſt, humores iam à naturâ aptari, & vel per habitum

bitum vel per alias partes depulsum iri. Et hæc sunt signa à rigore desumpta secundum tempus morbi in quo apparent.

Sumuntur etiam signa à rigore secundum aliqua, quæ cum rigore coniunguntur, seu à modo rigoris : sic rigor, qui præcedit euacuationem, est bonus : sic Galen. *in comm. ad Aphor.* 58. *sect.* 4. dicit, in febribus ardentibus illum solummodo rigorem esse bonum ac febrem tollere, quem vel sudor magnus, vel magna euacuatio sequitur; nam si non sequitur euacuatio, est signum, quòd natura solùm sit à malignitate causæ morbificæ irritata, & ea non sit expulsa, sed retenta], & postmodum maius malum in corpore causatura; contrà verò, si rigor sequitur euacuationem malum est; signum enim est plus materiæ retineri quam euacuari. Hinc Hippoc. *sect.* 7. *Aphor.* 4. *à sudore rigor malum. Refrigerationes post rigorem, quæ non recalescunt, malæ*, inquit Hipp. *Proret.*

§. V.

A palpitatione.

Palpitatio est quædam agitatio & motus ac concussio partium internarum, constans quâdam partium dilatatione & constrictione. Hæc contingit aliquando in toto corpore, aliquando in vnâ aut pluribus partibus tantùm, vt corde, stomacho, hypochondriis. Causa palpitationis est crassus quidam flatus ac spiritus in parte contentus exitum quærens, & non inueniens, qui illo suo motu partem palpitare ac tremere facit. Talis autem flatus ac spiritus est soboles frigiditatis; & ideò palpitationis causa est quædam frigiditas & caloris naturalis defectus. Contingit tamen etiam palpitatio aliquando, à morsu bilioſorum humorum ac pituitosorum, vel à vaporibus venenatis os ventriculi ac cor infestantibus, qui faciunt illas partes agitari & concuti, conantes illos humores seu vapores suo motu à se propellere. In acutis febribus membrorum palpitationes, malum : nam vel indicant eorum refrigerationem, vel defectum caloris natiui vaporosos flatus generantis, vel indicant malitiam vel venenositatem vaporum membra ad illum motum concitantium. Membrorum autem refrigeratio in acutis febribus est mala; quia, vt supra dictum est, indicat defectum caloris natiui : est etiam pessimum, humores ita esse venenatos & mordaces; vnde quibuscunque palpitatio euenit, semper est mala. 1. *Pror.* 55. *circum vmbilicum dolores palpitantes*, inquit Hippoc. *mentis alienationem indicant* : quia indicant vaporosos flatus vel malignos vapores, qui fortè in caput ascendent; & si ascenderint mentis læsionem inducent. Ventriculi ac cordis palpitationes in acutis febribus frequenter etiam animi deliquia inducunt. 1. *Epid. comm.* 3. *text.* 19. scribit Hippoc. de sileno, quòd à prima die spiritum magnum habuit, & hypochondriorum magnam palpitationem; & mortuus est. *Palpitationem per totum*, inquit Hipp. 1. *Pror. sæpe sequi-*

tur defectus loquelæ & obmutescentia, & inde mors ; nam cùm palpitatio est per totum, refrigeratio est per totum ; refrigerationem autem talem facilè sequi potest defectus loquelæ, musculis sc. refrigeratis ac stupore affectis, vt *in comm.* inquit Gal. facilè sequitur mors, quippe quæ in frigore ac caloris extinctione consistit.

Not. tamen, quòd sicut de omnibus aliis pessimis symptomatibus dictum est, etiam aliquæ palpitationes possint esse bonæ; nimirum quando sunt criticæ ; nam sicut, tremores, conuulsiones, rigores possunt esse critici, ita & palpitationes ; quod probatur ex Hippoc. 1. *Pror.* vbi sic loquitur : *ventris quoque palpitationes cum hypochondrij tensione sublongâ & tumente indicant sanguinis eruptionem ; inhorrescunt autem hi*, inquit.

§. VI.

A gesticulatione manuum.

A manuum motu pars affecta ac periculum in morbis aliquando cognoscitur. Fricatio narium perpetua in pueris vermium signum est. Fricatio virgæ & continua manus admotio inter signa calculi ponitur. Qui apoplexiâ tacti sunt, siue à causâ naturali, siue à casu, siue ab ictu violento, ratione destituti perpetuò manum capiti admouent ; quia ibi mali causam ac læsionem percipiunt, quas manu cogitant amouere : sic in doloribus, cui parti ægri sæpiùs manum admouent, ibi dolorem sentiunt. Inordinata manuum gesticulatio in febribus acutis, delirij, & consequenter pernicioſum signum est : sic 1. *Prognost.* 23. *In febre acutâ aut phrenitide aut pulmoniâ, aut capitis dolore, qui manus ad os fert, aut muscas, quæ non adsunt venatur, aut festucas colligit, aut floccos à veste carpit, aut stipulas à pariete colligit, id omne malum atque exitiale est* ; quia indicat delirium, quod in acutis febribus est lætale. 3. *Epid. sect.* 3. *text.* 86. scribit Hippoc. de vxore Dealcis, quòd semper tacita villos straguli carpebat, & scalpebat, plorabat, & mox ridebat ; quæ omnia sunt signa delirij.

§. VII.

A pandiculatione & oscitatione.

Pandiculatio nihil est aliud, quàm omnium corporis partium distentio. Differt pandiculatio ab oscitatione ; quod pandiculatio sit symptoma omnium musculorum, oscitatio verò solùm musculorum iuxta maxillas, vt docet Galen. 2. *de caus. sympt. cap.* 5. fiunt autem pandiculatio & oscitatio, cùm spiritus aliquis vaporosus in musculis contentis expellitur. Pandiculatio & oscitatio in sanis signa sunt somnolentiæ, vel somni prægressi non absoluti, cum quo adhuc dormiendi voluntas permanet.

In

In ægris verò sunt signa imminentis febris : sunt autem signa non continuarum, sed intermittentium febrium ; nam ante paroxysmum intermittentium febrium semper pandiculationes & oscitationes præcedunt, ratio est, quia ante paroxysmos in illis febribus, cùm iam humores paroxysmum facientes incipiunt moueri & agitari, vaporosa fuligo è vasis in musculos extruditur, vnde pandiculatio ; cumque multus sæpe aër cum iis sic extrudatur, is ad partes oris exitum quærens ipsum diducit & aperit, vnde fit oscitatio.

§. VIII.

A decubitu.

Multa etiam à decubitu signa sumuntur tùm partis affectæ tum futuri euentus, tum ipsius morbi. *Ægrotum cubare sicut in sanitate ordinariè solet, est bonum signum*, inquit Hipp. 7. *Coac. si.* Et 1. *Prognost.* 16. Plerumque autem solent sani cubare in alterutrum latus, pedibus nonnihil contractis ; & ideò talis cubandi ratio in ægris est bonum signum ; nisi fortè habuerit semper aliam cubandi consuetudinem ; nam tum cubare eum sicut sanus consueuit non est malum, sed bonum. Cubare autem in latus est bonum signum ; quia est signum robustæ adhuc facultatis motiuæ valentis sc. corpus adhuc ita super latus sustinere, ne in dorsum cadat ; decubitus enim in latus non fit nisi cooperante facultate motiuâ, & musculis ita corpus super latus continentibus ; nisi enim ipsum ita sustinerent, corpus suâ grauitate concideret in dorsum, vt Galen. *comm.* 1. *Prognost. sect.* 17. testatur. Supinum autem cubare est malum ; idque dupliciter, vt causa sc. & vt signum. Vt causa : quia hoc decubitu respiratio læditur, propterea quòd tum pondus thoracis pulmoni incumbat, quod non fit cum corpus decumbit in latus. 2. quia talis decubitus infert terribilia somnia, quia respirationem lædit & disponit ad incubum, apoplexiam, paralysim ; eo quod pituita in cerebro per noctem collecta faciliùs in spinalem medullam & posteriores cerebri ventriculos, qui sunt digniores, decidat. 3. quia naturaliter pituita debet purgari per nares, talis autem decubitus plurimùm impedit talem euacuationem. Vt signum : quia indicat debilitatem potentiæ animalis non valentis corpus in latere sustinere, sed sinentis ipsum suâ grauitate cadere in dorsum, quod est malum in grauissimè ægrotantibus & debilibus. Sic morientes omnes in dorso iacent, nec in latere possent sustineri. *Decumbere in ventre, nisi æger sit assuetus, est etiam malum* ; vt habetur 1. *Prognost.* 22. est autem malum dupliciter ; & vt causa, & vt signum. Vt causa ; quia impedit respirationem, imò in pueris, senibus, debilibus sæpe posset causare suffocationem : vt signum ; quia vel est signum delirij, vel doloris ventris : delirij quidem, quia æger aliquid facit contra consuetudinem, honestatem, & citra rationem ; doloris ventris ; quia sæpe dolore ventris

tris laborantes delectantur seu voluptatem capiunt manibus ventrem premendo, vel ei incumbendo, præcipuè quando dolor à flatibus causatur; quia flatus inferunt dolorem tendendo, tensio autem illa reprimitur pressione manuum vel incubitu in ipsam. Ægrum in lecto non diu posse sedere erectum, sed statim decumbere est signum debilitatis. Non posse dormire capite demisso sed debere dormire corpore eleuatiore & valde erecto, idque præter consuetudinem, signum est difficultatis respirandi & orthopnææ: nam erecto existente corpore minore molestiâ musculi eleuantur, & viæ thoracis sunt latiores, quàm dum grauitate suâ pulmoni incumbunt, & eum coarctant. Residere frequenter in lecto est etiam malum signum; nam vt ait Galen. *in prognost.* causæ cur ægri velint frequenter in lecto assurgere & sedere sunt inquietatio, vel delirium; nam modò velle decumbere, modò velle residere est signum magnæ angustiæ & inquietudinis; morbi enim vehementia & magnus æstus faciunt, vt non possint manere quieti, sed semper quærant mutationes. Est etiam signum delirij; nam delirantes sunt inquieti, & quid faciant ignorant. Manibus & cruribus extensis ac distractis dormire est etiam malum; nam qui ita iacent, id faciunt vel scientes vel delirantes: si scientes, signum est magis doloris & angustiæ, & quod placidè dormire non possint: si delirantes, iam hoc malum est, quatenus est signum delirij proiectis manibus pedibusque iacere, capite ceruicali incumbente, vt mentum in altum erigatur, vel vt caput à ceruicali ita inflectatur, vt mentum clauiculis incumbat, iam mortis signum est. *Ægrum semper decidere ad imum lecti, vel ad pedes deorsum delabi*, inquit Hipp. *magno cum periculo est*; quia est signum debilitatis potentiæ motiuæ, quæ non valet corpus continere loco lecti eleuatiore, sed finit ipsum semper deorsum ad pedes prolabi. Verùm considerandum est, an talis decubitus fiat ratione debilitatis; nam aliquando fit propter aliam causam, quia sc. vel lectus malè stratus est, vel quia æger ob frigus magis in lectum se immergit, vel hoc facit, vt pedibus imum lecti tangat, & eo tanquam corporis suo fulcro vtatur. Pedes extra stragula protrudere, est signum vel magni ardoris, vel inquietudinis, vel delirij: si est in paroxysmo febrili, & pedes valde caleani, est signum magni æstus, aliàs inquietationis. Et si aura sit frigida, pedes frigidi, est signum delirij. Si quis ob præcordiorum aut abdominis dolorem conqueratur, & decubitu in ventre vel pressione manuum iuuetur, signum est colicæ ac doloris à flatu; at si attactum non fert, neque stragula super ventrem nisi leuissima tolerare potest, signum est inflammationis. Ex decubitu etiam pars affecta cognoscitur: in inflammatione hepatis facilior est decubitus in latus dextrum, quàm sinistrum; ratio est, quia si in sinistrum decumbat, pondus hepatis inflammati, quod est in dextro, propendet versus latus sinistrum, & ita mole suâ distrahit membranas, & vincula, quibus alligatur, & diaphragma attrahitur; vnde dolor, anxietas & difficultas respirandi. At quando decumbit in dextrum, tunc hepatis moles in dextro existentis

existentis placidè sine tali diuulsione ac tensione incumbit in musculos abdominis ac lectum, & ita quietus iacet: sic etiam qui pleuritide laborant, non possunt incumbere in latus sanum, propter eandem causam; quia tum phlegmone propendet ad cauitatem thoracis, & sic pondere suo diuellit pleuram à costis & thorace; sed decumbunt meliùs in latus ægrum; quia tum moles phlegmonis non dependet in partem oppositam, sed thoraci leuiter incumbit; atque hoc est, quando phlegmone est interna; sed quando est in ipsis musculis thoracis, tunc difficiliùs incumbunt in latus ægrum; ratio est, quia cùm phlegmone tunc sit valde externa, dolet pars à tactu externo, non dolet autem cum phlegmone est profunda & interna; & ideò qui laborant phlegmone interna, non sentiunt dolorem à pressione aut à tactu externo lecti; at cum phlegmone est externa, tunc à pressione lecti sentiunt dolorem. Quid significet hiante ore dormire non est huius loci exprimere.

§. IX.

Ab inquietatione.

Hoc signum ad decubitum etiam referri posset; vocatur autem inquietatio, quando æger est valde inquietus, & nullo situ permanere potest, sed singulis momentis se modò in dextrum, modò in sinistrum latus vertit, modò in ventrem, modò erigit, modo ab vno lecto ad alterum transferri cupit, modò pedes contrahit, modo extendit, & in singulas horas lectum aliter sterni iubet; aliquandò vocatur iactitatio, iectigatio, anxietas. A causis variis contingit hæc inquietudo; interdum cùm stomachus ciborum quantitate, aut multis prauis humoribus ad vomitum commoueri incipientibus est oppressus; vel cum humor aliquis malignus os eius obsidet. Interdum ab inflammatione internâ diaphragmatis, hepatis, vel aliorum viscerum dolores ac puncturas inferente; interdum ab occultâ morbi ac humorum malignitate, vt in peste. Interdum à maximo febris ardore, præsertim in statu; interdum cum humores in venis ac circa præcordia turgentes agitantur; vel cùm crisis instat & humores morbifici à naturâ coqui & expelli ac agitari incipiunt. In pueris contingit aliquando à vermibus ad os stomachi ascendentibus, ipsumque pungentibus. Frequenter etiam contingit in variolis antequàm erumpant, & cùm erumpunt, cessat. Inquietudo, si æger cibo se impleuerit, si nausea adsit, vitio stomachi oriri significatur; idque magis si subsequente vomitu cessauerit; quod tùm fit, quando causa inquietudinem faciens, in stomachi cauitate fuerit contenta; nam si ea in paucâ sit quantitate, & vel tunicis vel orificio stomachi impacta; nec sequitur vomitus, nec etsi sequeretur, ideò statim inquietudo cessaret. Si inquietudo est cum dolore interno, & intus maximus ardor percipitur, & foris pedes ac manus frigeant, potiùs erysipelas aut phlegmo-

nem in internis partibus indicat. Si signa coctionis præcesserê, natura sit valde valida, & postridie sit dies critica, vt si sit dies sexta, & adsint alia signa iudicatoria, signum est postridie crisim esse futuram. Hinc Hippoc. 2. *Aphor.* 13. *quibuscunque iudicatio fit, iis nox ante accessionem grauis existit.* Omnis inquietudo seu anxietas, exceptâ eâ quæ critica est, est mala; non omnis tamen est æquè mala aut pernicioſa, quæ contingit vitio stomachi, non semper est periculosa, quia non diu durat, & vomitu oborto sæpe cessat. Ideo Hippoc. *in Coac. prænot.* dicit, *quòd anxietas cum fastidio & nauseâ non sit maligna:* sic 7. *Epid. text.* 85. Cheotini vxor in febri semitertianâ, cum febris inciperet, habebat anxietatem, vomitum, horrorem ac sitim, procedente verò febre cum melicratum potasset & vomuisset, horror & anxietas sedata sunt. Contingit verò talis anxietas sæpe in accessionibus febrium intermittentium cum nauseâ; & talis non est pernicioſa. Anxietas quæ fit propter magnitudinem æstus in febribus acutis, tempore status, etsi non sit bona, quippe quæ magnitudinem æstus febrilis indicat, tamen non est pernicioſa ac lætalis, quia ex ratione morbi & symptomatum ardentibus febribus est propria. Si inquietudo fiat propter morbillos aut exanthemata, quæ necdum eruperunt, non est etiam tam mala, quia iis prorumpere incipiẽtibus cessat, & talis inquietatio est quodãmodo critica, qualẽ diximus non esse malã. At anxietates & inquietationes, quæ fiunt in febribus malignis, seu in iis febribus, quæ foris apparent esse mites & benignæ, & quibus exteriora non videntur multum calere, quales febres; vel propter internam inflammationem, vel propter abundantiam putridorum humorum in venis circa præcordia æstuantium, vel vitium imbecillitatem contingunt, illæ sunt periculosæ. Omnium verò pessimę, quæ cum animi deliquiis, cum sudore frigido, cum externâ manuum ac pedum refrigeratione contingunt. Talis fuit in sileno, de quo Hipp. *in Epid. lib. 1. com. 3. text. 9.* sic 1. *Pror. text. 26. quæ cum refrigeratione*, inquit Hipp. *& febre & sudore partium superiorum fiunt inquietationes, sunt phrenitica & pernicioſæ.* Pessimæ sunt inquietationes in die critico, quas nulla sequitur humoris morbifici euacuatio: Sic 2. *Pror. text. 27. quæ in indicatoriis diebus cum proiectione & inquietatione & absque sudore contingunt perfrigerationes, male*, inquit, *existunt.* Inquietudo in sanis futuros morbos prænuntiat.

§. X.

A lassitudine.

Lassitudo est duplex, alia fit à laboribus, vel aliâ causâ manifestã, quæ non est huius loci; alia est spontanea & sine vllo labore fiens, de quâ hîc est sermo. Hæc autem est triplex, teste Galeno: vlcerosa scilicet tensiua, & phlegmanosa. Vlcerosa est, cum sentitur quædam lassitudo, & impotentia ad motum cum quadam corrosione ac vlcerationis sensu,

sensu, quasi corpus pungeretur multis aciculis. Tensiua est, cùm sentitur quædam tensio, & homines sentiunt se grauatos, & talis sensus tensionis est in partibus, ac si partes ruptionis sensu paterentur. Phlegmanosa est, quando in eâ percipitur vtraque illa lassitudo, tensiua scilicet seu sensus tensionis, & vlcerosa seu sensus corrosionis ac punctionis. Et phlegmanosa talis est, vt ægri sentiant se musculos quasi contusos & calentes habere, imò sentiunt quasi ossa contusa ac fracta; vnde hæc lassitudo etiam ostocopos vocatur. Vlcerosa lassitudo fit à cacochymia, & ab acribus ac mordacibus humoribus, qui è venis in musculos sese insinuant; tales enim propter acrimoniam suam in musculos faciunt sensum vlceris. Tensiua lassitudo fit à plethorâ siue à tensione venarum; nam si adesset etiam cacochymia, non sola tensio sentiretur, sed etiam sensus corrosionis, & etiam vlcerationis. Phlegmonosa fit à plethorâ simul cum cacochymia mixta; propterea quòd in phlegmonosâ & tensionis & vlcerationis sensus adsit. Ex his facilè est colligere, quid eiusmodi lassitudines in morbis indicent; *in primis*, vt inquit Hippoc. 2. *Epid.* 15. *spontaneæ lassitudines morbos prænuntiant*; significant enim morbificam aliquam causam contineri, seu plethoram seu cacochymiam, à qua ipsæ causantur; de quibus verendum est, ne breui morbum inducant. Tensiua lassitudo plethoram indicat & futuros morbos, quales à plenitudine sanguinis possunt causari. Vlcerosa indicat cacochymiam & futuros morbos è bile, ac acribus humoribus, ac morbos à putredine humorum fientes. Phlegmonosa & plethoram & cacochymiam indicat, & morbos consequenter graues. Lassitudines in ipsis morbis & præcipuè acutis ortæ, plerumque sunt malæ. Dico (plerumque) quia aliquæ lassitudines quodam modo sunt criticæ; nam aliquando humores è venis critico modo à naturâ ad externa propelluntur, & tales lassitudines morbis oborientes sunt bonæ. Itaque lassitudines crurum & aliorum membrorum cum signis concoctionis & cum morbi prioris remissione sunt bonæ. Bonæ sunt etiam illæ, quæ superueniente euacuatione euanescunt; nam significant criticam expulsionem; malæ quæ perseuerant. Lassitudines aliquando prænuntiant abscessus: sic. 4. *Aphor.* 31. inquit Hippoc. *quoquo modo in febribus facta sit lassitudo, ad articulos, maximè & circa maxillas, fiunt abscessus.* Lassitudines cum multis aliis symptomatibus sunt malæ; indicant enim naturam ab humoribus vndiquaque obrui. 2. *Proret. text.* 3. sic habetur; *quibus aluus liuida, lassitudo, capitis dolor, sitis, vigiliæ, obscuritas, oculorum & impotentia fuerit, vt mente moueantur spes est.* Et 1. *Coac. sect.* 1. *text.* 36. *Delassati, caligi osi, peruigiles, in somnum proni, desudantes, recalescentes, malum.* Et 3. *Coacar. sect.* 1. *Lassati, singultuosi, stupore occupati, malum, &c.*

§. XI.

A paralysi & torpore membrorum.

Paralysis omnis necessariò fit vel cerebri vel spinalis medullæ vitio; vnde omnis paralysis aliquam istarum partium læsam indicat. Contingit paralysis aliquando à manifestâ causâ, aliquando ab internâ. A manifestâ, vt argento viuo, decubitu per noctem in frigidâ & humidâ terrâ, partium refrigeratione maximâ, morâ in aquâ, casu ab alto, percussione, &c. paralysis ergo aliquam ex illis causis indicat. Omnis autem paralysis est mala & difficilis curationis, præcipuè in ætate senili: quæ à præsectione nerui, luxatione, est incurabilis: quæ à casu ex alto & ictu capitis, est periculosa ac lætalis; quæ fit per se primò ab obstructione vel compressione contingit; obstructio illa à frigidis ac pituitosis plerumque fit humoribus; compressio à tumoribus: sic Galen. 1. *de loc. aff. cap.* 6. dicit quemdam incidisse in stuporem digitorum propter tumorem factum circa septimam vertebram; hinc paralysis refrigerationem ac pituitam neruis impactam indicat; aliquando sequitur alios morbos, vt apoplexiam, epilepsiam, colicam, febres acutas, febres chronicas, lethargum, peripneumoniam, &c. Aliquibus morbis superueniens est bona, aliquibus mala. Cum apoplexiæ, epilepsiæ, colicæ superuenit, eas soluit; & talis paralysis est critica, quia fit humoribus à naturâ in spinalem medullam, genus neruosum, ac habitum corporis expulsis. Tum bonum est paralysim esse criticam, quando prior morbus est periculosior & deterior paralysi superuenienti; at quando paralysis est deterior, tum non est bona, nec talis censetur esse critica, sed potiùs symptomatica, & paralysis per transmissionem ac metastasim humorum facta. Tunc paralysis cognoscitur esse critica, quando illâ superueniente prior morbus minuitur, vel cessat. In febribus acutis torpor ac paralysis sunt malum, quia frigiditatem cerebri, ac caloris natiui defectum indicant, quæ in omnibus acutis sunt mala, nisi sint critica, quod rarò fit. Torpores & sensus priuationes, præcipuè in senibus futuram apoplexiam significant. Partes quæ paralysi sunt affectæ, indicant quo loco causa morbifica sit contenta; de quo apud Practicos.

§. XII.

A Casu in terram.

In aliquibus morbis contingit, vt ægri subitò nolentes in terram cadant, nec pedibus consistere possint, & sensu motuque quodammodo priuentur; talis subitus casus est malum signum; nam indicat magnitudinem mali, quòd ita in momento omnes corporis vires & virtus motiua pereant, vt ægri cadere cogantur. Indicat autem casus offensionem cere-

bri

bri eamque maximam & facultatis animalis omnimodam læsionem. Læditur autem cerebrum & potentiæ animales vel affectu primario, vel affectu per consensum. Casus non indicat necessariò læsionem cerebri per se, sed vel vno vel altero modo; nam casus ille contingit & in morbis primariis cerebri, vt in apoplexiâ & epilepsiâ; contingit etiam in morbis qui non sunt cerebri, sed aliarum partium, vt in leipothymiâ, quæ est affectus cordis, in vulnere thoracis, &c. Solet autem casus fieri maximè in 5. morbis: in apoplexiâ, epilepsiâ, catalepsi, suffocatione vteri, & leipothymiâ, sub quâ potest comprehendi magnum vulnus subitam & magnam sanguinis effusionem, indeque lipothymiam inducens. Potest etiam fieri; si magnus intùs abscessus subitò rumpatur, vel in paracentesi pus vel aqua confertim effluat. Potest etiam fieri casus à subito timore; sed ab his postremis fit, quatenus ab eis fit lipothymia. Non potest autem hic casus fieri, nisi in morbis, qui vel cor vel cerebrum offendunt per se vel per sympathiam, à vaporibus sc. aut humoribus malignis subitò ad ea delatis; vel à spiritibus subitò euacuatis aut subtractis; nam si cerebrum læditur, mox facultas animalis & motiua pereunt; vnde corpus motu destinatum cadit: si cor læditur, vitales spiritus à cerebro retrahuntur, quibus destitutum cerebrum priuatur etiam facultatum suarum vsu; quippe quæ lumine à corde transmisso egent.

Quæritur: an verum sit, quòd vulgus dicit, illam apoplexiam esse simpliciter lætalem, in quâ æger in terram cadit. Respond. subitum casum esse signum magnitudinis magni; & ideò sic cadere est malum signum; sed an ceciderit super lectum, aut terram quoad hanc rationem seu quoad rationem signi est indifferens; est tamen aliquando malum vt causa cecidisse in terram, quia potest contingere vt tali casu se læderit, & caput allisérit contra terram, quâ concussione absque dubio apoplexia augeretur.

CAP. VII.

A Respiratione.

§. I.

RESpiratio mutatur vel ratione finis, vel ratione potentiæ mouentis, vel ratione instrumentorum. Ratione finis; nam si calor est maior vel minor, id est, necessitas maior vel minor refrigerij, quod est finis respirationis, variatur respiratio: si potentia est fortis vel debilis, eadem permutatur. Si membra ad refrigerationem concurrentia benè vel malè se habent; eodem modo semper contingit in respiratione differentia; ideoque differentia respirationis vitium vel circa vnum vel circa alte-

rum istorum indicat. Porrò instrumenta ad respirationem concurrentia sunt plurima, cerebrum, nerui, nares, fauces, thorax, pulmo, mediastinum, diaphragma, musculi, aspera arteria, venæ & arteriæ pulmonis: quapropter vitio vnius istorum læditur respiratio; nam ad bonam respirationem debent omnia illa instrumenta bene sese habere; ad malum sufficit vitium vnius; & propterea respiratio vitiata non indicat affectum vnius istarum partium tantùm, sc. pulmonis aut diagphragmatis, sed supradictarum omnium; nam sæpe tam bene imò magis sæpe læditur respiratio propter vitium vnius saltem partis coadiuuãtis ad modum & bene esse respirationis, & concurrentis tantùm per modũ causæ sine quâ non, quapropter vitium partis effectiuè & principaliter respirationem facientis. Itaque respiratio læsa est dubium signum, & non indicat necessariò vitium pulmonis, sed vel vitium eius vel diaphragmatis, vel cerebri, vel asperæ arteriæ, vel faucium, vel hepatis, vel vteri. Cuius autem vitio contingat ex aliis signis concurrentibus debet colligi: Sic in amantibus propter imaginationem distractam, in phrenitcis per obliuionem respiratio fit rara & suspiriosa: Sic vitio potentiæ motiuæ existentis in cerebro læditur respiratio. Contingit etiam respirationem lædi vitio hepatis; nam in inflammationibus hepatis respiratio læditur propter diaphragmatis coarctationem. Vitio vteri, vt patet in strangulatione; nam in eâ aliquando respiratio in totum aboletur. Vitio colli & asperæ arteriæ, vt patet in anginosis, strangulatis per suspensionem. Vitio cordis, sic corde excalefacto respiratio fit maior & crebrior. Vitio stomachi ac ventris inferioris; sic cibo repletis, hydropicis, mulieribus grauidis parua cebraque fit respiratio, nullius ergo partis vitium, nec vllum determinatè morbum indicat vitiata respiratio. Propter multos alios morbos adhuc potest vitiari respiratio, vt propter inflammationem, obstructionem tubercula, puris collectionem, compressionem, magnam ac diuturnam exulcerationem, per quam pulmonis substantia est diminuta, neruorum ac musculorum paralysim, &c. Respiratio enim neque partem affectam, neque morbi speciem bene potest indicare. Meliùs autem indicat futurum morbi euentum, periculum sc. vel salutem; nam cùm actio ad vitam valde sit necessaria, eam bene se habere est bonum signum; malè verò, malum. Respiratio itaque cùm sit symptoma, & consequenter indicet per modum effectus, ideò maximè indicat suam causam: vnde si sciatur, quænam sint causæ singularum differentiarum respirationis, scitur quoque quid indicent. Porrò cùm respiratio constet duabus partibus, inspiratione & expiratione, à tota respiratione seu vtraque simul, vel vnaquaque seorsim signa desumi possunt. Inspirationem esse expiratione iucundiorem, signum est magni æstus & caloris; nam inspiratione attrahitur frigidus aër, quo æstus ille retunditur. Expirationem inspiratione esse iucundiorem, signum est cor & pulmonem obrui prauis vaporibus ac fuliginibus. Inspirationem expiratione esse molestiorem, iucundiorem verò expirationem, indicat

etiam

etiam inflammationem, dolorem, angustiam, obstructionem, ac pondus circa partes anhelitus, & debilitatem potentiæ motiuæ respirationem facientis; nam hæc omnia faciunt inspirationem esse molestam, difficilem atque doloroſam; nam tum non possunt partes thoracis facilè & sine dolore dilatari; expirationem verò illa eadem faciunt facilem; quia expiratione concidit thorax, quæ concidentia fit minori conatu & minori robore facultatis, & per concidentiam pulmo recedit à partibus dolentibus & inflammatis, vnde illa concidentia non est doloroſa. Aëre frigido delectari est signum magni caloris, & obstructionis in pulmonibus; eo verò lædi est signum frigiditatis. Lædi inspiratione aëris frigidi, est etiam signum aliquando asperæ arteriæ exulceratæ. Anhelitus fœtidus quid indicet, videndum est infra, vbi de signis à fœtore. Expiratio calida est signum magni ardoris & æstus interni; expiratio frigida contrà defectus caloris. *Qui frigidus ex naso & ore expiratur spiritus*, inquit Hipp. *in Prognost. admodum exitialis est*, quia emortuam indicat facultatem. Respiratio magna indicat robur facultatis cum calore magno & instrumentorum obedientiâ & sanitate. Respiratio parua instrumentorum angustiam, facultatis imbecillitatem, dolorem in partibus vel frigiditatem indicat; nam propter dolorem non potest thorax multùm dilatari; nam motu dolor exasperatur in partibus vicinis: Sic Hipp. 1. *Prognost.* 27. *spiritus crebrior indicat dolorem aut inflammationem super præcordia.* Obstructio etiam & adstrictio paruam faciunt respirationem, sed tantò crebriorem ac celeriorem. Respiratio celeris ac crebra indicat calorem seu vsum auctum, & dolorem; nam cùm dolor impediat magnitudinem, debet deficiens magnitudo celeritate compensari: indicat etiam facultatis imbecillitatem, quæ cùm tam debilis sit, vt non possit facere magnam respirationem, facit saltem celerem & crebram. Obstructio & compressio externa, cùm non patiantur magnam respirationem, sunt causa, vt fiat celeris & crebra. Hinc tumores qui circa ventrem sunt, vt in liene, stomacho, colo, quia septum transuersum coarctant, paruam celerem ac crebram faciunt respirationem. Hinc asciticis, mulieribus grauidis, cibo repletis, magnum ventrem habentibus, respiratio est parua, celeris ac crebra. Respiratio rara etiam obliuionem, delirium, amorem atque lethargum indicat. Spiritus sublimis, teste Galen. 6. *Epid. comm.* 2. ab Hippoc. vocatur, cùm ad scapulas vsque thorax mouetur; & talis, inquit, indicat magnum in respiratione impedimentum vt v. g. peripneumoniam, magnum asthma, anginam, orthopnæam, empyema; & talis respiratio est pernicioſa: sic morientibus omnibus spiritus fit sublimis. Respiratio inæqualis ac interciſa indicat dolorem, vt in anginâ, pleuritide, facultatis imbecillitatem, mentis perturbationem, obstructionem, aliquando & musculorum thoracicorum conuulsionem. Respiratio cum sensu suffocationis vel indicat aëris vitium: sic qui in aëre sunt angusto, infecto prauis humoribus & fumo carbonum, calcis, gypsi, &c. videntur siti suffocari; vel indicat

obstructionem

obstructionem asperæ arteriæ ; vel venenatam qualitatem vaporum ad diaphragma ac pulmonem ascendentium , vel musculorum thoracem mouentium debilitatem ac resolutionem. Respiratio abolita indicat catarrum suffocantem, lætalem anginam, apoplexiam , vteri strangulationem, mortem imminentem. *Bona respiratio*, inquit Hipp. 1. *Prognost. text.* 25. *in acutis morbis est bonum signum ; est enim signum omnes partes respirationi seruientes*, vt inquit Galen. *in comm. nempe cor , thoracem, pleuram , pulmonem, trachæam , &c. bene se habere* ; nam si vlla earum malè se haberet , bona non esset. Et 1. *de Crisibus* , inter bona signa recenset bonitatem respirationis. Pessima autem est mala respiratio , præcipuè quando cum prauis aliis signis concurrit ; nam si praua alia signa non adsint, censebitur peculiari aliquo alicuius partis respirationi seruientis vitio prouenire : sic Hippoc. 4. *Aphor. in febre*, inquit, *non intermittente , si spiritus difficilis acciderit , & desipientia, lætale est.* Malæ respirationes sunt respiratio sublimis , in quâ & scapulâ & pinnæ narium mouentur ; respiratio simul parua, celeris & crebra , respiratio stertorosa & cum stridore, respiratio inæqualis & interciſa, respiratio frigida , respiratio luctuosa & suspiriosa, modò non sit à causâ manifestâ , respiratio obscura. De frigidâ respiratione sic loquitur Hippoc. *in Prognost. qui verò frigidus de naso & ore exspiratus spiritus , exitialis iam est ; quia emortuam indicat facultatem.* Et 6. *Epid. text.* 36. *signa mortifera per cutem calidus vapor, prius nares frigidum spiritum reddunt*, &c. etiam pessima est obscura respiratio , seu tam parua , vt nullus quasi spiritus sentiatur exire. *Sect. 3. text. 39. coacar.* sic habetur : *pessimus autem est & morti propinquus spiritus vrgens & obscurus* , pessima etiam est in acutis stertorosa respiratio ; nam hæc imminentem mortem indicat , & pridie plerumque ante mortem accidere solet ; hanc nonnulli medici raucum murmur vocant , vel vt Belgæ *den rotel* ; in hâc respiratione in gutture quædam ebullutio & strepitus phlegmatum ac quasi stertor percipitur ; hic strepitus ac sonus latinis ebullitio, Hippoc. ranchos , atque rexis , aliis regmon dicitur. Hic sonitus indicat facultatem planè extinctam , vt non valeat ex faucibus excrementa expellere. In pleuriticis & peripneumonicis fit stertor ille propter angustiam, aut sputi retentionem. Cùm respiratio parua & difficilis est ; proprium est omnium morientium, vt hunc stertorem habeant , sed præcipuè pleuriticorum & peripneumonicorum seu suppuratorum. Vt autem sciatur, an verè hic stertor lætalis sit, considerandum est, quando, & cum quibus signis eueniat : nam si cum pessimis signis contingat in vigore morbi, tum verè est exitialis. Sic Hipp. 6. *Epid. text.* 34. loquitur de Menone pleuritico : *die* 16. inquit, *spiritus iam stertorius erat , sudor circa frontem & ceruicem, somni comatosi*, &c. vbi dicit illum spiritum fuisse lætalem , quia fuit cum prauis aliis signis coniunctus, & in fine morbi ; nam in principio & sine aliis signis lætalibus, potest non esse lætalis , vt in pleuritide & peripneumoniâ incipiente ac ebre catarrhali , astmate & orthopnoxâ, vbi ob excrementorum multi-

tudinem

tudinem, vel catarrhi in fauces defluxum aliquando talis respiratio stertorosa fieri potest. De spiritu sublimi etiam loquitur Galen. 3. *Epidem. text.* 24. & dicit, esse lætalem, & contingere propter summam debilitatem vel suffocationem, & non nisi in moribundis apparere. 7. *Epid.* 39. loquens de vxore Lympiadis, *oculi*, inquit, *tristes, spiritus sublimes, nares trahebantur, color prauus, sudor circa pedes & crura; cùm iam circa mortem esset*, & infra loquens de Aristocrate moribundo; *ad mortem*, inquit, *spiritus sublimis est factus, sudor exiguus circa frontem, inferna partes frigidæ, &c. mortuus est.* Mala est etiam & exitialis luctuosa in febribus respiratio, nisi forte à manifestâ causâ, vt mœrore, contingat; indicat enim anxietatem, inquietudinem, potentiæ motiuæ debilitatem, & indicat, quòd inspiratio difficilis sit, expiratio verò voluptuosa; propterea quòd expiratio fiat sine difficultate & conatu facultatis, inspiratio verò cum labore eius; indicat etiam cor à prauis fuliginibus ac malignis vaporibus opprimi, à quâ oppressione leuantur ægri expiratione; in luctuosâ enim & suspirioſa respiratione adest quædam in expiratione voluptas. Hippoc. 6. *Aphor.* 58. Sic inquit, *in acutis passionibus, quæ cum febre luctuosa sunt suspiria, mala.* Mala est etiam respiratio intercisa; respiratio intercisa est talis respiratio, qualis fit in pueris plorantibus; hæc respiratio fit vel propter facultatis imbecillitatem, quæ nequit vnicâ vice ac continuo motu respirationem facere, sed eandem facit quibusdam interuallis & intermediâ quiete, vel fit ob instrumenti inobedientiam, vel propter dolorem in membris respirationis, vel propter magnam duritiem, propter quam membra respirationis non sunt æqualiter explicabilia, quæ durities ab exiccatione propter magnitudinem caloris causatam contingit; vel fit ob aliquam in musculis pectoris conuulsioni similem dispositionem, quæ facit quandam in respirando retractionem: à quacunque causâ hæc respiratio fiat, semper est mala: de hâc respiratione loquitur Hippoc. 4. *Aphor.* cùm dicit: *in febribus spiritus offendens, malum; conuulsionem enim significat.*

§. II.

A sternutatione.

Sternutatio fit, quando cerebrum aliquid sibi molestum excutere studet. Exiccatur ad hunc modum cerebrum tum ab humoribus mordacibus, tum à frigidis & pituitosis, sed maximè cum ab accidente capitis dolore in flatum resoluitur. Quòd à mordacibus excitetur sternutatio, patet ex eo, quòd attracta euphorbij, piperis, pyrethri & aliarum rerum actium substantiâ aut fumis, mox ad sternutationem excitemur. A pituitâ simplici non adeò fit sternutatio, quia videmus nos copiosa phlegmata per nares excernere, sine eo quòd vllam excitent sternutationem, sed tamen fit maximè sternutatio, cum illa phlegmata mucosa in fla-

tum resoluuntur; & hæc est causa, cur manè collectis in cerebro muccis tum incipiamus sternutare, quando nos aëri & radiis solis, præcipuè nudo capite, exponimus; quia sc. calore aëris illi mucci resoluuntur & in flatus conuertuntur. Sternutatio est bonum, & interdum malum signum; est signum vnum ex illis, quæ dicuntur esse bona ex malâ causâ; est signum bonum quat. indicat robur naturæ conantis & valentis expellere; non enim fit sternutatio, nisi cum insigni robore facultatis motiuæ: est signum malum quat. indicat malam causam, quæ naturam ad eiusmodi motum ac expulsionem irritat. Sternutamenta multa in sanis grauedinem indicant; nam qui grauedine laborant frequenter sternutant. Citra grauedinem copiosæ in sanis sternutationes futurum morbum præsagiunt, vt habetur *cap.*82. *artis medicæ.* prosunt autem sternutamenta grauedini superuenientia, & in grauedine sæpe sunt arte prouocanda; quia per sternutationem causa ipsa grauedinem faciens expellitur, vt Galen. *lib. de instrumento odoratus* testatur. In caro, lethargo apoplexiâ, catalepsi, & similibus capitis affectibus sternutatio prodest; sicut etiam in doloribus capitis ab halituoso spiritu genitis; quia causam morbificam tollit. Bona est etiam sternutatio in morbis ac febribus acutis, tum sc. cùm materia est cocta; quia indicat validas vires & vegetam facultatem expultricem, & consequenter futuram crisim bonam; vt docet Galen. 2. *de caus. sympt. cap.*4. Hæc enim duo ad crisim requiruntur, robur sc. naturæ vel facultatis expultricis, & materia concocta. Id mulierculæ nouerunt, quæ cùm eiusmodi morbis ter audiunt ægrum sternutare, dicunt eum iam euasisse periculum, conualescere & ex xenodochio esse expellendum. Et in exitiosis morbis sternutamenta vtilia esse scribit Hippoc. 2. *Prognost.* 49. A materiâ non concoctâ sternutatio mala; quia concitat humores & facit eos turgere & motu impedit coctionem eorum, quæ tamen quiete perficitur. Rauedines & sternutamenta morbos pulmonis simul & præcedere & subsequi, malum; est autem malum & vt causa & vt signum. Vt signum, quia indicat maximam humorum abundantiam, quam natura & ante & post conatur expellere, & tamen non potest. Vt causa, quia humores in capite per grauedinem existentes sternutatio concitat & in pulmonem decidere facit. *Singultui sternutatio superueniens eum tollit*, inquit Hippoc. 6. *Aphor.* 13. ratio est, quia sternutamentum etiam euacuat partes inferiores; nam sternutatione non solùm cerebrum & stomachus plurimùm mouetur & concutitur, quâ concussione materia in ipso contenta frequenter expellitur. *Mulieri vteri suffocatione*, inquit Hipp. 5. *Aphor.* 35. *vel difficultate partus laboranti sternutamentum superueniens bonum*; est autem bonum & vt signum & vt causa, sed magis vt causa. Vt signum; quia indicat robustam facultatem: vt causa; quia quarit fœtum, diuellit & ad motum excitat musculos expulsioni inseruientes, vt patet ex eo, quòd post conceptum sternutatio parit abortum, sicut Plinius *lib.* 2. *cap.* 6. testatur. Sternutamenta in vlceribus, abscessibus, inflammationibus ac erisipelatis

erisipelatis non sunt bona; quia commouendo humores, præcipuè in corporibus cacochymicis, faciunt eos ad partes laborantes deferri; vnde malum augetur.

§. III.

A voce.

Ad vocem faciendam varia concurrunt instrumenta & variæ partes, cerebrum, nerui recurrentes, spinalis medulla, diaphragma, pulmo, thorax, aspera arteria, os, nares, lacymæ, palatum, &c. quarum vnâ læsa potest vox vitiari: ideò ex vitio & læsione vocis non potest pars affecta bene cognosci, aliquando vox læditur vitio cerebri, vt in apoplexiâ, aliquando vitio neruorum recurrentium, cùm illi sunt præcisi, vulnerati, compressi, obstructi; aliquando vitio musculorum, cum illi paralysi vel conuulsione affecti sunt; aliquando vitio linguæ, cùm illa est amputata, vel tumefacta; aliquando vitio laryngis, vt in raucedine, anginâ, &c. Itaque vitium vocis indicat affectum alicuius partis ad vocem formandam concurrentis, sed nullius determinatæ. In sanis vocis acumen indicat aliquando eunuchismum; præcipuè si mentum pilis eo tempore, quo ornari deberet, destituatur. Insuper vox acuta indicat paruitatem & siccitatem laryngis & asperæ arteriæ; vox grauis humiditatem & amplitudinem eiusdem. Blesitas & impedimentum loquelæ in pueris non rarò vinculi, quod sub linguâ est, & quod Belgicè *die spanader* vocatur, est signum. Vox magna indicat robur facultatis validam facientis expulsionem aëris; parua è contrà debilitatem. Vox magna etiam indicat abundantiam caloris, & temperamentum calidum, teste Auic. *fen.*10.3.*tract.*2. *cap.*1. Sic Hipp.6. *Epid.*4. dicit, *quòd quibus plurimum calidum ineſt, sint voce magnâ.* Et Aristoteles *sect.*11.*problem.*3.quærit, cur qui temperamentum calidum habent, sint voce magnâ. Et Gal. *in arte parvâ* inter signa calidi pectoris & tracheæ ponit vocem magnam; ratio est, quia validus calor est causa robustæ facultatis; talis autem facit validam expirationem. Est etiam causa multi aëris expirati; nam cùm est magnus calor debet multus aër inspirari & expirari. Facit etiam in primâ generatione arteriam magnam; quæ omnia faciunt ad magnam vocem. Verùm talem vocem magnam facit calor naturalis, non autem calor contra naturam; talis enim facit vocem exilem; quia debilitat facultatem. Vox rauca indicat laryngis asperitatem & humiditatem à defluxu humoris à cerebro, qui laryngem inæqualiter humectat & asperitatem ei inducit; & sic est signum grauedinis ac destillationis à capite: aliquando etiam raucedo contingit propter magnam siccitatem asperam arteriam exasperantem, vt in acutis febribus non rarò contingit. Raucedo etiam aliquando indicat debilitatem facultatis motiuæ; sic senes sæpe loquuntur raucâ voce & valdè ægri ac debiles;

parua enim expiratio confert ad raucedinem faciendam ; & ideò qui raucam habent vocem,maiorem habent raucedinem,si debiliter loquantur, quàm si magnam vocem edere conantur; nam forti locutione raucedo non parùm superatur.Raucedo est aliquãdo signum vlceris in faucibus ac gutture ; & ideò sæpe est signum morbi gallici ; nam à morbo gallico sæpe vlcera in gutture generantur, raucedo etiam aliquando significat empyema , seu suppurationem pectoris ac tabem , vt Galen. & Aëtius testantur. Vox tremula , interciſa virtutis indicat debilitatem non valentis , imò æquali motu facere totius aëris expirationem , ad quod & gutturis siccitas confert. Aliquando fit vox tremula propter aliquam dispositionem in musculis conuulsioni similem , vt de respiratione dictum est;talis autem dispositio à somno calore ac maximâ ariditate inducitur. Vox clangosa indicat magnam siccitatem & ardorem, & vox stridula, quæ est clangosa in supremo gradu , cessatio à loquelâ & silentium in ægris , est signum melancholiæ & amentiæ. Priuatio vocis contingit vel propter apoplexiam , epilepsiam , catarrhum , vel catalepsim , vel propter vitia cordis & suffocationem vteri, propter animi deliquium , vel neruos recurrentes læsos , vulneratos aut compressos , vel propter vulnus asperæ arteriæ sub larynge , vel in moribundis propter imbecillitatem facultatis. Vocis permutatio & vitia vocis in phrenitide ac acutis febribus omnia sunt mala ; quia fiunt vel propter summum à calore ariditatem, vel facultatis motiuæ debilitatem , vel dispositionem conuulsioni similem musculis superuenientem. 2. *Proret. text.*22. inquit Hippoc. *vox acuta clangosa mala est.* Et *text.*10. inquit, *quibus vox acuta est, iis hypochondria introtracta sunt* ; id est, in phrenitide , acutis febribus, diaphragmatis inflammatione,cùm vox est acuta & clangosa,etiam quasi conuulsiua quædam dispositio & contractio est in hypochondriis propter summam musculorum ac membranarum ariditatem , & quibus illa simul coincidunt , iis maximum subest mortis periculum. Clangosa ergo vox delirium,conuulsionem, magnum periculum propter caloris & siccitatis magnitudinem minatur ; sæpe minatur & vocis priuationem, aliquand. sc. ita aucta in musculis siccitas est, vt ipsi quodammodò conuellantur, & larynx præ nimiâ siccitate indurescat.1. *Proret.*17. *ex vomitu graui*, ait Hippoc. *vox clangosa , oculi concretum puluisculum habentes, delirium indicat.* Et 2. *Coacar.sect.*2. *vox acuta & lugubris , oculorum obscuratio conuulsiones accersit.* Et 3. *Coac.* dicit , *quòd clangosa vox cum linguæ conuulsione vehementi , insaniâ , tremore , duritie est exitiosa :* ex quo patet , quòd quando in acutis morbis vox incipit fieri clangosa , simul tunc etiam alia pessima symptomata ei coniungantur & succedat. *Vocis priuatio in acutis morbis est exitiosa*, vt docet Hipp.1. *Coacar. sect.*2. pessimæ sunt illæ aphoniæ , quæ cum aliis signis lætalibus apparent : Sic Hippoc. *in Epid.* de Philisco loquens : *extremitates*, inquit, *frigebant,nec recalescebant, minxit nigra , aliquando dormit, sub diem obmutuit , frigida sudabat , extrema liuescebant.* Galen. *comm.in* 1. *Proret.* inquit , *aphonia*

qua

quæ conuulsiuo modo fiunt, si in eam, quæ cum silentio, & extasim desinant, pernitiosum. Et 2. *Coac. sect. 2. insaniæ vehementes,* inquit, *cum vocis interceptione lætales.* Et 1. *Proret. text. 24. quæ cum exsolutione,* inquit, *aphoriæ fiunt, pessimæ.* Et 2. *Coac. sect. 2. in vocis interceptione spiritus sublimis, velut iis qui suffocantur, malum.* Cum breui spiritu vocis interceptio etiam lætalis; vt exemplo Pythionis apparuit. Et 1. *Proret. 23.* dicit Hippoc. *quòd aphoniæ cum singultu sint pessimæ.* In anginâ etiam aphonia lætalis est. Sic Hippoc. 5. *Aphor.* loquens de quâdam anginosa, *quartâ fuit conuulsa, sine voce cum stertore dentium contritione, maxillarum rubore, quintâ die mortua est.* Aphonię cum catalepsi etiam sunt pernitiosę, vt habetur 2. *Proret. text. 4. Ex capitis quoque dolore aphoniæ lætales,* inquit Hipp. 2. *Proret. 4.* quia inflammationem in cerebro factam ostendunt. Et 2. *Coacar. qui,* inquit, *ex dolore muti fiunt, moriuntur.* Aphoniæ etiam ex casu ex alto, vel capitis percussione, sunt pernitiosæ: Sic Hipp. 5. *Epid. de* quodam capite percusso loquens dicit, quòd cecidit tertiâ die sine voce, erat anxietas, febris, nihil audiebat, mortuus est. Notandum tamen, quòd aphoniæ ex percussione aut læsione capitis non sint semper lætales, quia multis contingit hæc aphonia, qui tamen adhuc seruantur, præcipuè si caput trepano aperiatur, vt sanguis extrauenatus exeat, aut ventiletur, vel depressa ossa attollantur: Sic 5. *Epid. t. 51.* recitat Hipp. historiam puellæ, quæ de rupe deciderat & voce priuata fuit, & tamen conualuit. Etsi autem aphoniæ plerumque sint pernitiosæ, tamen aliquando non sunt etiam ita malæ; nam aliquando possunt contingere in principiis morborum à solâ multitudine humorum, quæ non sunt necessariò lætales. Contingunt etiam aphoniæ aliquando stomacho à multo humore repleto, quæ humore illo per vomitum aut aliam rationem reiecto sæpe breui cessant; cuius exemplum est apud 5. *Epid.* in filio Hermotidi. Fiunt etiam aliquando à vermibus in pueris aphoniæ, quæ non semper sunt lætales. Denique aphoniæ subitò obortæ, quæ non diu durant sed cessant, non necessariò sunt lætales; sic aphoniæ ab animi deliquio, vteri suffocatione, vel strangulatione sine periculo facilè recedunt. Sunt & aliquæ etiam aphoniæ criticæ, quas euacuatio aliqua sequitur, quæ non sunt lætales: Sic 7. *Epid. t. 25.* ait Hipp. *erat aphonia & sudor indicatorius erupuit, & conualuit.* Et 4. *Coac. sect. 2.* habetur, quòd aliquando aphoniæ soluantur vel brachij aut membrorum resolutione, vel crassis vrinis superuenientibus. Porrò sicut aphoniæ criticæ, seu illæ, quas conueniens sequitur euacuatio non sunt lætales; ita è contrà criticæ aphoniæ, quas nulla sequitur euacuatio, sunt lætales; *indicatoria enim non indicantia sunt lætalia, vel difficilis indicij:* Sic 7. *Coac. t. 51. quibus,* inquit Hipp. *vox in febre intercepta sine indicatione, cum tremore moriuntur.* Et *infra, mutitates,* inquit, *in febre acutâ cum exsolutione non sudanti quidem lætales; minùs autem sudanti, diuturnitatem significat.*

§. IV.

A Tussi.

Tussis fit propter vitia variarum partium & à variis causis ; & ita nullum determinatè morbum aut partem affectam indicat ; fit autem tussis , quando aliquid spiritales partes seu præsentia seu malâ qualitate offendit, quod partes illo motu expellere conantur. Offenduntur autem & læduntur spiritales partes tum per se, tum per consensum aliarum partium, vt stomachi, vteri, hepatis, diaphragmatis. Indicat enim tussis vitium alicuius illarum partium, à quibus potest causari. Fit autem tussis & vitio asperæ arteriæ & pulmonis , & mediastini, & thoracis , & pleuræ ac diaphragmatis; quia illæ sunt partes respirationi inseruientes: asperæ arteriæ, sic cùm quid in illam siue cibi siue potus illabitur, fit tussis ; à puluere , fumo asperam arteriam ingrediente. Etiam fit tussis vitio pulmonis : sic in peripneumoniâ, pthisi ac vlcere pulmonis. Fit & tussis vitio pleuræ, thoracis ac musculorum eius , vt patet in pleuritide , humoribus & inflammationibus hepatis ; in iis enim sæpe tussicula sicca oboritur. Vitio abdominis, sic in hydrope, ascite aliquando adest tussis. Vitio intestinorum ; quia pueri vermibus laborantes etiam tussi aliquando laborant. Indicat etiam tussis diuersos morbos , vt intemperiem simplicem vel cum affluxu humoris , vlcera , tubercula , vel continui solutionem, calculos , vermes , &c. Ab his enim omnibus potest tussis excitari.

Tussis alia est sicca, alia humida : sicca , in quâ nihil tussiendo expuitur : humida , in quâ multa phlegmata, vel pus , vel sanguis semper excernitur. Tussis sicca indicat talem causam, quæ expui non potest. Indicat enim vel intemperiem , vel continui solutionem , vel crudum tuberculum , vel calculum , vel aliquod vitium existens extra pulmonem , vt in thoracis musculis, mediastino, hepate, stomacho, intestinis, vtero, &c. vel indicat aliquam faucium asperitatem , vel humorem aliquem gypseum & fortiter impactum , vel humorem admodùm tenuem , qui tenuitate suâ in altum attolli & elidi non potest; hæc enim omnia tussiendo excerni non possunt , & ideò fit tussis sicca ac vacua. Tussis humida indicat materiam ac humorem , qui tussiendo expuitur. In inflammationibus pulmonis ac thoracis, vt peripneumoniâ ac pleuritide primùm tussis fit sicca , dum materia adhuc est cruda ; quando verò materia est cocta, tunc fit tussis humida, & aliquid vnà expuitur. Tussicula etiam comitatur obstructiones viscerum, quæ sunt infra diaphragma. Tussicula parua in pueris est etiam inter signa vermium, propter consensum stomachi & intestinorum cum diaphragmate. Est etiam tussicula inter signa variolarum. Tussis sicca etiam sæpe adest in acutis ac malignis febribus ; & talis contingit vel propter summum ardorem ac siccitates , vel propter

malignos

malignos habitus ex toto ad diaphragma & partes spiritales ascendentes. Tussis etiam sicca aliquando superuenit ascitidi, & hoc est malum, inquit Hipp. 2. *Prognost.* 5. hoc enim indicium est abdomen ita intumescere aquâ, vt diaphragma comprimatur, vnde tussis. Tussis sicca & perpetua & admodùm molesta, tophos & lapillos in pulmone indicat. Si tussis sicca post acutas febres remaneat cum calore multo ac lentâ febriculâ & ægri non conualescant, sed remaneant debiles, hecticam minatur. *Omnis tussis perpetua & diuturna, mala,* inquit Hippoc. indicat enim spiritales partes offendi, quæ ad vitam valde necessariæ sunt. Tussis humida & multa phtiseos periculum minatur, maximè si adest raucedo, narium obstructio, titillatio quædam in gulâ ac asperâ arteriâ; est autem signum catharrhi ac destillationis; frequenter enim tussis ab humoribus à cerebro in subiectum thoracem delabentibus contingit; hinc Aristoteles dixit, hominem solum inter omnia animalia tussire, quia humidum cerebrum habet, ex quo generantur multi catarrhi, qui in pulmonem delabentes tussim faciunt.

Tussis denique alia est facilis, alia laborioſa, alia continua, alia per interualla oboriens. Continua tussis & valde laborioſa indicat partes spiritales ac præcipuè pulmonem per se ac primario vitio laborare; nam mala per protopathiam sunt intentiora & magis perpetua. At tussis neque intensa neque perpetua, sed tantùm per interualla infestans, indicat spiritales partes tantùm per consensum laborare. Tussis humida, quæ fit à phlegmatibus aut pure in pulmone contentis, quæ expuuntur, plerumque est facilis, vt in destillatione ac phthisi. At tussis sicca ab humoribus valde induratis & impactis, aut etiam tenuibus, à duro tuberculo aut calculo causata, plerumque est laborioſa. Tussis in acutis febribus est mala; quia vel summam ab ardore spiritalium membrorum siccitatem, vel causæ morbificæ malignitatem indicat. Magna tussis in pueris non rarò ramices aut rupturam inducit. In adultis rupturam venarum, hæmorrhagiam, phthisim, vomitum atque stomachi imbecillitatem; somnum insuper impedit, & capitis dolorem adfert in mulieribus grauidis abortum. In senibus tussis vel nunquam vel rarò curatur.

CAP. VIII.

Ab actionibus vitalibus.

§. I.

A Pulsu.

PVlsus est actio facultatis vitalis fiens in corde; eius vsus est attemperare calorem natiuum & spiritum vitalem, ac quasi vitam in vniuersum

uersum corpus distribuere, & mittere spiritum vitalem ad cerebrum pro generatione spirituum animalium. Per illam ergo actionem conseruatur & vita & robur omnium facultatum in omnibus, & sine eius influxu omnes facultatés diminuuntur & intercidunt quapropter ab hâc actione maximâ signa desumuntur in Medicinâ. Verùm signa, quæ ab illa sumuntur, sunt præcipuè signa futuri euentus: nam hæc actio maximè indicat dispositionem cordis & robur facultatis vitalis; morborum autem exitus pendet à proportione virium ad magnitudinem morbi; vires autem aliarum facultatum ferè pendent à viribus cordis; ideò ex pulsu optimè cognoscitur, an humores sint concoquendi, an per bonam crisim expellendi, an sanitas, an mors sic succesſura: & propterea pulsus est præstantissimum signum prognosticum. Verùm non ita est bonum signum diagnosticum; nam neque pars affecta, neque morbi species, neque causa morbifica ita bene per pulsum cognoscuntur, dico, (non tam bene) quia aliquo modo per accidens & indirectè aliqui morbi, aliquæ causæ morbificæ, aliquæ partes affectæ etiam per pulsum cognosci possunt; per pulsum enim aliquando cognoscitur, an causa morbifica sit calida, an frigida; nam pulsus magnus, celer, creber, indicat causam calidam; paruus, tardus, rarus, frigidam. Vndosus sanguinem aut pituitam, durus melancholiam, mollis pituitam indicat. Intermittentes, mijuri, &c. sæpe causam venenatam & malignã indicant, sed valde incertò & per accidens. Indicat etiam pulsus aliquãdo morbi speciẽ. Pulsus in membris percipi, in quibus nõ solet percipi, seu dolor pulsatorius, inflammationem, suppurationem: Magnus, celer, creber intemperiem calidã; tardus, paruus, rarus, frigidam: durus, conuulsiuus magnum ardorem, exiccationem, conuulsionem, distensionem, compressionem, ac tumores, &c. partem affectam etiam aliquo modo indicat: durus, conuulsiuus neruosum ac membranosum genus affectum. Vbi pulsus, ibi malum. Pulsus in altero brachio naturaliter se habens, in altero læsus ac morbosus indicat vitium non esse in corde, sed tantùm in illo latere, in quo pulsus est læsus ac vitiatus, &c. Verùm cum pulsus à nullâ parte exerceatur, quàm à corde ac arteriis, ideò nullus partis vitium per se & directè indicat, quàm cordis; at indicando læsionem cordis, indicat quoque læsionem totius; propterea quòd sanitas ferè pendet à sanitate cordis. Pulsus porrò indicat vt effectus, id est, sicut effectus indicat suam causam, & ideò differentiæ pulsus indicant illa, quæ talium differentiarum sunt causa: sic pulsus celer, creber, indicat intemperiem calidam, vt effectus illius intemperiei; quia sc. intemperies calida talem pulsum facit. Indicat etiam pulsus vt coëffectus; & tali ratione indicat maximè futuros euentus, quat. sc. indicat talem causam, quæ talem vel talem futurum euentum causabit. Non multùm autem indicat vt causa; quia differentiæ pulsus non sunt causa illorum siue euentuum siue morborum, siue causarum, siue partium affectarum, sed sunt illorum effectus vel coëffectus, vt dictum est. Itaque vt sciatur

quid'

quid singulæ pulsuum differentiæ indicent, oportet scire, quænam sint singularium pulsuum differentiarum causæ; nam illas causas indicant.

§. II.

Pulsuum differentiæ.

Pulsuum autem differentiæ sunt duæ; nam pulsus alij sunt simplices; ac in se considerati, alij considerati ad alios. Pulsuum simplicium ac in se solis consideratorum 5. sunt differentiæ simplices; nam vel magnus & paruus; celer vel tardus; creber vel rarus; vehemens vel languidus; mollis vel durus: vel plures sunt compositi. Pulsuum consideratorum in collatione ad alios differentiæ sunt duæ; vel enim pulsus est æqualis vel inæqualis, de quibus posteà.

§. III.

Pulsuum differentiarum causæ.

Omnium pulsuum differentiarum duplices sunt causæ, vel proximæ ac primariæ, vel secundariæ & remotæ. Proximæ causæ quæ & synectica & coniunctæ, & continentes & primariæ vocantur, sunt tres; nempe facultas, vsus auctus, & dispositio membri siue arteriæ. Dicuntur causæ proximæ, quia nulla potest fieri in pulsu mutatio, quin sit facta mutatio in aliquâ istarum trium causarum; & nulla è contrà potest fieri mutatio in illis tribus, quinstatim quoque fiat mutatio in aliquâ differentiâ pulsus; & ideò vocantur hæ causæ continentes, primariæ & causæ per se omnium differentiarum pulsus. Causæ verò secundariæ & remotæ sunt multæ; anni tempus, regio, ætas sexus, temperamentum, & res non naturales, morbi, causæ morbificæ, &c. Sed hæ non mutant pulsum per se aut immediatè, sed solùm per accidens & mediatè; quatenus sc. faciunt aliquam mutationem in causis primariis, quæ mutatæ tum primò mutant differentias pulsuum. Facultas, quæ & prima causa synectica, talem indicat differentiam pulsus, sc. vt ab illa fiat pulsus vehemens vel debilis: valida facultas facit pulsum validum, debilis languidum. Vsus auctus facit magnum, celerem, crebrum; vsus diminutus facit paruum, tardum, rarum. Primùm autem vsus acutus facit magnum, si potest & nihil impedit; qui si non sufficiat refrigeratio caloris facit etiam celerem; qui si etiam non sufficiat refrigeratio caloris, facit tum deinde & crebrum. Vsus diminutus facit primò rarum, inde tardum. Instrumenti dispositio talem facit differentiam pulsuum; nam si instrumentum seu arteria est mollis, facit pulsum mollem; si dura, durum. His positis quid singulæ pulsuum differentiæ indicent facilè colligi potest. Validus ac vehemens pulsus est, qui digitum repercutit & reprimit.

Languidus, qui à digito reprimitur. Vehemens pulsus indicat robustam esse facultatem cordis, bene cor se habere, neque vllo vitio neque per se neque per accidens affici. Languidus indicat cor & facultatem debilem esse. Quia cor ab omni intemperie excedente debilitari potest, ideò talis pulsus per se nullam certam intemperiem indicat, sed bene quidem coniunctus cum aliis differentiis pulsuum; nam si est debilis & paruus, & præcipuè tardus & rarus indicat debilitatem esse ab intemperie frigidâ, si est languidus & valde celer & creber indicat debilitatem esse ab intemperie calidâ. Porrò quia cor debilitatur à variis morbis, & à morbis variarum partium, ideò talis pulsus nullum quoque certum morbum, aut nullam certam partem affectam indicat, sed solùm quat. cum aliis signis peculiaribus morborum ac partium coniungitur: si est valde debilis, & semper debilis, & simul valde paruus, intermittens, miiurus, &c. potest esse indicium cordis per se affecti ac proprio aliquo vitio laborantis; aliàs potiùs signum erit cordis laborantis per sympathiam. Porrò quia pulsus vehemens indicat robur facultatis vitalis & caloris natiui, ideò indicat salutem & in morbis acutis bonam crisim futuram. Languidus contrà indicat vires esse debiles, futuram mortem ac malam crisim; in morbis frigidis aliquando gangrænam, paralysim, &c. Est tamen notand. quòd vires aliquando sint debiles vel per resolutionem, vel per suffocationem seu oppressionem. Pulsus languidus per se indicat debilitatem virium, sed non indicat per se, an sint debiles per resolutionem, an per suffocationem; nam pessimum est vires esse debiles per resolutionem, quia talis debilitas non facilè restauratur; at non est ita malum vires esse debiles per oppressionem vel suffocationem, quia tales vires breui tempore, ablato impedimento possunt recuperari. Verùm cognoscitur hoc per alias differentias pulsus, quæ coniunguntur; nam si est languidus & simul æqualis, indicat debilitatem ex resolutione; si est languidus & inæqualis, indicat debilitatem ex suffocatione; ratio est, quia cùm facultas est debilis ex resolutione, manet semper debilis, quia est iam verè & habitualiter debilis; sed cùm est debilis per suffocationem, tunc radicaliter adhuc est fortis, sed solùm est ligata & oppressa; quæ autem solùm sic debilis est, potest se aliquando super causam suffocantem exercere, & per intervalla robur suum simul ostendere. Porrò languidus & simul paruus & vermiculosus indicat debilitatem à consumptione spirituum, seu malignâ & venenosâ qualitate. Languidus, paruus & simul celer indicat debilitatem propter excessum calidæ intemperiei, & indicat ardentem & malignam febrem. Languidus, paruus & simul tardus & rarus indicat debilitatem propter excessum intemperiei frigidæ. Languidus, paruus, frequens, cum inæqualitate indicat febres malignas; nam ex malignitate pulsus fiunt parui & languidi; ex calore autem febrili celeres; ex humorum putrescentium copiâ inæquales.

Magnus pulsus est, in quo arteria in altum, longum & latum multùm

tùm dilatatur. Paruus contrà. Differt hic pulsus secundum Galen. & omnes medicos à vehementi; nam causa vehementis est facultas robusta, causa verò pulsus magni est vsus auctus. Verùm ego non possum concipere, quomodo isti pulsus differant, nec videtur quòd tactus posset distinguere vehementem à magno; nam non potest esse pulsus vehemens, nisi arteria in longum, vel in latum, vel in altum, vel ad omnes illas dispositiones simul multùm dilatetur: ergo pulsus vehemens est pulsus magnus; & non potest esse pulsus magnus, qui non sit vehemens nec potest fieri pulsus magnus sine robore facultatis; non igitur vsus auctus facit pulsum magnum effectiuè, sed solùm per modum causæ finalis & causæ irritantis, & stimulantis facultatem; ipse autem effectiuè fit à robustâ facultate: ergo magnus est vehemens, & consequenter idem est vehemens & magnus; interim tamen maneamus in communi doctrinâ & distinguamus eos pulsus. Ergo pulsus magni causæ sunt tres, vsus auctus, robusta facultas, & instrumentum molle; & sic omnes causæ synecticæ debent concurrere ad faciendum pulsum magnum. Vsus auctus ideò facit magnum, quia propter vsum auctum debet multus aër frigidus trahi in cor & arterias, quod vt fiat, debent arteriæ & cor in omnem dimensionem multùm dilatari, nisi facultas sit valida. Concurrit etiã mollities instrumenti; quia nisi instrumentum esset molle, non posset etiam in omnẽ dimensionẽ dilatari; has ergo tres causas pulsus magnus indicat, & maximè vsum auctum seu excessum caloris: Indicat ergo pulsus magnus calidum corporis temperamentum, In sanis exercitia, iram, &c. in ægris morbos calidos, febres, inflammationes. Pulsus paruus cum fiat ex contrariis causis, contraria indicat; vel facultatem debilem, vel vsum diminutum, vel arteriæ paruitatem aut duritiem. Porrò magnus cum mediocri raritate & paruitate solùm indicat robur facultatis. Magnus & simul celer indicat vsum adhuc magis auctum, cùm calidâ tamen adhuc facultate, nam omnes tres indicant vsum auctum. Magnus simul & celer indicat robur facultatis & arteriam non duram; quia si esset dura nec magnus nec celer fieri posset, ad celeritatem enim requiritur arteriæ mollities. Cùm vsus parùm augetur, natura facit primò pulsum magnum; cùm adhuc magis augetur præter magnitudinem facit etiam celerem; cùm adhuc magis augetur facit & crebrum: si magnitudo ex aliâ aliquâ causâ impeditur, tunc tantùm fit celer & creber; ergo hic pulsus indicat omnis generis febres; nam nulla febris est, in quâ ex naturâ vsus aucti non debeat esse talis pulsus. Quòd si verò in aliquâ febri interdum est paruus vel tardus, hoc contingit ex accidenti; quia scilicet decursu & magnitudine febris facultas est debilitata, & arteria exiccata & indurata, arteriæ enim durities impedit magnitudinem & celeritatem. Omnes pulsus magni in febribus sunt boni; quia indicant saltem facultatem adhuc non esse debilem, & instrumentum molle, nec à siccitate febris adhuc esse induratum; propter eandem causam magnus pulsus circa tempus criseos est signum bonæ criseos futuræ. Magnus etiam pulsus in-

dicat febrem non esse malignam ; quia si maligna esset, pulsus non esset magnus sed paruus. Magnitudo pulsus etiam aliquando indicat aliquid quod naturam irritet ; nam hoc etiam facit pulsum magnum, modo sic tantum irritet vt facultatem non deiiciat ; nam si eam deiiceret, faceret potiùs paruum ; sic ira, crisis, dolor faciunt pulsum magnum, modò tantùm non sint, vt naturam debilitent. Pulsus paruus contraria indicat, vel vsum diminutum, vel facultatem debilem, vel instrumentum inobediens & durum. Paruus & simul valde celer & creber indicat vsum auctum, sed simul vel debilitatem facultatis, vel duritiem instrumenti, propter quæ impediatur magnitudo, paruus, languidus, rarus, vermicularis, formicans, mijurus indicant paruitatem esse ex debilitate facultatis. Paruus & simul tardus & rarus cum mollitie indicat paruitatem illam esse ex vsu diminuto. Paruus & durus, vibratus, serrinus indicat paruitatem esse ex duritie & renitentiâ instrumenti. Paruus ex debilitate facultatis indicat nullam vel malam crisim, morbi magnitudinem, malignitatem & mortem. Paruus ex vsu diminuto indicat abundantiam pituitæ, & melancholiæ, refrigerationes, congelationes, euacuationes sanguinis & spirituum. Paruus ex duritie & renitentiâ instrumenti indicat vel congelationem vel siccitatem vel tensionem ; & indicando siccitatem indicat marasmum, febres acutas : indicando tensionem indicat vel conuulsionem, vel scirrhum, vel inflammationem. Pulsus paruus sine debilitate longas & difficiles indicat affectiones.

Creber pulsus est, cùm quàm minima est inter systolen & diastolen quies. Duplex est autem in pulsu quies ; vna quæ sequitur diastolen & vocatur quies supera ; alia quæ sequitur systolen & præcedit distolen, & vocatur quies infera. Secundũ vtramque quietẽ desumitur pulsus crebritas, sed tamen maximè secundùm quietem superã ; nam sola quies supera percipitur, infera non item. Creber ergo pulsus est, in quo est minima quies. Hunc pulsum distinguit Gal. & omnes medici à celeri, sed non possum ego comprehendere, quomodo isti pulsus distinguantur : videtur enim quòd celeritas & crebritas sint idem ; nam tum sunt celeres passus, quando inter passus est minima quies, & tum homines celeriter currunt, quando pedes in terrâ non multùm quiescunt ; sicuti ergo sunt idem celeres & crebri passus, ita videtur esse idem celer & creber pulsus ; sit quidem ita, quòd ratione aliquo modo distinguantur, tamen illi pulsus sensu tactus discerni non possunt ; nec ego qui tot iam annis medicinam feci, eos discernere potui : interim tamen maneamus in antiquis, & eos cum aliis medicis distinguamus. Creber pulsus potest fieri à plurimis causis, & ideò plurimas causas potest indicare. In primis creber vsus indicat vsum auctum, aucto vsu facultas primò facit magnum ; si magnum propter aliquod impedimẽtum, nempe vel propter facultatis debilitatẽ, vel propter instrumenti duritiẽ facere non potest, facit crebrũ ; vsu magis aucto facit & celerem. Pulsus ergo creber in sanis indicat temperamentũ calidum, in ægris morbos calidos ac febres ; Insuper indicat etiam facultatem debi-

lem ;

lem; nam quando facultas tam debilis est, vt non possit facere pulsum magnum, tum facit crebrum; non tamen necessariò indicat facultatem debilem; quia potest dari pulsus magnus & creber & celer simul; in tali autem casu pulsus creber est sine debilitate facultatis; nam eo ipso quo est coniũctus cum magno, patet quòd non adsit facultatis debilitas; alioquin non esset pulsus magnus. Interim tamen plerumque creber indicat facultatem debilem. Indicat etiam aliquando duritiem instrumenti; nam durities instrumenti est aliquando causa, quòd non possit fieri pulsus magnus; tunc verò ad compensandum defectum magnitudinis debet fieri pulsus creber. Creber ergo & paruus simul indicant debilitatem facultatis. Creber, celer & magnus indicant vsum auctum: creber, paruus & durus indicant duritiem instrumenti. Pulsus rarus omnia his contraria indicat.

Celer pulsus est, cùm materia citò de loco in locum redit & breuissimo tempore omnes suas partes nempe diastolen & systolen & vtramque quietem perficit. Celer pulsus indicat vsum auctum & magnitudinem caloris; nam cùm vsus valde auctus est, debet facultas non solùm multum frigidi aëris attrahere & facere pulsum magnum & intermittere exiguam quietem & facere pulsum crebrum, sed & celerem. Indicat insuper pulsus celer facultatem vtcumque vegetam. Dico (vtcumque) quia nisi esset vtcumque vegeta, non posset tam celeriter arteriam mouere. Dico (vtcumque robustam) quia frequenter potest pulsus esse celer, etiamsi facultas non sit robusta, imò paruitas pulsus est sæpe causa celeritatis; nam quando pulsus est paruus, tum plerumque fit celer, modò facultas vtcumque adhuc robusta sit, vt sc. quod deest vsui aucto ac necessitati propter pulsum paruum, id compensetur per pulsum celerem. Dico (modo adhuc vtcumque sit robusta) quia si facultas sit valde debilis, non fiet paruus & celer, sed paruus & tardus, non obstante vsu aucto, vt contingit in moribundis; si ergo sit pulsus paruus & tamen adsit vsus auctus, quantò pulsus est minor, erit celerior, nisi, inquam, facultas omninò sit debilis. Si ergo pulsus sit celer & magnus indicat vsum valde auctum, & celeritatem ob nullam aliam causam esse, quàm ob vsum auctum, præcipuè si insuper sit creber; vsus enim auctus non tantùm facit magnum, sed & crebrum & celerem: At si celer & paruus, potest indicare celeritatem fieri ab vsu aucto, magnitudinem autem impediri à debili facultate; vel potest indicare non tam vsum auctum quàm facultatis imbecillitatem, quæ cùm non posset facere magnum, quod deest necessitati propter paruitatem, compensat celeritate; paruus enim pulsus est causa celeritatis. Pulsus celer potest etiam indicare duritiem instrumenti; nam durities instrumenti est aliquando causa celeritatis; durities enim est causa quòd non possit fieri pulsus magnus, sed solùm paruus; dum enim arteria non potest multùm dilatari; at paruitas pulsus est causa celeritatis, vt dixi; ergo. Tamen etsi celeritas possit indicare aliquam duritiem instrumenti, modo quo iam dixi, tamen non potest indicare magnam duritiem: nam si arteria

esset valde dura, non posset facultas eam celeriter mouere. Celeritas est certum signum febris, & sequitur quamcumque febrim, & ex nullo signo febris cognoscitur, quàm ex celeritate pulsus. Cognoscuntur etiam febres ex rubedine vrinæ, sed multò certiùs ex celeritate pulsus; etenim in omni febre est vsus auctus; vsus autem auctus facit celerem pulsum, quare & febris necessariò adest. Celeritas cum vehementiâ & magnitudine & frequentiâ & æqualitate indicat ephemeras cum inæqualitate putridas: cum imbecillitate, paruitate & duritie, hecticas. Pulsus tardus celeri in omnibus contrariatur. Indicat vsum diminutum, facultatem debilem & instrumentum durum, non omnia simul, sed vnum istorum; nam ab vnoquoque istorum potest pulsus tarditas causari. Tardus & languidus indicant tarditatem esse ex debilitate facultatis. Tardus & durus indicat tarditatem esse propter vsum diminutum. Talis enim pulsus indicat absentiam febris, abundantiam frigidorum humorum, congelationem, paralysim, caloris natiui magnam debilitatem ac penuriam.

Mollis pulsus est, quando in allisione arteriæ contra digitum senittur in ipsâ arteriâ mollities. Durus est, quando è contrà. Mollitiem facit, si pars affecta mollis, humida, & frigida, vt est cerebrum, pulmo, adeps, carnosa seu musculosa substantia. Eamque mollitiem etiam facit genus causæ morbificæ, vt si est pituita, sanguinis serositas; talia enim mollem reddunt arteriam, vt contrà melancholia duram & siccam. Illam mollitiem etiam facit morbi genus; sic œdemata viscerum, cachexia, leucophlegmatia, febris quotidiana, lethargus, peripneumonia, paralysis, stupor, &c. has ergo partes affectas, has causas morbificas, hos morbos pulsus mollis indicat. Mollis pulsus, si alia signa adsint, indicat futuram crisim per sudores. Pulsus durus indicat congelationem, siccitatem, febrem quartanam ac humoris melancholici abundantiam, vel conuulsionem, epilepsiam; nam conuulsio facit tensionem arteriæ, tensio facit pulsum durum. Durus etiam indicat vel membranosam vel tendinosam vel venosam aut arteriosam corporis affectam partem; hæ enim partes tendi possunt; tensio autem duritiem facit; ideò talis pulsus indicat affectum meningum, pleuræ, vel diaphragmatis, vel intestinorum, iecoris, lienis, vesicæ. Quænam autem earum indicentur, debent ex aliis signis propriis colligi. Indicat etiam inflammationes ac scirrhos; nam tales affectiones tensionem facit, vel compassionem, vnde durities arteriæ fit; sed si scirrhus fuerit, erit pulsus durus & simul tardus & rarus; eò quòd scirrhus non faciat vsum acutum: si inflammatio fuerit, erit durus cum celeritate, quia inflammatio facit vsum auctum.

Æqualis pulsus est, qui non variatur in suâ differentiâ, sed æqualiter semper procedit in magnitudine & paruitate, crebritate & raritate, celeritate & tarditate. Inæqualis est, qui inæqualiter procedit, & in aliquâ dictarum differentiarum variat; ex quo patet quòd æqualitas & inæqualitas considerantur secundum primas & simplices pulsuum differentias;

nam

nàm vel est æqualis in magnitudine & paruitate, vel in crebritate & raritate, vel in vehementiâ & debilitate, & sic de aliis differentiis. Inæqualis è contrà, vel est inæqualis in magnitudine & paruitate, vel inæqualis in celeritate & tarditate, vel inæqualis in crebitate & tarditate. Notand. tamen pulsus esse æquales secundum vnam differentiam, & inæquales secundum aliam; vt æqualis in magnitudine & paruitate, & inæqualis in celeritate & tarditate. Absolutè æqualis est, qui est æqualis secundum omnes differentias. Inæqualis, qui est inæqualis secundum aliquam dictarum differentiarum tantùm. Porrò pulsus vel est æqualis vel inæqualis in vno pulsu, vel in pluribus, id est, in vnico ictu, vel in pluribus. In vno ictu æqualis est, qui in vnico ictu nullam habet inæqualitatem, sed illa vnica pulsatio secundum omnes differentias habet suam æqualitatem, sic quod principium diastoles nec sentitur maius nec celerius nec vehementius, quàm finis; contra est inæqualis. Æqualis in pluribus est, quando plures considerantur pulsationes, & omnes illæ pulsationes sunt secundum omnes differentias sc. magnitudinem & paruitatem, vehementiam & debilitatem, crebritatem & tarditatem, &c. æquales. Inæqualis in pluribus pulsationibus est, cùm vna pulsatio sentitur maior, altera minor; & illa est inæqualitas secundum magnitudinem; vel quando vna pulsatio sentitur celerior quàm altera; & illa est inæqualitas secundum celeritatem; vel quando vna sentitur crebrior quàm altera; & illa est inæqualitas in crebritate: & sic de aliis. Æqualitas vel inæqualitas in vno pulsu adhuc est duplex, vel enim pulsus est æqualis sub vno digito, vel sub pluribus. Æqualis sub vno digito est, quòd in vnâ pulsatione sentitur omnimodo æqualitas. Inæqualis contra cum in vnâ pulsatione sub vno & eodem digito sentitur aliqua inæqualitas secundum aliquam qualemcunque tandem differentiam, id est, siue secundum magnitudinem, siue celeritatem, &c. Æqualis in vnâ pulsatione sub pluribus digitis est, quando vnus ictus sub tribus omnibus digitis, quibus ordinariè solet à medico palpari, sentitur secundùm omnes differentias esse æqualis. Inæqualis est, quando sub vno illorum digitorum sentitur maior, sub altero minor, vel sub vno mollior, sub altero durior, vel sub vno vehementior, sub altero debilior. Æqualitas vel inæqualitas sub pulsu vno vocatur æqualitas vel inæqualitas singularis. Æqualitas vel inæqualitas sub pluribus pulsibus vocatur æqualitas vel inæqualitas collectiua, & communiter genere systematica. Pulsus dicrotus, imparcitatus, intermittens singularis, miiuri, deficientes sunt inæquales secundum inæqualitatem singularem. Pulsus vndosus, vermiculans, alius miiurus, systematicus intermittens, capricans, serrans, sunt pulsus inæquales in pluribus pulsationibus seu secundum inæqualitatem systematicam. Causæ inæqualitatis in pulsu præcipuè sunt duæ; vitium instrumenti & imbecillitas facultatis; si sc. arteria comprimatur vel obstruatur, vel repleatur; vel sit nimis mollis, vel nimis dura & tensa. Hinc pulsus inæqualitas si nimis mollis, concidit: si ni-

mis,

mis, tensa, dura, renititur ipsi dilatationi: hinc pulsus vndosi, intermittentes, serrati, vibrati, conuulsiui facultatis imbecillitatem significant; nam imbecilla facultas non potest æqualiter ac æquali tempore arteriam perpetuò secundum omnes differentias mouere, sed modò mouet sic modo aliter, prout magis super causâ morbificâ sese eleuat atque erigit; hinc pulsus mijuri, deficientes, intermittentes, &c.

Quæritur an inæqualitas pulsus etiam possit causari ab inæqualitate vsus aucti; & videtur quòd non, quia vsus auctus non potest mutari secundum illud breue tempus vnius aut 10. aut 20. pulsationum, secundum quod breue interuallum ipsa pulsus inæqualitas consideratur. Si posset vsus auctus breuissimo tempore permutari, posset etiam in illo breuissimo vnius aut aliquot pulsationum spatio pulsus permutari, & fieri inæqualis. At modò impossibile videtur, calorem cordis ac totius in breuissimo tempore vnius aut plurium pulsationum ita subitò posse variari; quare etiam impossibile est, pulsus inæqualitatem posse causari ab vsu aucto. Verùm Resp. hoc non esse impossibile: nam possibile est cor & arterias eodem tempore frigidis sc. & calidis humoribus obsideri, vario modo calorem intro & foras moueri, adeoque cor inæquali intemperie affici; proinde possibile est vsum auctum breuissimo tempore posse permutari & fieri inæqualem; ex quo inæqualitatem quoque in pulsu causari non est mirum. Hinc cognoscitur, quid pulsus inæqualitas indicet nempe vitium instrumenti, vel compressionem, vel obstructionem, vel repletionem arteriarum, vel inæqualem intemperiem ac contrarios humores frigidos & calidos, vel facultatis imbecillitatem, siue quòd ea sit grauata humorum abundantiâ & malitiâ, siue resoluta. Si pulsus præterquam quòd sit inæqualis, sit etiam languidus, est signum quòd inæqualitas causatur à facultatis imbecillitate: si est inæqualis cum magnitudine, celeritate, crebritate, est indicium, quòd sit inæqualis propter vsum auctum. Si est inæqualis & simul durus, censebitur inæqualis esse vitio instrumenti; nam qui est inæqualis vitio instrumenti, semper & necessariò quoque est durus. Pulsus mijuri, decurtati, eminuli, intercepti sunt differentiæ indicantes facultatis debilitatem. Vndosi, vibrati, serrati, palpitantes, conuulsiui, sunt differentiæ indicantes vitium instrumenti. Hæc enim omnia indicat pulsus inæqualis; inprimis compressionem, obstructionem, repletionem arteriarum, vt inquit Galen. 2. *de præsagitione ex pulsibus cap.* 7. Indicat etiam febres putridas, epialas, lypirias, hemitritæos, horrorem ac rigorem febrium, ex eo quòd in illis est inæqualitas intemperiei, & inæqualitas vsus acuti & varietas causarum morbificarum. Indicat etiam eodem tempore in corpore abundare humores frigidos & calidos, putridos & imputridos, & varium motum eorum, modò ad exteriora, modò ad interiora. Indicat etiam inæqualitas pulsus cor primariò esse affectum, vel saltem per consensum partium præcipuarum, vt stomachi, hepatis, vteri, cerebri, à quibus cor & facultas vitalis grauiter debilitantur & labefactantur, sic vt

pulsus

pulsus propter imbecillitatem fiat inæqualis. Indicat etiam facultatem valde grauari, & imbecillitatem facultatis potiùs esse ex eo, quòd facultas sit oppressa & grauata, quàm quòd sit resoluta; nam si facultas intrinsecè & essentialiter esset debilis & resoluta, pulsus non esset ita inæqualis, sed potiùs in paruitate suâ & languore semper æqualis. Indicat & pulsus inæqualis febres pestilentes, inflammationes partium principaliũ, & suppurationes. Indicant etiam causæ morbificæ malignitatem eo quod hæc omnia facultatem vitalem valde debilitent. Indicant etiam palpitationem cordis, lipothymiam, orthopnæam, vteri suffocationem, quòd ex his facultas summoperè debilitetur. Indicant etiam magnas inflammationes, phrenitidem, lethargum, anginam, peripneumoniam, pleuritidem, quatenus hæc tensionem & duritiem in arteriis faciunt, à quâ duritie, vt dictum est, pulsus fit inæqualis. Indicant etiam scirrhos, abscessus, obstructiones arteriarum, abundantiam sanguinis & aliarum humorum facultatem obstruentium. Inæqualitates quò citiùs veniunt & diutiùs durant, eò sunt periculosiores. Inæqualitas singularis est pessima & peior inæqualitate systematicâ; nam grauior est causa, quæ ita facultatem turbat, vt non possit vnam pulsationem facere æqualem, quàm illa, quæ plures non potest facere æquales; & hoc intelligendum est, quando vtraque inæqualitas fit à debilitate facultatis; nam quando fit vitio instrumenti, tunc non ita semper est. Pulsus inæquales aliquando sunt æquales, ac in suâ inæqualitate ordinati; interdum sunt inæqualiter inæquales, seu in suâ inæqualitate inordinati. Ordo & æqualitas in pulsu prauo est mala, vt peior inordinato. Inordinatio in pulsu bono est mala, in pulsu malo, bona. Ideò æqualitas seu ordo est malus, quia indicat causæ morbificæ stabilitatem, & permansionem. Omnes pulsus inæquales, in quibus plures apparent pulsationes magnæ & vehementes, quàm paruæ & languidæ, sanitatem adhuc pollicentur; at oppositi minantur mortem. Omnes Pulsus inæquales vehementes, magni, celeres & frequentes ostendunt morbum per crisim soluturum. Imbecilliores, minores, tardiores & rariores per paulatiuam solutionem. Pulsus æqualiter inæquales & ordinati, vtcumque validi non multum celeres aut frequentes, longam affectionem significant: contrà inæquales inordinati, & simul celeres ac frequentissimi, breuitatem affectionum indicant. Ex pulsibus inæqualibus pessimi sunt, qui indicant facultatis imbecillitatem, & qui simul sunt tepidi, vermiculosi, parui, rari, formicantes, mijuri, eminuli, prominuli.

§. IV.

Inæqualitates singulares.

Impar citatus est pulsus, in quo in vnâ pulsatione sub vno digito arteria inæqualiter mouetur secundum celeritatem & tarditatem, sic quòd

Vnica & eadem diastole incipiat cum tarditate & finiat cum celeritate, id est, quòd principium diastoles sit celerius quàm finis ; vel contrà : est ergo hic pulsus inæqualis inæqualitate singulari sub vno digito : in hoc pulsu arteria mouetur æqualiter secundum celeritatem, sic tamen quòd ipsa sit continua & non intercepta vllâ cessatione aut quiete intermediâ; mouetur quidem in principio diastoles celeriùs, in fine tardiùs, vel contrà; tamen vno motu continuo non interrupto vllâ cessatione aut quiete intermediâ. Hoc dico ac distinctionem pulsus dicroti & intermittentis singularis, qui sunt etiam pulsus inæquales inæqualitate singulari sub eodem digito, sed sunt inæquales cum quâdam interruptione & quiete inter ipsius diastoles principium & finem. Impar citatus indicat obstructionem, compressionem arteriarum, vel facultatem à multitudine humorum grauatam. Melior est imparcitatus quàm intermittens singularis ; nam in impar citato diastole est continua sine interruptione : In intermittente singulari est intermedia quies ; meliùs est autem motum arteriæ variari secundum celeritatem & tarditatem, quàm interrumpi aliquâ cessatione; nam debere diastolen interrumpi aliquâ cessatione aut quiete, est signum magnæ debilitatis. Melior est impar citatus qui ex tarditate in celeritatem vergit, quam qui è contrà ; nam celeritas est maius signum roboris, quàm tarditas ; quapropter meliùs est pulsum in progressu sui motus indicare robur quàm deficientiam.

Intermittens singularis est pulsus inæqualis, in quo diastole non est continua, sed interrumpitur aliquâ quiete aut cessatiunculâ. Dico (intermittens singularis) ad distinctionem intermittentis systematici ; nam in intermittente singulari est cessatio & intermissio motus in vnâ diastole ac in vnâ pulsatione, & intermissio vnius portiunculæ in ipsâ diastole : in intermittente verò systematico inter multas diastoles seu inter multas pulsationes intermittitur vna diastole integra. Intermittens ergo singularis est pulsus inæqualitate singulari in vnâ pulsatione sub eodem digito, secundum celeritatem; nam vbi est quies, ibi non est æqualis celeritas. Hic intermittens etiam oritur à facultate grauatâ & simul valde debili, adeò vt non possit facere vnam diastolen integram, quin debeat intermedio tempore cessare; quapropter peior est intermittens singularis impare citato. Peior est etiam intermittens singularis intermittente systematico ; quia maior debilitas est non posse vnum motum seu vnam pulsationem facere sine intermediâ quiete, quàm non posse facere multas. Intermittens hic non tantùm grauatam ac debilem indicat facultatem, sed etiam vsum auctum ; nam si non adesset vsus auctus, qui stimularet & cogeret naturam ad perficiendum istam pulsationem interruptam, natura cum illâ incipiente quiete cessaret in totum, & non perficeret integram diastolem ; sed quòd post interceptam quietem non esset, fit, quia vsus auctus naturam nimis stimulet & irritet ad hoc faciendum. Intermittens singularis est valde malus, & proximam

solet indicare mortem ; patet ergo, quòd hic pulsus in vnâ diastole bis feriat.

Capricans est species huius intermittentis iam dicti, & fit ab eadem causâ ; differt tamen in eo, quòd in intermittente iam dicto sit solùm inæqualitas secundum vnam differentiam, nempe secundum celeritatem: in capricante verò est inæqualitas & secundum celeritatem & secundum vehementiam ; nam bis ferit & habet quietem, & sic in eo est inæqualitas secundum celeritatem, sed posterior pars diastoles, quæ sequitur cessationem, est vehementior anteriore seu parte diastoles cessationem præcedente. Est hic pulsus valde prauus, sicut omnes intermittentes, & facultatis indicat debilitatem & oppressionem ; sed tamen per hoc indicat adhuc aliquam bonitatem, quòd posterior pars diastoles sit vehementior priore ; per quod indicatur naturam valde grauari & opprimi & cum causâ morbificâ conflictari, sed eam adhuc posse fieri superiorem.

Dicrotus est etiam pulsus in vnâ diastole seu pulsatione bis feriens, in quo motus retrocedit & redit, & diastole à systole quasi retrahitur ; & hic est etiam pulsus inæqualis in vnâ pulsatione sub vno digito, habens intermediam quietem. Inter hos pulsus est exigua differentia, & sunt potiùs differentiæ rationales quàm sensuales, inuentæ potiùs per speculationem, quàm quòd ipsas sensus distinguere posset. Conueniunt in eo quòd sint omnes pulsus bis ferientes, habentes diastolem interruptam quiete mediâ.

Mijurus singularis est, in quo pulsatio est maior sub primo digito, minor sub secundo, & adhuc minor sub tertio, & maior sub digito vicino cubito ac cordi, minima sub digito viciniore manui, & paulatim decrescit & fit minor instar caudæ muris, quæ paulatim attenuatur, vnde nomen suum desumit. Dico (Mijurus singularis) ad differentiam mijuri systematici, in quo non in vnâ pulsatione ita deficit pulsus, sed in pluribus ; nam ille mijurus systematicus, in quo prima pulsatio est maior, secunda minor, tertia adhuc minor, & ita inæqualitas illius consistit in plurib̃ pulsationibus ; at inæqualitas mijuri singularis consistit tantùm in vnâ pulsatione, sed sub diuersis digitis. Est ergo hic Mijurus, de quo hîc agimus, pulsus inæqualis inæqualitate singulari in vno pulsu sub diuersis in arteriâ partibus siue sub diuersis digitis. Inæqualitas huius pulsus est secundum magnitudinem & vehementiam, & non secundum crebritatem, duritiem aut celeritatem. Hic pulsus vocatur decurtatus, quia decurtatur, diminuitur & paulatim attenuatur. Nota quòd, vt Mijurus cognoscatur, digiti tangentis debeant æqualiter premere arterias, & non nimis fortiter. Dico (æqualiter) quia si primus premeret leuiùs, & secundus fortiùs, & tertius adhuc fortiùs, tunc fieret Mijurus propter inæqualem pressionem digitorum ; quia vbi digitus fortiùs premit, ibi pulsus fit minor ; propterea quòd propter compressionem arteria non possit multùm attolli, & talis esset mijurus ex accidenti, & à

causâ externâ & non à morbo aut facultatis debilitate, & sic non esset verus pulsus mijurus; quia verus & propriè dictus mijurus debet paulatim sub digitis deficere propter debilitatem facultatis, quæ scilicet propter debilitatem non potest tam fortiter influere in partes arteriæ remotiores, sicut in propinquiores, sed paulatim deficit, & sic in propinquis fortiùs pulsat quàm in remotis. Omnes mijuri indicant magnam debilitatem, sed maiorem mijurus singularis, quàm systematicus; quia maioris debilitatis signum est deficere in vnâ pulsatione, quàm in multis.

Vndosus pulsus est, quando arteria tollitur per modum vndarum, vnâ parte altiùs alterâ demissiùs, & sic alternatim. Hic pulsus est inæqualis secundum magnitudinem; quia sub vno digito altiùs attollitur & est maior quàm sub altero; estque inæqualis inæqualitate singulari, id est, in vnâ eademque pulsatione, sed non sub eodem digito, sed sub diuersis arteriæ partibus. Causa huius pulsus est eadem, quæ aliorum pulsuum inæqualium singularium, sc. facultatis imbecillitas; si enim facultas esset robusta, omnes partes arteriæ sub omnibus digitis æqualiter attolleret. Alia causa huius pulsus est arteriæ mollities, quæ facit vt cùm arteria vnâ parte attollitur, alterâ labescat. Vndosus itaque pulsus indicat facultatis debilitatem & arteriæ mollitiem. Indicat etiam partes humidas laborare, à quibus arteria humectetur & mollefiat. Insuper indicat causam morbi esse sanguinem, pituitam vel serositatem. Vndosus pulsus non indicat vsum valde auctum; quia vndosus indicat arteriæ mollitiem, quia si adesset vsus auctus, arteria esset dura & sicca, non autem mollis. Vndosus pulsus non est ita malus, quia indicat non adesse magnas in visceribus inflammationes; nam si illæ adessent, pulsus non posset esse vndosus. Indicat etiam non adesse scirrhos aut compressionem arteriarum, aut tensionem. Vndosus pulsus indicat synochum & abundantiam sanguinis, febres quotidianas & hydropes. In calidis febribus indicat crisim, vel per hæmorrhagias, vel per sudores futuram.

Vermiculans ad vndosum debet referri, & differt ab vndoso solâ paruitate: nam vndosus est, qui per modum vndarum attollit, atque eleuat arteriam; vermicularis est, qui sentitur leuiter attolli & deprimi, sicut vermes repentes, qui vnâ parte attolluntur, alterâ deprimuntur. Vndosus, cum adest magna facultatis debilitas, vertitur in vermiculantem; ideò vermiculans est pulsus malus & signum magnæ debilitatis.

Formicans est pulsus ita paruus, vt vix sentiatur, & sentiatur solùm per modum muscæ aut formicæ leuiter sub digitis currentis. Formicans pulsus est species vermiculantis, sed vermiculante longè debilior, & indicat maximam debilitatem, estque tardissimus, crebertimus, & languidissimus, & in morbis in quibus vires propter magnitudinem vel diuturnitatem morbi sunt resolutæ, indicat mortem. Et ideò pessimus est

pulsus,

pulsus, qui ex vndoso paulatim fit vermicularis,& ex vermiculante paulatim formicans; quia tales indicant meras facultatis resolutiones. At si vermicans vel formicans subitò oriantur, tum non sunt adeò periculosi; quia sicut subitò oriuntur, sic etiam aliquando subitò cessant. Sic in animi deliquiis,magnis vulneribus, subitaneis sanguinis fluxibus, veteri suffocationibus, momento aliquando plus fit vermiculans & formicans, qui tamen propterea mortem non indicat, neque est adeò periculosus, sed cessante hæmorrhagiâ, deliquio, veteri suffocatione, &c. statim quoque & pulsus talis cessat, & ad pristinam differentiam redit.

Serrans est pulsus qui per modum serræ percipitur inæqualis, & in quo arteria inæqualiter attollitur cum motu intercisо, habens partes arteriæ alias altiùs alias demissiùs eleuatis cum duritie & acumine per modum serræ. In quo differt à pulsu vndoso, quòd vndosus percipiatur cum mollitie & quâdam fluctuatione. Serrans itaque est etiam pulsus inæqualis inæqualitate singulari: *Primò* in vno pulsu,sed sub diuersis digitis & seu in diuersis arteriæ partibus, & inæqualis secundum varias differentias; inprimis inæqualis secundum duritiem, nam in hoc pulsu arteria est dura inæqualis. *Secundò* secundum magnitudinem, nam cùm arteria est inæqualiter dura vel tensa, magnitudo quoque pulsus non potest esse æqualis; sed vbi maior est durities, ibi pulsus est minor, vbi durities minor est, ibi pulsus est maior; nam durities est causa paruitatis; denique quia in serrante natura est grauata, natura autem grauata facit inæqualitatem in magnitudine. Pulsum ergo serrantem faciunt tres causæ; natura seu facultas grauata, instrumentum durum, & vsus auctus: hinc pulsus serrans est proprius magnarum inflammationum neruosas ac membranosas partes obsidentium: neruosis enim partibus tensis, vnà tenduntur arteriæ per membranosas partes decurrentes, & quadam successione reliquæ omnes arteriæ: hinc in pleuritide inter quinque pathognomonica eius signa pulsus serrinus est vnum. Ad serrantem pulsum concurrit quoque vsus auctus; nam quia vsus est auctus ideò requiritur, vt pulsus fiat magnus, verùm cùm propter tensionem & duritiem arteriæ non possit fieri magnus, fit vt facultas arteriam inæqualiter hîc altè, illic minùs altè attollat, vnde pulsus serrinus. Conuulsiuus pulsus est, in quo percipitur arteria conuelli; conuellitur autem, cùm conuelluntur nerui; nam nerui iuxta arterias decurrunt, & suis mutuò fibris alligantur, vnde illis conuulsis & hæ conuelluntur. Hic ergo plus est signum spasmi seu conuulsionis, & maximè spasmi ex inanitione & siccitate, qui est pessimus. Hinc in morbis acutus iste pulsus est valde pernicioſus; quia sicut in morbis acutis conuulsio est valde pernicioſa, ita & pulsus, qui illam indicat. Omnis quoque pulsus conuulsiuus, qui ex nimiâ inanitione oritur, ex quocunque morbo, vt à vigiliis, inediâ, euacuationibus, est lætalis.

Vibratus ferè est idem cum conuulsiuo, & ab eo solùm ratione maioris vel minoris differt. Sunt aliæ multæ differentiæ, quas ratio quidem speculando inuenit, sed sensu diiudicari non possunt, & quarum in vsu practico exigua est consideratio; ideò eas hîc omittimus, maximè cùm non sit hic nostri statuti absolutum tractatum de pulsibus expromere, sed breuem tantùm methodum à pulsu & differentiis eius famosioribus signa desumendi.

§. V.

Inæquales systematici aut collectiui.

Mijurus systematicus est pulsus, qui est inæqualis in magnitudine & vehementiâ, siue qui decurtatur in diuersis pulsationibus, sic quòd primus pulsus sit magnus, secundus minor, tertius minimus; & hic pulsus est duplex; vel enim diminuitur ad defectionem, & est mijurus deficiens; vel redit iterum ad primam magnitudinem, & est mijurus reciprocus. Omnis mijurus indicat debilitatem facultatis, sed maiorem mijurus singularis, quam systematicus, vt dictum est; inter hos peiores sunt deficientes, quàm reciproci. Omnes sunt pernicioſi ac lætales.

Intermittens systematicus est pulsus inæqualis in multis pulsationibus, qui post aliquas pulsationes vnam intermittit; proinde est inæqualis in magnitudine, quia post multas pulsationes deficit vnus, qui meritò potest dici minimus, quia est nullus, vel, vt alij dicunt, est inæqualis in crebritate. Quo plures decurrunt pulsationes sine intermissione, eò pulsus est melior; quò verò intermissio est frequentior, eò deterior; vt tractatus pulsus, qui ad singulos duros aut tres ictus vnum intermittit. Quare vbi medicus suspicari potest, an pulsus sit intermittens, debet pulsum diu tangere ad minimùm ad 50. vel 60. pulsationes. Pulsus omnis intermittens est malum signum, & indicat facultatis debilitatem, quæ non possit omnes pulsationes perficere, sed post aliquod tempus lassata deficit, & vnam pulsationem intermittit. Verùm, vt supra dixi, facultas est aliquando tam debilis per resolutionem seu essentialiter debilis, aliquando per grauationem & oppressionem & per accidens: quando autem fit pulsus intermittens propter debilitatem essentialem seu debilitatem ex resolutione, tunc ille pulsus est pessimus; non est autem ita praua, quando fit propter debilitatem ab oppressione. Ideò pulsus intermittens in statu acutorum est valde periculosus, quia tunc eius intermittentia causatur à debilitate ex resolutione; quando verò talis est in principiis, non est ita malus, quia tunc fit talis ab humorum oppressione; nam nunquam debilitas essentialis est in principiis. Sic pariter si intermittens simul est paruus, rarus, mijurus, vermiculans, &c. tum talis est lætalis, quia tum censetur esse intermittens ex debilitate per resolutionem. At si est intermittens ac simul magnus, vehemens, celer,

talis

talis solùm censetur intermittens à debilitate facultatis per oppressionem. Plerumque autem intermittens pulsus fit propter facultatem grauatam copiâ humorum, vel lacessitam ab humorum malitiâ & venenositate. Dixi, quòd in statu intermittens sit prauus; quod intelligendum est, nisi sit criticus; frequenter autem est criticus: nam cum natura aggreditur luctam cum humore morbifico pro crisi faciendâ, quia natura est valde turbata & occupata ad distracta, pulsus fit intermittens; & talis est bonus, quia est signum criticum, præcipuè si coniungatur cum aliis signis bonis & præcipuè concoctionis,& cum aliis signis decretoriis futuram crisim indicantibus. Not. quòd intermittens systematicus est pulsus malus, sed non est ita malus, sicut intermittens singularis: sic mijuri, vermiculantes, capricantes, &c. Not. etiam, quòd facili de causâ fit pulsus intermissio, & infinitos habui ægrotos cum pulsu intermittente, qui tamen conualuerunt. Not. insuper, quòd multi homines naturaliter habent pulsus intermittẽtes:tales sunt homines pingues & senes,quando minimo affectu laborant;ideò cùm in talibus pulsus intermittentes reperiuntur, non oportet statim consternari, præcipuè si tales percipiantur in pinguibus, senibus, in morborum principiis, cùm vires adhuc apparent constantes, cùm nulla alia praua signa simul coniunguntur, nec aliæ prauæ pulsus differentiæ vnà adsint. At si vires sint resolutæ, si morbus magnus, si est in statu,si multa alia pessima signa coniunguntur, quæ tamen non sunt decretoria, id est, si non instet crisis,si pulsus insuper est languidus, conuulsiuus, vibratus, mijurus, capricans, dicrotus, &c. est pessimum signum. Peior est intermittens, qui ordinatè & semper ad eundem statum pulsationum numerum intermittit, quia qui intermittit inordinatè, id est, modò post multas, modò post paucas pulsationes.

Intercurrens est pulsus,in quo post aliquas pulsationes intercurrit vna pulsatio superuacanea, seu vna plusquàm deberet. Vnde hic pulsus est contrarius intermittenti; nam in intermittente post aliquas pulsationes vnus deficit ictus, in intercurrente contrà post aliquas pulsationes ictus vnus superabundat: est ergo hic pulsus inæqualis inæqualitate systematicâ, seu inæqualis in plurimis pulsationibus,& est inæqualis secundum crebritatem, quia in vnâ pulsatione est crebrior. Etsi autem hic pulsus videatur contrarius intermittenti, non tamen contrariatur ei causâ, sed vterque fit ab eâdem causâ, nempe humorum abundantiâ naturam granante & arterias obstruente, vel comprimente; verùm contrariantur ratione facultatis cum illâ humorum copiâ luctantis; nam in intermittente facultas succumbit copiæ humorum, & ita opprimitur vt fiat debilis & propter debilitatem pulsum vnum intermittat: in intercurrente verò fortiter contra humorum copiam resultat, & irritata ita vim suam exerit, vt etiam superabundet in suis pulsationibus & adiiciat vnam ordinariis superuacuam. Itaque contrarietas istorum pulsuum non est ex parte copiæ humorum, quia illa est eadem; eadem autem causa

non

non potest facere pulsus contrarios; sed est ex parte cedentis vel fortiter insultantis. Ex quo patet, quòd intermittens sit signum maioris debilitatis : intercurrens verò signum mediocris adhuc roboris. Dico (mediocris) quia in intercurrente facultas non est omninò robusta; num quomodo posset esse robusta, si ab humorum copiâ grauatur, si arteriæ oppleantur aut coarctentur? si facultas esset robusta, fieret pulsus magnus, vehemens; & si esset magnus & vehemens, non esset opus intercurrentiâ : sed ideò fit intercurrens, quia magnus & vehemens fieri non potest, naturâ sc. compensante defectum magnitudinis celeritate & augmento vnius pulsationis, ad id faciendum ab humorum copiâ prouocata. Sed est adhuc, vtcumque & mediocriter robusta ex eo, quòd irritata & oppressa valeat exurgere & luctari cum causâ morbificâ; & non tantùm pulsum accelerare, sed insuper vnum ordinariis adiicere. Ex his patet, quòd intermittens pulsus sit coniunctus cum mediocri paruitate & celeritate : mediocri paruitate, quia, vt dixi, si esset magnus non esset intercurrens, nec esset opus intercurrentiâ. Si esset valde paruus, non etiam fieret intercurrentia, quia valde paruus fit à magnâ debilitate facultatis, intercurrens verò à robore. Est etiam coniunctus cum celeritate; quia vbi est pulsus paruus, ibi natura paruitatem debet compensare celeritate, cùm sc. à copiâ humorum vrgetur, & ipsa non est summè debilis. 2. quia debet præcedere celeritas, antequàm fiat intercurrentia; natura enim primò vtitur omnibus modis ordinariis & facilioribus; & cùm illi non sufficiunt, tunc refugit ad difficiliores; vnde natura primùm studet expellere causam morbificam, vel satisfacere vsui aucto per celeritatem & crebritatem; & cùm illa non sufficiunt, tum insuper adhuc adiicit vnum pulsum vltra ordinarium; hoc autem nunquam facit ante celeritatem; quia quid esset opus hoc facere, si fortè celeritas sola posset hoc facere? pulsus hic est bonum signum, naturæ robur indicat, eamque causæ morbificæ præualituram, & bonam crisim futuram, & ita inter omnes inæquales systematicos est optimus.

Deficiens pulsus est, quando inter multos pulsus vnus apparet minor, vel plures minores, imò quando multi pulsus vel omnis pulsus in totum cessat, quod asphygmia vocatur. Est hic pulsus etiam inæqualis systematicus & secundum differentiam magnitudinis & paruitatis. Pulsus deficiens est malus; quo plures deficiunt eò peior; asphygmia omnium pessima & mortem vicinam indicat. Notand. tamen, quòd præcipuè ille deficiens est malus & pernicioſus, qui oritur ex facultatis resolutione, & qui est à longitudine morbi, & qui est in statu; nam qui subitò fit etiam sæpe subitò recedit, & non est ita æstimandus : sic in lipothymiâ, vteri suffocatione sæpe contingunt pulsus deficientes, qui breui post ad pristinam suam dispositionem reuertuntur.

§. VI.

§. VI.

A syncope seu Animi deliquio.

Differunt syncope & lipothymia ratione maioris & minoris: maior est syncope quàm lipothymia & peius signum. Syncope propriè est defectio cum sudore; lipothymia est defectio quæ non est adhuc tanta, vt sudorem inferat, & sic est defectio cum sudore. In deliquio succedere sudorem est malum signum; nam ille sudor est diaphoreticus, & contingit propter magnam debilitatem retentricis, & humidi primigenij solutionem; & ideo sudor iste est minimè aqueus sed pinguis. Contingit lipothymia ob varias causas, vel propter peculiare vitium cordis, vel vitium spirituum, vel vitium aliarum partium: maximè verò contingit propter vitium spirituum. Spiritus autem læduntur vel vitiantur vel in substantiâ, vel qualitate, vel quantitate, vel motu. In substantiâ sic fit syncope, quando spiritus cordis afficiuntur malignâ & veneficâ qualitate, vel propter assumpta venena, vel propter morsum venenatorum, vel propter aërem pestilentem, vel propter humores venenatos in corpore genitos, vnde vapores venenati ad cor feruntur, vt in febribus pestilentibus, vteri suffocationibus: vermibus, &c. In qualitatibus, quando spiritus exhauriuntur; exhauriuntur autem in maximis laboribus, præsertim tempore æstiuo, à magnâ inediâ, maximis doloribus, diuturnis vigiliis. Exhauriuntur etiam magnis euacuationibus sensibilibus & à nimio sanguinis effluuio; in paracentesi abdominis siue thoracis cùm serum vel pus nimiâ qualitate ac nimis subitò effluunt; in magnis deiectionibus, sudoribus, in subitâ apostematum internorum eruptione. In motu etiam spiritus læduntur, si nimis subitò ad cor recurrunt, & à corde ad externa rapiuntur: sic à subito timore, subitâ lætitiâ non tantùm syncope, sed & mors aliquando contingit. Cõtingit etiã aliquãdo spiritus à multitudine humorũ opprimi ac suffocari, sic vt ad externa membra, ac sensoria moueri non possint. Vitio cordis contingit syncope, si cor magnâ intemperie afficiatur, si aqua putrida in pericardio contineatur. Fit etiam syncope per consensum aliarum partium, vt quando, sicuti dictum est, in nobilibus membris apostemata erumpunt. Magnæ etiam partium externarum gangrænæ syncopem faciunt. In hecticis, acutis febribus, ac longis ægritudinibus non rarò etiam fit. Multoties accidit deliquium in Crisibus, vt inquit Auicenna, propter materiæ morbificæ ad os ventriculi effusionem. Ex his quid syncope indicet, facilè colligi potest; indicat enim aliquam istarum causarum, quàm verò, ex aliis signis comitantibus colligi debet. *Qui frequenter & sine manifestâ causâ exoluuntur*, inquit Hipp. 2. *Aph.* 41. *repentè moriuntur*. Loquitur autem ibi Hipp. de sanis; ratio est, quia indicat causam latentem & incognitam, quæ semper est mala, & indicat causæ perseuerantiam, & inesse ei aliquid maligni, & causam esse magnam, quæ tantoperè facultatem vitalem

labefactat. Syncope à causâ externâ, inedia nimio sanguinis fluxu, &c. non est ita pernicioſa; quia facilè causa auferri potest, quâ ablatâ ipsa quoque cessat. Pessima est syncope, quæ fit à vitium resolutione, non ita quæ est ab oppressione. Syncope in die critico est bonum signum, si præcesserint signa concoctionis, si virtus extra syncopem valida sit, & alia signa critica concurrant; mala, si vires sunt resolutæ, si alia grauia signa adsint, nec coctionis signa præcesserint.

§. VII.

A Palpitatione cordis.

Tradidimus supra aliqua signa à palpitatione membrorum in generali. Verùm variant authores in tradendâ palpitationis essentiâ; aliqui ad motum animalem, aliqui ad vitalem referunt; & ideò ibi de palpitatione inter motus animales egimus; nunc verò paulò latiùs particulatim de cordis palpitatione. Ex multis causis contingit palpitatio, ex quibus syncope; & ideò sæpe coniunguntur, & sæpe post palpitationes syncope sequitur; maior est autem syncope quàm palpitatio; & cum ab eadem causa contingunt, maior est, quæ syncopem facit, quàm quæ palpitationem. Palpitatio significat vel inflammationes incipientes, vel abscessum, vel calculum, vel venenatam qualitatem, vel aliquid cor ad expulsionem irritans. Scribunt Columbus & Trincauellus aliquando in corde calculum generari, & exinde palpitationes contingere. Scribit Brencius Maximilianum Imperatorem laborasse palpitatione cordis, & post mortem calculum fuisse inuentum. Fernelius *de abdit. rer. causis* scribit, cuidam magnum in arteriâ calculum loco cordi proximo natum fuisse, qui multis annis cordis palpitationi obnoxius fuit. Scholiographus *ad cap. 29. lib. 1. Hollerij de morb. inter.* scribit, se in quorundam pericardio inuenisse abscessum in venâ arteriosâ, in aliis pericardium flatus distensum. Schenkius *lib. 2. obseru.* habet historiam cuiusdam, qui à pueritiâ iuxta ad annum 42. laborauerat cordis palpitatione, quo dissecto inuenta fuit cordi adnata excrescentia carnea. Horum ergo aliquid potest palpitatio cordis indicare. Potest etiam indicare vel malignum ac venenatum vaporem à putridis vel venenatis vaporibus ascendentem, vel ab humoribus melancholicis, vel ab acribus biliosis: sic in Melancholiâ hypochondriacâ, in vermibus puerorum, in malignis febribus, non rarò adest cordis palpitatio. Contingit etiam ab ictu venenatorum animalium, & à veneno hausto. Aliquando contingit propter aneurisma in vasis cordis, sicut scribit se obseruasse Fernelius; scribit enim ita aliquando in cordis palpitatione arteriam dilatatam fuisse, vt pugni magnitudinem adæquaret. Contingit etiam aliquando à causâ externâ: sic iracundis, valde exercitatis cor aliquando palpitat. Nonnulli à magno timore in perpetuam palpitationem

cordis

cordis inciderunt. Palpitatio aliquando sequitur febres hecticas, lypirias, epialas, &c. palpitatio quæ durauit multis annis sine manifestâ læsione, indicat frigidum aliquem tumorem, aut tuberculum durum in corde. Si est cum tabe ac febre, indicat potiùs vlcus aliquod aut abscessum cordis. Si est cum syncope, venenatam qualitatem cor, siue ab aliquâ fœtidâ & viscosâ in pericardio contentâ irritantem. Si palpitatio est cum febre magnâ, & subitò exsoluitur, fortè est incipiens in corde inflammatio. Si est cum magnâ difficultate respirationis, potest esse, quòd sit à crasso flatu in thorace vel pericardio contento. Porrò in palpitatione distinguendum est; nam alia est solius cordis, alia cordis & arteriarum simul. Palpitatio cordis & arteriarum indicat affectum esse in corde: palpitatio solius cordis, potiùs affectum esse extra cor. Palpitatio continua & magna essentiale cordis vitium significat; parua & per interualla vitium cordis per consensum. Palpitatio omnis est periculosa & Gal.5.*de loc.aff.c.*1. nullum palpitatione laborantem quinquagesimum annum excessisse scribit. Palpitatio tamen quæ est à flatu, non est ita periculosa. Cordis palpitatio quæ perseuerat & augetur primùm ad syncopem, deinde ad mortem tendit. Palpitatione mcordis persæpe hectica comitatur.

§. VIII.

Ab animi passionibus.

Metus & mœstitia longo tempore perseuerans melancholicum est: hoc inquit Hipp.*In febribus per somnum pauores, malum*, inquit, 4.*Aph.*67. quia adustam bilem arguunt, vt Gal.1. *Epid. part.*2. testatur; estque signum vel atram bilem è venis sursum in cerebrum ferri, vel saltem vapores eius. Verùm de signis ab animi passionibus suprà egimus.

CAP. IX.

Ab Actionibus Naturalibus.

§. I.

A Vomitu.

A Vomitu dupliciter sumũtur signa; vel sc. ab ipso actu vomitionis nõ cõsiderãdo illud, quod vomitur; vel ab ipsâ substãtiâ, quæ euomitur. De sũptis ab eo quod euomitur, infrà agemus, vbi de signis ab excremẽtis: hîc verò agitur de signis, quæ sumuntur ab ipso vomitionis actu. Vomitus causæ variæ sunt, aliæ internæ aliæ externæ. De causis externis hîc etiam

nihil ; quia illæ satis cognosci possunt ex relatione ægri, vel ipso sensu sunt manifestæ. Nos autem quærimus ex vomitu tanquam signo cognoscere causas internas. Externæ causæ sunt crapula, ingestio multi cibi, imaginatio seu comestio ciborum abominabilium, putridorum, pinguium, oleosorum. Nauigatio in mari, vectio in curru, &c. Internæ causæ sunt vel in ipso stomacho, vel extra eum ; vomitus enim alius est per protopathiam, alius per consensum aliarum partium. Vtrumque facit vomitum ; vel debilitatem facultatem retentricem orificij superioris, vel augendo retentricem orificij inferioris, vel excitando ac irritando expultricem ; ab vnâ enim harum causarum vomitus excitatur. Causæ, propter quas læditur facultas retentrix, sunt ; humida complexio vel totius ventriculi, vel eius orificij superioris ; humores multi praui ac pituitosi in ventriculo contenti, eius orificium laxantes ac humectantes ; orificij quoque ipsis naturalis vel aduentitia laxitas & apertio. Causæ propter quas læditur expultrix, sunt humores omnis generis, seu quantitate, seu qualitate, seu acrimoniâ ac nimiâ malignitate peccantes, à quibus omnibus facultas expultrix ad expulsionem excitatur ; qui interdum sunt pituitosi, melancholici, bilioſi, ex bile porraceâ, æruginosâ, pus, sanguis quacunque causâ extrauenatus, insuper vlcus circa orificium superius mordicans & stimulans expultricem : vermes in stomacho ad supernum orificium ascendentes. Diuturni ac molesti vomitus etiam aliquando fiunt à calculo in ventriculo generato. Est Religiosa quædam hic Louanij, quæ postquam diuturno ac molesto vomitu ac dolore stomachi laborasset, tandem calculos & arenulas euomere incepit, & postquam multos & diu euomuisset, tandem vomitus cessauit & conualuit. Similis casus mentionem facit Nicolaus Florentinus *sermone 5. cap. 51.* Contingit etiam vomitus propter retentricem nimiam orificij ventriculi inferioris ; quæ nimia retentio contingit propter obstructionem aliquam in ventriculo ; illa obstructio contingit propter sordes ibi agglutinatas, propter apostemata, vel callum, vel qualecunque durum tuberculum, aut carnositatem ibi genitam : sic scribit Fernelius *lib. de abdit rer. caus. cap. 36.* quendam, qui perpetuo vomitu tentabatur, post mortem apertum fuisse, & inuentum fuisse habere callum in orificio inferiore. Ob carbunculum ibi genitum aliquando etiam contingere scribunt Galen. 3. *de caus. sympt. cap. 2.* & Auic. *f. 13. cap. 3.* immò non tantùm obstructio ipsius orificij, sed & intestinorum & maximè ilei vomitum facit : hinc in ileo continuus adest vomitus ; nam quando deorsum nihil euacuari potest, necessarium est, vt superiùs regurgitet. Per consensum etiam aliarum partium contingit vomitus, vel quando aliqui circumiacentium partium tumores de foris stomachum premunt, ad quos expellendos facultas expultrix frustra insurgit ; vel quando venenati aliqui ac praui vapores, ex aliis partibus vel à toto ad stomachum ascendunt ; vel quando neruosæ ac membranosæ partes afficiuntur, quibus stomachus ob substantiæ similitudinem consentit. A tumoribus comprimentibus,

primentibus, sic tumor iecoris, lienis, septi transuersi faciunt vomitum. Est & alia diuturnorum vomituum causa, prolapsus sc. cartilaginis xyphoidis; quando enim illa cartilago siue propter trusionem ac vim illatam, siue propter pituitosos humores eam relaxantes non manet erecta, sed concidit, tunc cuspis eius decidit in stomachum, & continuò stomachum tangit, quem molestum attactum stomachus continuo vomitu excutere frustra conatur. A vaporibus ad stomachum ascendentibus etiam fiunt vomitus; hinc contingit vomitus in mulieribus grauidis, in vermibus puerorum, in accessionibus febrium, in peste, &c. Per peculiarem stomachi consensum cum aliis partibus: sic contingit vomitus in colicâ, in calculo renum, & læsione membranarum cerebri, item post casum ex alto cranio fracto ac fractis cerebri membranis statim vomitus sequitur. His positis colligi potest, quòd ex vomitu in morbis iudicari possit; nam cùm ex variis causis propter tam variarum partium læsionem vomitus contingere possit, patet quòd ex vomitu neque morbi causa, neque morbus, neque pars affecta, facilè ac certò colligi possit. Indicat semper vomitus stomachi vitium, sed non necessariò vitium primarium, sed vel primarium vel saltem per sympathiam. Si vomitus est continuus, si est cum eiectione humoris aut alicuius substantiæ, si est coniunctus cum dolore in regione stomachi, & quidem dolore qui vomitum præcessit, cum inappetentiâ & aliis stomachi propriis vitiis, si contingit aut mutatur pro ratione cibi assumpti, si in nullâ aliâ parte, cuius ratione aut consensu vomitus fieri posset, vitium vllum aut læsio apparet, si aucto aut diminuto dolore aut vitio alterius partis vomitus non augetur aut diminuitur; signum est ipsum vitio stomachi contingere. Ex eo, quod vomitu eiicitur, colligi potest quæ sit causa vomitus in particulari. Itaque hæc nonnulla signa ex vomitu sic colliguntur. Vomitus & nausea in mulieribus de reliquo sanis, quæ de conceptu dubitandi habent occasionem, sunt signa grauiditatis. Vomitus multus præcipuè materiæ bilioſæ, si coniunctus sit cum similibus deiectionibus per inferiora, est signum morbi cholerici; est etiam signum vermium, calculi, colicæ, &c. calculi; si simul adest dolor circa renes vel perinæum, ac dolor & molestia in reddendâ vrinâ: Colicæ, si est dolor in ventre, si sentitur tensio, flatulentia. & rugitus & nulli è ventre flatus eduntur; & si eduntur, malum alleuient: Vermium, si simul adsit epilepsia, dolor capitis, dolor circa stomachum, &c. Si quis ex alto cecidit vel supra caput percussus fuit, superueniens vomitus signum est cranium esse fractum vel piam aut duram matrem esse læsam. Vomitus etiam aliquando est signum veneni assumpti, præcipuè si post assumptum alimentum sequitur, cùm antea non adesset, si simul adsit stomachi cruciatus, si nigra euomuntur & alia assumpti veneni signa adsint. Vomitus tempore grassantis pestis si coniungitur cum dolore capitis, febre, somnolentiâ, dolore aut tuberculo in inguine, alis, post aures, vel in aliâ corporis parte, est signum pestis. Si continuò cibus ac

potus, paulò postquàm accepti sunt, reiiciantur, signum est debilitatis & laxitatis oris ventriculi superioris; at si eijcitur 4. aut 5. horis post, & deijcitur cibus iam vtcunque chylificatus, est signum adesse vitium in pyloro inferiore. Si vomitus contingat ex eo quòd æger in hanc potiùs quàm in aliam partem decumbat, est signum quòd aliquid tum in illo decubitu stomachum premit, quod non est in alio. Vomere non tantùm post cibum sed etiam ante cibum,& vomere ex quacunque causâ est signum plenitudinis humorum in stomacho. Si vomitus fit quouis tempore & simul adsint alia signa affecti ventriculi, vt oris amaritudo, sitis, cardialgia, inappetentia, grauitas, tensio in facie, signum est vomitum esse vitio primario stomachi: at si tantùm aliquando fit, & adsint signa alterius partis affectæ, cuius vitio aucto vel diminuto vomitus augetur vel diminuitur, signum est, vomitum esse per consensum alterius partis, proinde si tum est vomitus biliosus, signum est illum fieri vitio & consensu hepatis. Si est vomitus sanguinis, sæpe fit vitio vteri; vt si sit mulier & menstrua sint suppressa. Si vomitus est in muliere & simul adest cardialgia, anxietas, syncope, vteri suffocatio, est signum ipsum fieri vitio vteri. Si vomitus est niger, fit vitio lienis, maximè si consuetæ hæmorrhoides sint suppressæ, si dolor aut tensio in sinistro latere percipitur. Vomitus fœtidus est signum affectus ilei. Et hæc sunt signa Diagnostica.Sumuntur etiam à vomitu signa Prognostica. Liuidus vomitus, teste Galen. 2. *Prognost. t.* 38. est signum extinctionis caloris, puta in moribundis, & nisi sit à melancholiâ. 7. *Aphor.*37. Sic inquit, *quicumque enim sanguinem vomunt sine febre, salutare: cum febre autem malum*; ratio est, quia cum febre indicat inflammationes internas. Vomitus à vulnere capitis sunt lætales. Praui sunt omnes vomitus nigri, liuidi, æruginosi, virides, fœtidi, &c. *Frequens vomitus corpus extenuat*, inquit Galen. 2. *Aphor.*38. *Vomitus in principio febrium sunt praui*, inquit Hippoc. loquitur autem de febribus acutis, quia excretiones, quæ fiunt in morborum principiis, sint symptomaticæ, eo quòd tum materia non est adhuc concocta. *In perturbationibus alui & vomitionibus spontaneis si talia purgentur, qualia oportet, confert*, inquit Hippoc. 1. *Aphor.*2. *& leniter ferunt. Mulieri sanguinem vomenti mensibus erumpentibus solutio*, inquit Hippoc. 5. *Aphor.*32. Vomitus critici, & qui fiunt in statu, sunt boni, maximè in tertianâ & quartanâ, quia illæ vomitu optimè iudicantur. Boni sunt vomitus, qui contingunt in morbis illarum partium, quæ per vomitum optimè expurgari possunt; inutiles verò & symptomatici, qui fiunt in morbis illarum partium, quæ vomitu expurgari non possunt. Sic habetur 4. *Aphor.* 18. *dolores supra septum transuersum purgatione indigent per superiora; qui verò loca inferiora molestant, per inferiora.* In acutis morbis optimi sunt vomitus biliosi; nam causa talium morborum est ipsa bilis: in pituitosis, pituitosi. 6. *Aphor.* 15. sic habe-

tur;

tur ; *A longo alui profluuio habito , spontaneus vomitus superueniens, soluit.* Vomitus non alleuiantes neque causam morbificam excernentes sunt mali , maximè si sint porracei , liuidi , æruginosi , virulenti, fœtentes , &c.

§. II.

A singultu.

Singultus est motus, quo ventriculus studet excutere ea , quæ continentur in tunicis eius. Singultus causæ sunt eædem , quæ conuulsionis, inanitio sc. & repletio , vt est 6. *Aphor.39.* & mordicatio rei contentæ in ventriculi tunicis. Ab his causis afficitur stomachus vel primario vel per consensum : primariò fieri potest singultus vel à vaporibus , vel flatu, vel veneficâ qualitate , vel bile , vel acidâ aut salsâ pituitâ, vel serosis humoribus, vel corruptis cibis & ab acribus medicamentis assumptis , vt pipere & similibus. Contingit aliquando singultus etiam à frigiditate , vt aquâ frigida assumptâ , sicut asserit Galen. 8. *de compos. medicam. cap.*8. quæ omnia vel in tunicis ventriculi continentur, vel sic continentur in eius cauitate , vt simul in ipsas tunicas sese insinuet. Fit etiam singultus per sympathiam vel cerebri , vel iecoris , vel lienis , vel intestinorum , vel diaphragmatis , vel vesicæ, vel articulorum , vel totius : Cerebri , vt si in cerebro contingat inflammatio, per consensum fit singultus in ventriculo ; sic Hippoc. 7. *Aphor.3. à vomitu,* inquit, *singultus & rubor oculorum , malum*, ratio est , quia teste Galeno , tunc indicatur inflammatio in cerebro , vel in ventriculo , ex quibus verbis patet singultum posse fieri per consensum cerebri ; sic etiam in fracturis ac vulneribus cerebri non raro fit singultus : Intestinorum ; nam ex ileo morbo aliquando sequitur singultus ; hinc Hippoc. 7. *Aphor.* 10. *ex volvulo vomitus , aut singultus , aut conuulsio , aut delirium , malum.* Scribit Saxonia , se habuisse ægrum laborantem vlcere ilei , & per 14. dies singultu laborasse : per consensum iecoris ; sic Hippoc. 5. *Aphor.* 58. dicit , *iecori inflammato superuenire singultum.* Et 7. *Aphor.* 17. *ex hepatis* , inquit , *inflammatione singultus , malum.* Sequitur etiam singultus inflammationem diaphragmatis propter communes neruos ac communem vtriq; membranam. Fit etiam singultus à vermibus puerorum , ab affectibus vterinis , à vitio totius corporis , vt in febribus ; vnde nonnullæ febres 4. acutorum singultuosæ appellantur. Fit etiam consensu aliarum partium , quando ventriculus ab aliquibus partibus comprimitur. Scribit Massaria , quòd cuidam ex casu vertebra fuerit luxata , quæ stomachum compressit & fecit singultum , qui non priùs cessauit , quàm vertebra fuerit reposita. Has ergo causas singultus indicat.

indicat. Et hæc de diagnosticis à singultu sumptis. Quantum ad prognostica, singultus in multis morbis est valde prauum signum. Singultus, qui procedit ab inanitione, vt à nimio sanguinis fluxu, nimiâ siccitate, vt in ardentibus febribus, est lætalis. A vomitu singultus & oculorum rubor, malum; propter causam supra dictam. 5. *Aphor.* 3. *à copioso sanguinis profluuio*, inquit Hippoc. *conuulsio aut singultus, malum.* Et *Aphor. seq. à purgatione immodicâ conuulsio aut singultus, malum* 7. *Aphor.*17. *propter iecoris inflammationem singultus malum.* 7. *Aphor.*41. *senibus supra modum purgatis, si singultus superueniat, malum. Aphoniæ cum singultu pessimæ*, inquit Hippoc.1.*Pror.*23. In febribus acutis singultus est lætalis; vel quia indicat inflammationem hepatis aut ventriculi febri esse coniunctam, vel quia indicat summam exiccationem, vel abundantiam æruginosæ bilis, vel putridorũ humorum stomachum in consensum trahentium. Hinc pessimus singultus in talibus, si vomitum sequitur, præcipuè malignum nempe humorum fœtidorum, nigrorum, virulentorum, &c. Sic Hippoc. 3. *Epid. comm.*2. *t.*9. loquens de muliere, quæ in mendacium foro decumbebat; 12. inquit, *die vomuit multa nigra, fœtida, singultus multus, sitis laborioſa, postridie obiit.* Et 4. *Coac.sect.*3.*t.*15. post vomitus synceros singultum damnat Hippocrates. Pessimus habendus est singultus, quando aliis prauis symptomatibus est coniunctus.

§. III.

Ab Appetentiâ deiectâ.

Appetentia quadrupliciter læditur: aut enim diminuitur, aut tollitur, aut deprauatur, aut augetur. Diminuitur vel quia nulla suctio fit, vel quia suctio non sentitur; non sentitur enim in delirio, nam deliriũ aliquãdo est causa inappetentiæ; licet enim deliri appetentiam habeant, præ delirio tamen ignorant, nec cibum petunt; sunt aliquando sitientes, & tamen non sitiunt, dolentes & tamen dolorem non percipiunt, ita & famentes & tamen non appetunt. Contingit etiam inappetentia propter defectum suctionis, vt dixi: multæ autem sunt causæ, ob quas non fit suctio; prima est, quia non mittitur humor melancholicus à liene ad ventriculum; humor enim ille solet naturaliter mitti ad os ventriculi ad excitandum appetitum, faciendo corrugationem orificij ipsius. 2. causa est quia os ventriculi obsessum est multo prauo humore, suctionis sensum impediente. 3. causa est corruptio ciborum; nam ex hâc causâ contingit etiam inappetentia. 4. causa est intemperies oris ventriculi, propter quam fit vt eius actio lædatur, vel eius sensus intermoriatur. 5. causa est, quia adest pletora vel plenitudo ciborum in stomacho, hæc enim faciunt vt membra non sugant, vel saltem vis suctionis ad orificium stomachi non contingat. Fit etiam nulla suctio, cùm vel venæ

iecoris

iecoris vel meseraicæ sunt obstructæ; Hinc in fetero & tumoribus lienis ægri non appetunt. Non fit etiam suctio, quando non fit inanitio aut dissipatio humorum; nam cutis pori sunt obstructi, vel calor corporis tam exiguus, vt nullam faciat dissipationem. Inappetentia ergo aliquam harum causarum indicat, quam autem indicet, ex aliis signis propriis cuiusque affectus coniunctis est colligendum. Si est inappetentia propter extinctum calorem natiuum, dignoscitur, quia ægri sunt vicini morti, adsunt grauissima & lætalia symptomata, oculi caui, pulsus languidi, excrementa nigra, frigidi sudores, &c. Si est inappetentia propter intemperiem calidam, cognoscitur ex signis illius intemperiei; oris sc. erit intemperies, sitis ingens, lingua arida, vomitus bilioſus, mordicatio in orificio stomachi, &c. Si propter intemperiem frigidam seu pituitosum humorem os stomachi obsidentem, nulla erit sitis, sputum multum, vultus pallidus, somnolentia, œdematosa constitutio. Si contingat ex eo, quòd melancholicus humor ad stomachum non mittatur, dignosci poterit, quòd forsan lien sit durus, tumidus, adsit arquatus niger, propter quem omnis melancholia in habitum feratur, vel hæmorrhoïdes immodicè fluent, vt omnis melancholia ad aluum conuertatur. Si contingat ex obstructione Mesaraïcarum, proper quam impediatur suctio, aderunt signa eiusmodi obstructionis. Si propter humores putridos aut vermes, percipietur dolor, mordicatio, fœtor oris, nausea, &c. Si est propter plenitudinem corporis, cognoscitur, quia adsunt signa plethoræ, corpus est graue, venæ tumentes, sudor per noctem, consuetæ euacuationes retentæ. Si fiat defectu caloris naturalis, corpus erit extenuatum, refrigeratum, exsuctum, atque diuturnitate morbi exhaustum. Atque hæc sunt diagnostica. Quoad prognostica, bonum est in omni morbo appetentiam habere bonam; bonum est functiones semper esse integras, & accedere ad statum sanitatis, præcipuè autem est bonum in morbis longis, vt docet Hippoc. 7. *Aphor.* quia in morbis longis requiritur, vt corpus bene nutriatur, & cibum appetat, vt corpus vires habere possit ad resistendum diuturnitati morbi. In acutis, quia tenuis victus requiritur, inappetentia non est ita mala, saltem non est ita mala vt causa, etiamsi semper sit mala vt signum. Bonum ergo est in morbis perseuerare appetentiam, intellige appetentiam naturalem; nam appetentia non naturalis semper est mala. Habent ergo aliquando ægri appetentiam, quæ non est naturalis, quæ reuera est mala; vnde oportet bene animaduertere ne decipiamur putantes aliquando appetentiam esse naturalem, quæ reuera est contra naturam ac praua: sic aliquando contingit hominibus, vt per noctem desiderent cibum & auidè edant; quod aliquibus videtur esse bonum signum, & paulò post moriuntur; talis appetitus fit aliquando ab acido ac frigido humore ad stomachi orificium delapso. 2. *Aphor.* 33. sic habetur: *in morbis mente constare & bene se habere ad oblata, bonum; contrà verò, malum.* 6. *Aphor.* 3. *in difficultatibus intestinorum cibi fastidium malum, cum febre, peius.* In omnibus

morbis acutis cibi fastidium perpetuò malum, pessimum autem cum omnem cibum aduersantur: sic Hipp. 3. *Epid. comm.3.* de Aurianachis filio moribundo inquit, quòd omnes cibos toto illo tempore fastidiuit, neque appetiuit quidquam. Sic Hippoc. 1. *Epidem. comm.* 1. *t.* 30. de tabidis in Epidemicâ constitutione Mortuis ait, quòd omnes perpetuò cibos fastidiebant, & non sitiebant. Pessimum est fastidium cibi, si cum aliis prauis symptomatibus coniungatur. Sic *in Coac. comm.* 3. *t.* 5. *quibus*, inquit, *fastidia cibi accedunt, & sudores cum bono colore faciei & liquidâ aluo, aut dolore cordis, hi peripneumonicorum more intereunt postquam diutiùs agrotarunt.* Et 3. *Epidem.* de Hermocrate ait 20. *semper à cibo fastidiebat, omninò mente constabat, loqui non valebat, lingua inaruit, non sitiebat, obdormiscebat, comatosus periit.* 27. sic loquitur de muliere, quæ apud frigidas aquas decumbebat: *Tertiò*, inquit, *à partu die febre correpta est horridâ, quartâ die cibum fastidiebat, sextâ die ad cibos auerso animo se habuit:* & postea, ait, *hæc perpetuò cibum fastidierat, & obiit.*

Ab appetentiâ supra modum auctâ, quæ canina vocatur, etiam sumuntur signa. Contingit hæc ex plurimis causis, interdum fit propter acidum humorem os ventriculi obsidentem, vel eius tunicis imbutum, qui aciditate suâ facit continuam in orificio stomachi corrugationem, quæ sensum suctionis mentitur. Interdum fit propter nimiam indigentiam & membrorum exhaustionem, quæ exhaustio contingit vel ex nimiâ sanguinis euacuatione prægressâ, vel à vomitu; egestionibus, exercitiis, vel ex morbo diuturno prægresso, aliquando propter vermem vnum aut plures maximos, qui alimentum omne ad se trahunt, & consumendo relinquunt corpus semper cum fame & indigentiâ alimenti. Sic scribit Nicolaus Florentinus se cognouisse mulierem, quæ post maximam famem excreuit centum vermes. Quapropter fames indicat vel magnam euacuationem prægressam, inediam, vigilias, morbum aliquem longum ac diuturnum. Sic à quartanis conualescentes magnam habent appetentiam. Si appetentia est coniuncta cum vomitu, si multi acidi ructus, si flatus, & non præcessit inanitio, signum est appetentiam esse ab humoribus acidis circa orificium stomachi hærentibus. Si adest fœtor anhelitus, mordicatio, si vermes aliquando eiiciantur, si æger est puer, si morsus percipitur magno stomacho ieiuno, si syncope superuenit, quando nimis diu à cibo abstinent, signum est vermium.

§. IV.

A siti immoderatâ.

Immoderata sitis contingit propter insignem vel siccitatem vel caliditatem, vel vtramque simul; eamque vel in orificio ventriculi, vel aliis

aliis partibus ad os viam habentibus : Sic contingit aliquando sitis vitio stomachi, aliquando vitio solius oris vel faucium, aliquando vitio asperæ arteriæ vel pulmonis vel hepatis ; aliquando contingit propter vapores salsos ab aliis partibus ad os ascendentibus, vel salsam pituitam à cerebro in palatum destillantem : sic in ascite adest sitis, vel propter inflammationem membrorum internorum ; etenim in omnibus partium internarum inflammationibus, mesenterij, diaphragmatis, pulmonis, hepatis, cerebri; in omnibus febribus acutis adest intensa sitis. In sanis siticulositas indicat vel salsorum aut acrium ciborum esum, vel exercitia prægressa, aut longam locutionem, aut calidam hepatis intemperiem. Sitis in eiusmodi affectibus non est mala, quia est conueniens symptoma naturæ morbi ; & tamen sitis inextinguibilis est mala, quia indicat magnitudinem mali. Inextinguibilis sitis delirium minatur. Absentia sitis in talibus morbis est malum signum; quia indicat vel delirium, in quo ægri sitim non sentiunt ; vel emortuam facultatem, teste Galen. *comm.* 1. *in* 1. *Epidem. t.* 3. Pessimum est in acutis febris cùm ægri antea sitiuerunt, permanente morbo sitim sine causâ tolli ; sic Hippoc. 2. *Pror. t.* 22. *sitis*, inquit, *quæ non ex ratione in acutis morbis soluitur, est mala.* Vbi Galenus *in comm.* dicit, posse contingere, quòd sitis cesset, si morbus vel vomitu, vel deiectionibus, vel aliâ viâ sit iudicatus : posse etiam remitti sitim propter refrigerantia & humectantia medicamenta assumpta ; at si neutrum præcesserit ; sed morbo permanente sitis sine causâ cesset, vel emortuam facultatem, vel morbi malignitatem ostendit. Sicut enim in acutis & ardentibus febribus vrinas esse naturales est signum malignitatis, ita etiam malum signum est in morbo siccissimo & calidissimo non adesse sitim, vel eam si ante adfuerit sine ratione cessare. Longè pernicioſior est defectus sitis, si illum quoque alia pessima signa comitentur ; quæ & Galenus docuit *comment.* 2. *in* 1. *Epidem. tom.* 75.

Not. quòd aliquando contingere possit absentia sitis in calidissimis morbis, quæ non est exitiosa aut mala. Potest aliquando contingere, vt humor frigidus humidusque calore febris liquefactus è cerebro in stomachum delabatur, qui orificium stomachi sic humectet, vt eum à siti liberet. Hippocrates dixit, tussientes aliquando non esse siticulosos, eò quòd eiusmodi frigida pituita è cerebro stillat, quæ tussim facit, ita eodem modo extinguat sitim.

SECTIO IV.

Signa ab Excrementis.

Proëmiolum.

IN Excrementis multa sunt consideranda, substantia excrementorum, qualitas, quantitas, tempus, modus, via per quam excernuntur; à quibus omnibus signa desumi possunt.

CAPVT I.

§. I.

A substantia Excrementorum.

A Substantiâ excrementorum signa desumuntur hoc modo; sanguis exiens plethoram, synochum, morbum à sanguine, vulnus vel vlcus designat. Pus, vlcus vel abscessum. Caro excreta vel membrana, vlcus itidem; fœces cucurbitinæ, latum vermem, ossis frustulum, fracturam, vel cariem ossis, &c.

A qualitate signa desumuntur hoc modo: vt si excrementa nigra, fœtentia, frigida, mordacia, &c. alium atque alium morbum, causam morbificam, salutem vel periculum indicat. Et eodem modo ab aliis excrementorum differentiis signa desumuntur.

Sumuntur porrò ab excrementis signa tum diagnostica tum prognostica: diagnostica tum causarum, tum morborum, tum partis affectæ: Causarum, quia si excernitur bilis, indicium est morbum esse à bile, si pituita, à pituitâ, si vermes vel calculi excernuntur, ab illis symptomata & reliqua causari suspicio est; Morborum; cognoscuntur ab excrementis non rarò morbi genus & natura; calidi humores in corpore abundantes acutas febres prænuntiant, frigidi debilitatem, inappetentiam, indigestionem, durities leucophlegmatiam, &c. Excrementa esse dura, quæ debent esse liquida, vstionem significant; esse verò liquida quæ deberent esse dura, indicant cruditatem, indigestionem &c. pus exiens, vlcus; arenulæ, calculum; ossiculorum fragmenta, cariem; sanguis putridus, niger & fœtens valde, vlcus vel apostema gangrænosum, &c. Cognoscitur etiam morbi tempus, humores crudi, morbi principium, semicocti

micocti incrementum, cocti statum indicant. Cognoscitur etiam morbi mos, sic in pleuritide sputa nigra malignitatem indicant; sudores frigidi, pingues, vomitus porracei, æruginosi, virulenti, vrina nigra, vel in ardentissimis febribus habens colorem naturalem, febres malignas significant. Cognoscitur etiam pars affecta; nam per quam viam excernuntur, ab eâ parte illa prodire suspicio est, quæ per illam viam excrementa sua solet expellere; sic tussi ejecta pulmonem, vomitu stomachum, aluo intestina ac mesenterium, vrinis vesicam vel renes laborare indicant. Substantia excrementorum etiam partem affectam potest indicare; sic carnea substantia cum vrinâ ejecta non vesicam sed renes exulceratos indicat; reiecta vomitu vel ejectione hepar; tussi pulmonem affectum. Carnea substantia per vulnus exiens, quod est circa hepar, indicat hepar vulneratum; quod est circa regionem lienis, lienem vulneratum indicat. Prognostica etiam ab excrementis desumuntur tum morbi magnitudinis, tum longitudinis, tum breuitatis, tum futuri euentus. Nonnulla exempli gratiâ hîc ponentur: *Si talia purgentur qualia oportet*, inquit Hippoc. 1. *Aphor.* 2. *confert & leuiter ferunt; sin minùs contrà.* Malum est prauos humores per plures vias excerni; quia signum est eos in variis partibus abundare, & varias partes esse affectas. Etiam in crisibus melius est per vnam quàm per plures partes aut vias excerni; nam per plures vias excerni, signum est potiùs expulsionis symptomaticæ quàm criticæ; natura rectè agens per vnam viam excernere solet; quando tamen est robusta & causi mali latè sparsa per multas vias excerni non est malum. Excrementa naturalia excerni per vias ordinarias est bonum, vt menses, vrinas, &c. contrà verò est malum. Excerni per vias breuiores, latas, & è directo, melius est semper, quàm contrà. Excrementa quæ secundum naturam sunt, bona; quæ præter naturam aliquando bona, aliquando mala: bona si criticè, mala si symptomaticè expellantur. Excernenda retineri malum; sic critico die fieri euacuationem, malum; malum quoque euacuari ea, quæ deberent retineri. Excrementa quæ toto genere sunt contra naturam, mala, vt pus vermes, lapides, carunculæ, &c. Excrementa non sunt æstimanda multitudine, sed si talia, qualia oportet, euacuentur. Excrementa eo tempore esse cruda, quo deberent esse cocta, malum est. Si in excrementis breui signa coctionis apparent, bonum est signum breuis morbi futuri; si seriùs, longioris. In morbis, in quibus nulla coctio expectatur quò tenuiora sunt excrementa, eò melius & faciliùs expelluntur; contrà in quibus fit concoctio, bonum est dura esse, & crassiora; nam hoc concoctionem indicat. In febribus sudores crassi & tenaces, maximè in principio & in intermittentibus, cruditatem indicat. Excrementa, quæ liquida sunt, cùm deberent esse dura, cruditatem indicant; contrà quæ dura sunt, cùm deberent esse liquida, vstionem & caloris excessum indicant. Excretiones nimiæ vel nimis paucæ sunt malæ; nimis paucæ morbum indicant, nimiæ naturam debilitant. Quæ per voluntatem de-

berent excerni, excerni contra voluntatem, est malum; vt ægris insciis ac præter voluntatem vrinam ac excrementa alui exire. Pessima sunt excrementa nigra; quia vel magnam vstionem significant, vel caloris natiui defectum, nisi melancholicus humor eiiciatur, aut morbus sit à melancholiâ. Pessima sunt excrementa valde fœtentia; quia vel magnam putredinem indicant, vel cruditatem, adeoque naturam superari. Quæ excernuntur, ea conuenit neque valde esse calida, neque frigida; nam si calidissima sunt adeò vt vrere videantur, interdũ ardorem vel inflammationem significant; si frigida, emortuum calorem natiuum: sic anhelitus frigidus, frigidi sudores, vrina frigida inter lætalia signa ponuntur. Excrementorum nimia crassities vel visciditas in lætalibus citam mortem, in salutaribus longitudinem indicat. Eiectiones variæ in morbis salutaribus longitudinem, in lætalibus periculum indicant.

§. II.

A sanguine exeunte.

A sanguinis exeuntis variis differentiis signa desumuntur: à modo subsistentiæ, vt si sit crassus vel tenuis. A quantitate & à qualitate, vt ab eius ardore, colore, sapore, frigiditate, &c. à tempore effluxionis, vt si in principio morbi, vel in statu, vespere vel mane, vere vel hyeme &c. A loco effluxionis, vt si per os, vterum, intestina, virgam, vulnus, nares exeat. Causæ sanguinis exeuntis sunt duplices; aliæ sunt causæ exitus, aliæ quòd talis vel talis sit & talis vel talis exeat, tali quantitate, qualitate, modo, viâ, &c. Causæ exitus sanguinis sunt tres; vel enim exit ratione facultatis, vel ratione sui ipsius, vel ratione vasorum: Ratione facultatis; si retentrix sit debilis, vel expultrix nimis robusta; Ratione sui ipsius, si in quantitate peccet, & ea ratione naturæ sit molestus, ac eam grauet, vel vasa distendat, vt facultas cogatur eum extrudere, vel ipse mole suâ orificia dilatet ac aperiat, vel sit nimis acer, vt stimulet expultricem, vel vasorum orificia erodat, vel nimis tenuis, vt per ea exsudet: Ratione vasorum, cùm ipsa rumpuntur vehementi exercitio, conatu, saltu, casu ab alto, vel cùm lax antur, vel sunt nimis parua, vt sanguinis molem continere non possint, vel orificia habeant nimis lata & hiantia vt effluat; & hæ sunt causæ proximæ fluxus sanguinis. Harum causæ aliæ sunt remotiores, aliæ propinquiores: has omnes causas seu remotiores seu propinquas potest sanguinis fluxus indicare, præcipuè itaque & maximè indicat sanguinis fluxus vel abundantiam, vel acrimoniam, vel criticam expulsionem, vel orificiorum laxitatem, vel vulnus aut vlcus, vel casum aut percussionem.

§. III.

§. III.

A singulis Differentiis : & primò ;
A Crassitie & Tenuitate.

Crassior est sanguis venosus quàm arteriosus ; ideò si sanguis sit tenuis & magis floridus , est indicium quòd exeat ab arteriis ; præcipuè si exeat cum saltu. Tenuior etiam est qui exit à venis capillaribus, quàm qui à maioribus. Cognoscitur sanguis crassus tum sensu , tum si citò & fortiter concrescat , & serositatem nullam vel paucam habeat admixtam. Crassus poterit etiam vocari , qui exit concretus : tenuis , qui adhuc liquidus est. Crassus indicat vel melancholicam complexionem , vel calorem adurentem , vel quòd in corpore diu permanserit , & nunquam fuerit euacuatus ; nam quibus nunquam secta vena fuit , iis sanguis crassior est , quàm quibus frequenter. Sanguinem qui exit esse crassum , signum saltem est eum per diaphorosim non exire , sed vel propter rexim vel propter anastomasim. Sanguis si mediocriter est crassus & boni coloris , & adsit pletora , bonitatem sanitatis & optimam hepatis constitutionem indicat. Sanguinem esse valde tenuem & valde serosum , indicat imbecillum esse hepar , & corpus ad hydropem esse dispositum , renes debiles esse vel obstructos , quodque serum à sanguine non bene separent aut ad se trahant. Sanguinem effluxum non concrescere , indicium est eum esse valde tenuem & serosum , vel esse putridum , eiusque fibras esse putredine consumptas , & talis est aliquando in affectis morbo Gallico inueterato , vel elephantiasi , vel indicat morbi malignitatem aut venena assumpta. Sanguinem exire concretum & non liquidum , vel exire sanguinis grumos , indicat eum non recenter & immediatè è venis exire , neque exire è venis remotis , sed diu exiuisse & hæsisse in loco extra venas , vel venire à partibus remotis , vel transisse partes frigidas , & non esse valde calidum , sed naturâ frigidiorem , & sic medio itinere esse concretum ac coagulatum ; nam cùm diu est extra venas , ac calore suo destituitur , grumescit : maximè autem hoc indicatur , si simul est niger , indicium enim est eum diu fuisse extra venas. Spumosus sanguis vel indicat sanguinis feruorem , vel eum à pulmone prodire , vel multo flatu aut spiritui esse permixtum. Si sanguini pinguedo permixta videatur , in sanis & adiposis obesitatem , in macilentis colliquationem indicat. Si sanguis manu per linteum traiiciatur , & terreum aliquid in eo sentiatur , quòd asperitate suâ manum feriat , nec dissolui aut conteri possit , elephantiasis signum esse nonnulli scribunt. Alij scribunt , quod si sanguini elephanticorum imponatur sal aut acetum , sal in eo non liquescet , nec acetum ei commiscebitur. Si pus sanguini permisceatur , vel

carnis

carnis ramentum cum eo exeat, indicium est eum per erosionem exire, vel ab vlcere aut abscessu prodire. Si melancholicus est sanguis, sic vt multùm nigræ substantiæ sit in eius fundo, indicat sanguinem esse melancholicum, fortè lienis aliquam subesse obstructionem, maximè si in regione lienis tumor aliquis, aut grauitas, aut molestia sentiatur. Si multa bilis aut humor flauus supernatet, indicat ægri complexionem esse valde calidam & bilioſam, & fortè folliculi fellis bilem ad se non satis trahentis adesse oppilationem. Si pituita multa adest, & sanguis mucco viscido & albo quasi operculo quodam tegatur, pituitam in corpore abundare significat. Sanguis chylo permixtus venit ex stomacho, permixtus fœcibus ex intestinis, vrinæ à rẽnibus vel vesicâ vel etiam ab hepate.

§. IV.

A quantitate.

In vulnere si sanguis copiosus exeat, venam notabilem vulneratam esse significat; & si vulnus sit in regione hepatis vel lienis, suspicionem facit, quòd illa membra sint vulnerata, vel vulneratam alicubi arteriam, vnde sanguis perpetuò fluat nec sisti possit. Sanguinis per aluum copiosa deiectio eum ab hepate vel venis meseraicis prouenire significatur. Paucus sanguis vomitu reiectus à stomacho; multus ab hepate prodit vel liene. Paucus excretione aut tussiculâ reiectus potest ab asperâ arteriâ, vel faucibus, vel thorace prouenire; multus non nisi à pulmone. Paucus sanguis per nares exiens ex cerebri venis tantùm, multus à toto cerebro. Paucus sanguis mictione emissus, à vesicâ vel collo eius, copiosus à renibus, longè copiosior à venâ cauâ vel hepate promanat. Menses copiosi, hæmorrhagia copiosa ac diu durans vel plethoram indicat, vel prægressam lautam victus rationem, vel membri vnius mutilationem vel solitam aliquam euacuationem vel phlebotomiam omissam, ætatem iuuenilem, ver, &c. vel magnam retentricis debilitatem, vel vasorum laxitatem. Si ab aliquâ parte sanguis subitò & confertim exit, indicium est eum exire propter rupturam seu rexim; si verò paulatim magisque, per diabrosim seu erosionem. Si sectâ venâ paucus sanguis exit, vel timorem, vel syncopem, vel foraminis paruitatem, vel sanguinis crassitiem, vel adipem foramen obturantem, vel venæ scissæ è loco motionem indicat. Menses retenti vel laxationem, vel obstructionem, vel grauitatem, vel corporis debilitatem, vel sanguinis penuriam. Sanguinis copiosa emissio ac diu durans cachexiam, hydropem, atrophiam ac summam debilitatem, singultum, & conuulsionem minatur. *A profluuio sanguinis desipientia, malum*, inquit Hipp. 1. *Pror. comm.*

§. V.

§. V.

A qualitate.

Sanguis fœtidus putredinem maximam indicat, vt nonnulli dicunt; verùm non puto sanguinem ad tantam putredinem ac malignitatem peruenire posse in corpore viuente, vt fœtorem acquirere valeat. Sanguis exiens calidissimus, quique per brachium defluens sensum inducit maximi caloris, est calidus & bilioſus & acrimoniâ præditus, & maximum indicat ardorem: qui frigidior percipitur, calorem indicat remissiorem, hepatis debilitatem, ac frigidam cordis intemperiem, leucophlegmatiam seu anasarcam, œdema, &c. Aliqui dicunt sanguinem elephantiacorum adeò calidum esse & aduſtum, vt si effluenti supponatur ouum recens, illud paulò pòst coquatur, non aliter quàm si bulliente aquâ coctum esset; cui tamen ego exiguam fidem adhibeo. Sanguis per os exiens, si percipitur dulcis, est valdè sincerus; si amarus, est bilioſus; si salsus serum multum, vel salsa pituita ei est permixta: si aqueam præ se ferat dulcedinem, pituitoſus est ac crudus. Idem ex colore cognoſcitur; nam si est flauus multum bilis admixtum habet; si nigricat, melancholiæ; si virideſcit, æruginoſæ atque torridæ bilis; si albicat, pituitæ. In acutis febribus ater sanguis est malum signum; quia indicat exuſtionem, & sic morbi magnitudinem. In sanis non exuſtionem, sed melancholici humoris admixtionem. Sanguis magis floridus coloris dilucidioris ac pallidus ab arteriis fluit, præcipuè si cum saltu exit; ruber à venis; sanguis qui tussi eiicitur floridus, à pulmone; niger prodit à thorace. Sanguis puerorum ac iuuenum rubicũdior est, hominum prouectioris ætatis nigrior; rubicundior, quibus vena frequenter secatur; nigrior, quibus rarò aut nunquam. Pallidus sanguis ac diluti coloris frigidiorem & pituitoſam complexionem, hepatis debilitatem, cachexiam, vel hydropem indicat, sed tum debet quoque esse seroſus. Tenuis, aqueus, qualis est lotura carnium per aluum exiens, hepatis debilitatem ac fluxum, vt vocant, hepoticum, indicat. Sanguis à remotis partibus procedens est nigrior; à propinquis magis rubicundus. Sanguis per aluum fluens cognoſcitur esse hæmorrhoidalis, si simul est valde ater; talis enim à liene procedit.

§. VI.

A tempore exeundi.

Mulieres sanguinem euomere vel tussiendo eiicere sub tempus, quo menses fluere deberent, maximè si non nihil vel parùm fluant, indicium est sanguinem ab vtero ad supernas partes regurgitare. In acutis febribus

multum refert scire, quo morbi tempore sanguis à corpore profluat: etenim euacuationes sanguinis in principio aut incremento, id est, eo tempore, quo humores necdum sunt cocti, sunt symptomaticæ ac non salutares; In die verò critico optimæ sunt & morbum soluunt, modò quantitas sit sufficiens. Stilla narium in die indice est bonum signum, & signum crisεos futuræ per hæmorrhagiam in die critico; at stilla narium in die critico est pernitiosa, tum enim nares sanguinem non leuiter stillare sed copiosè effundere deberent. Aliqui post comestum oleum sanguinem spuunt, vel per nares emittunt; alij cum caput ab igne est excalefactum; talis sanguinis fluxus nihil indicat, nisi solùm manifestam causam, & sanguinem effluxum à venarum esse anastomosi. Qui calculo renum laborant & sanguinem mingunt, mox eum iterum emingere solent, cùm vel minimum exercitium subierunt. Sanguinem emittere post casum, graue exercitium, percussionem, vociferationem, venæ ruptæ est indicium.

§. VII.

A modo exeundi.

Sanguis qui simpliciter ac æqualiter egreditur, à venâ; qui cum saltu, ab arteriâ prodit. Nota tamen, quòd sanguis venosus aliquando exeat cum saltu, sed hoc fit per accidens, nimirum quando ipsi venæ seu loco, vnde sanguis egreditur, arteria subiacet. Cum vena secatur, aliquando sanguis exilit cũ vi & valde longè, aliquando tantùm guttatim defluit, & nõ exilit, sed saltem per brachium dilabitur. Exilire cum vi indicium est, quòd sit tenuis, multo spiritui permixtus, quòd adsit plethora, quòd vena sit valde tensa, quòd rectà è venâ exiliat. Lentè decurrere aut elabi est indicium vel sanguinem in venâ esse paucum, vel foramen esse paruum ac contortum, vel sanguinem crassum esse, vel foramen carne aut adipe obturatum, vel ægrum timere vel animo delinquere.

§. VIII.

A loco effluxionis.

Qui per nares effluit, immediatè promanat à capite; mediatè verò, præcipuè quando magnâ copiâ effluit & valde diu, ex toto. Aliquando etiam prodit à liene, vel hepate, quando sc. criticè ab illis sursum pellitur; hinc in inflammationibus ac affectibus lienis sanguinem per sinistrã narem effluere, dicit Hipp. esse bonum. In affectibus verò hepatis per dextram: quia sc. lien ob rectitudinem lateris, potest euacuare per hæmorrhagiam naris sinistræ; hepar verò naris dextræ. Aliquando etiam prouenit ab vtero. Qui per os effluit, vel venit immediatè à stomacho

vel

vel pulmone : à stomacho, si cum vomitu : à pulmone si tussi exeat. Aliquando etiam promanat à capite, defluendo per palatum in os. Aliquando solùm à gingiuis aut faucibus, & tum simplici excreatione aut eiectione. Eiicitur dico, cùm sc. ab illis partibus procedit immediatè, nam mediatè potest etiam prodire à variis aliis partibus sanguinem sursum ad os regurgitantibus, vt liene, mesenterio, præcipuè si est copiosus; prouenit etiam aliquando ab vtero in mulieribus, sc. quibus menstrua cessant. Sanguis qui emingitur, prouenit vel à vesicâ, vel renibus, vel etiam venis emulgentibus, à venâ cauâ, tandem etiam ab hepate, & liene. Qui per vterum, vel ab vtero prodit, vel à venis in vteri collum tendentibus ; talis sanguis est menstruus, præcipuè si sit moderatus & periodos seruet ; at si mediocritatis limites excedat, etiam à remotis partibus, & aliquando à toto procedit. Qui per anum exit, vel venit ab inteſtinis, vel venis mesaraicis, vel hepate, vel liene, vel venâ cauâ, vel à corde per arterias mesaraicas, vel à stomacho : potest etiam à capite defluens per anum excerni, quando sc. vel naribus obstructis, vel copiâ abundans per nares totus exire non potest, sed per palatum in gulam, inde in stomachum, tandem in inteſtina delabitur. Si niger est, si exit cum leuamine, si statо tempore, si tempore autumnali in melancholicis lienis affectibus est hæmorrhoidalis, & talis est bonus. Porrò hæmorrhoidalis sanguis non tantùm à venis mesaraicis ac liene procedit, sed etiam à venâ cauâ. Talia signa diagnostica desumuntur per se à differentiis sanguinis exeuntis : verùm quia diuersæ differentiæ possunt idem indicare, & è contrà, vna differentia potest indicare diuersa, provt vnius differentiæ sunt causæ, & aliquæ indicant certò aliæ non, ideò vt aliquid vnum certò & præcisè indicet, debet cum aliis signis conferri, & præter alia signa ad aliquid vnum & certò significandum determinari : sic sanguis floridus potest indicare vel eum prouenire à pulmone: vel à loco propinquo, vel ab arteriâ, vel ex corpore puerili. Verùm quid ex his indicet debet ex aliis signis coniunctis cognosci : sanguis exiens per os potest indicare eum prodire vel à cerebro, vel thorace, vel pulmone, vel stomacho, &c. Sed vnde præcisè prodeat, ex aliis signis cognoscitur. Particulatim ergo sic nonnulla ex sanguine exeunte cum aliis signis coniuncto indicia desumi possunt. Si sanguis eiicitur confestim multus, & præcessit vulnus, clamor, ictus, casus ab alto, est indicium ruptionis : si præcessit balneum, exercitium in aëre calido, alimenta calida, est indicium ipsum exire per anastomasim. Si primò exit parum & paulatim magis magisque, si coniungitur dolor, si aliquid puris ei commiscetur, si adsunt vel præcesserunt signa salsæ pituitæ vel acris bilis, signum est quòd exeat per diaphoresim. Si sanguis per os exit sine tussi solâ expuitione, à gingiuis procedit vel faucibus : si exit cum tussi, distinguendum ; quia cum parua tussi potest exire tantùm à trahæâ, & tum simul est paucus ; si cum magnâ tussi, & est multus, & simul est floridus ac spumosus, & exit sine dolore, præcipuè si præcessit vocife-

ratio, cantus, &c. exit à pulmone; nam pulmo habet venas maximas & amplum canalem, ex quibus potest multus & confertim sanguis exire : si exit cum maximâ tussi & difficultate, & dolore, & paucâ quantitate, & niger, & grumosus, est indicium, quòd venit à thorace, præcipuè si anteà in thorace aut latere dolor fuit; nam à thorace non potest multus sanguis simul per os excerni; quia debet ex thorace imbibi in substantiâ pulmonis, vt per os exire possit, & ideò debet expui cum maximâ tussi & non nisi paucus; non enim multus simul sic imbibi potest. Si læsionis thoracis nulla adsint signa, si facies aut venæ oculorum rubent, si titillatio in palato præcesserit, præcesserit & capitis dolor, grauitas & tinnitus auriũ, si subitò exit, si aliquis sanguis simul effluit per nares, vel iam ante effluxit, signum est à capite delabi, etiamsi cum tussi excernatur; à capite enim in palatum aut fauces confertim defluens etiam tussiculam excitat. Si thoraci vulnus inflictum est, & sanguis per os exeat, indicium est, vulnus esse penetrans, si non in pulmonem vsque, saltem in cauitatem thoracis; nam ex thorace in pulmonem imbibi aliquando potest, verisimiliùs tamen est pulmonem simul esse vulneratum; nam in pulmonem sanum & non vulneratum neque in circumferentiâ exulceratum difficulter sanguis imbibi potest. Si in capite vulnus est aut præcessit casus, percussio supra caput, & sanguis per os & nares maximè exit, indicium est cranium esse fractum vel menyngem læsam. Si vulnus est in hypochondriis & cum sanguine exit chylus, & sanguis exit cum vomitu, est indicium stomachum esse vulneratum. Si exit cum admixtâ vrinâ aut serositate, & adsit difficultas mingendi, & mingitur sanguis, & locus vulneris respondeat loco vesicæ, vel vesica, vel vretires, vel renes vulnerati sunt. Sanguis serosus vulnerato thorace exiens indicat pericardium esse læsum. Si sanguis multus exeat ab ano permixtus fœcibus, ab hepate vel meseraicis venis prouenit, vel est hæmorrhoidalis; nam qui venit ab intestinis semper est fœcibus permixtus. Sanguis serosus vel loturæ carnis similis deiectione exiens non semper necessariò est fluxio hepatica, sed potest esse fluxio hæmorrhoidalis, præcipuè cùm æger est cachecticus : sic ergo est distinguendum; si æger solet sæpe hæmorrhoidibus laborare, si ægri etiam reliquus sanguis est serosus, si venæ ani tumeant vel doleant, erit hæmorrhoidalis : si verò istorum nihil adsit, sed adsit humor & grauitas hepatis, color faciei pallidus, indicium est veram esse fluxionem hepaticam ab hepatis summâ debilitate. Aliàs si sanguis per sedem per interualla exit sanis & sine læsione, si dolor aut tumor in ano, si sanguis niger, tempus autumnale, æger melancholicus, aut lienis aliquo vitio laborans, si non exit cum aliis alui excrementis permixtus, sed exit vel ante vel post emissa excrementa, vel simul cũ eis, & tamen separatur, est hæmorrhoidalis. Si paucus sãguis eiectione exit & pituitæ permixtus, & cum frequenti cupiditate desidendi, est ab intestino recto, præcipuè si adest dolor aut molestia in ipsâ deiectione; si autem sine frequenti

cupiditate

cupiditate desidendi, sed exeat cum difficultate & dolore, & parùm excrementis permisceatur, & breuî post perceptum dolorem excernatur, & dolor sentiatur circa os pubis, aut in lateribus ventris è regione ventriculi, signum est vlcus esse in colo, indeque sanguinem promanare: si verò sanguis fœcibus multùm permisceatur, & dolor circa vmbilicum sit, & non statim à percepto dolore sanguis exit, sed aliquanto tempore post, signum est esse vlcus in intestinis superioribus, præcipuè si & paruâ quantitate, & post pituitæ, pinguedinis ac ramentorum eiectionem exit. Cùm sanguis per virgam exit, si exit sine vrinâ, procedit ab ipsâ virgâ, præcipuè si virgæ aut catheter aut syringa fuerit imposita: Si exit cum vrinâ & non est vrinæ pefectè mixtus, sed statim subsidet, si est paucus, venit à vesicâ; vesica enim est exanguis. Si in perinæo aut virgâ aut pectine dolor percipitur, signum est, quòd etiam veniat à vesicâ. Si est vrinæ magis perfectè mixtus, sic quòd non subsideat in matulâ nisi post longum tempus, si est multus, renes enim magnas venas & arterias habent, promanat à renibus, præcipuè si constet in renibus calculum esse, vel circa regionem eorum dolor percipiatur, si æger corpus suum malè contorserit, aut lumbos excalefecerit. *Quicunque*, inquit Hipp. 4. *Aphor.* 78. *inopinanter sanguinem mingunt, iis vena rupta est in renibus.* Si ex genitalibus mulierum sanguis exeat, qui non sit menstruus, & sequatur post prægressos menses albos, est indicium vlceris. Si sanguis per nares exit & est paucus, si medicamentis adhibitis statim cessat, & nullus in capite dolor percipitur, est signum solùm à naribus prouenire. Si multus, & adsit dolor capitis, & post sanguinis fluxum dolor cessat, signum est proueniisse à cerebro. Atque hactenus de signis præcipuè diagnosticis à sanguine sumptis.

Prognostica à sanguine exeunte desumi possunt hoc modo. Exitus sanguinis per anastomosim est minùs periculosus aliis, nam laxata orificia facilè constringuntur, & frequenter laxatio est solum causa manifesta, quâ cessante cessat effectus. Peior est exitus per diaphoresim, quia indicat sanguinis tenuitatem & serositatem, hepatis imbecillitatem aut cachecticam ac hydropicam dispositionem; & talis exitus hoc modo solùm est per accidens, per se autem non est ita malus. Pessimus est sanguinis exitus per erosionem siue per diabrosim, primò quia indicat malitiam causæ, humorem sc. acrem & salsum. 2. quia talis exitus semper magis magisque augetur, provt vlcus crescit; & vlcera interna difficulter consolidantur. Pessimus est ille sanguinis exitus, qui fit propter vasorum ruptionem seu catarexim; priusquàm enim vasa consolidẽtur, vel æger mortuus, vel nimio sanguinis effluuio ad magnã debilitatẽ redactus est. Omnis nimius sãguinis fluxus presagit cachexiã, hydropẽ, alui humiditatẽ, singultum, conuulsionẽ, desipientiã, viriũ dissolutionẽ, tremorem, lypothymiam; quæ omnia etsi per se sint mala, peiora tamen sunt, cùm ex tali causâ fiunt. 5. *Aph.* 3. sic habetur: *vbi sanguis multus fluxerit, singultus*

aut conuulsio, mala. Externa frigida in fluxu sanguinis malum. Et 7. *Aphor.9. à profluuio sanguinis desipientia & conuulsio, malum.* Hæmoptisis seu sanguinis sputum est periculosum, quia post se trahit phthisim aut vlcus pulmonis : in inflammationibus tamen pectoris aut thoracis sanguinem expui est bonum ; & quo citiùs expuitur eò meliùs, quia signum est coctionis & roboris naturæ ; & talis expuitio est quodammodo critica. Sanguinis exitus per quamcunque partem in mulieribus, præcipuè periodicus, & quibus menses sunt suppressi, & præsertim sub tempus, quo menses fluere deberent, non est ita malus ; est enim indicium sanguinem menstruum aliò regurgitare, & expulsionem esse criticam; & ideò sanguinis exitus in mulieribus non est ita periculosus, sicut in viris. 5. *Aphor.33.* sic habetur : *fluxus sanguinis è naribus mensibus deficientibus bonum :* in aliis sanguinis fluxus, qui periodos seruat, vel nimiam indicat repletionem aut plethoram, vel intermissas exercitationes, vel membrum mutilatum. Malum est pus sanguini esse permixtum, quia indicat malum fieri ab erosione, & vel adesse vlcus vel abscessum ; sanguis per vterum exiens tempore mensium & post partum, est signum bonum & naturale. Menses in mulieribus grauidis vel imbecillum fœtum significant, vel futurum abortum. Menstrua retenta varias causant passiones: morbum comitialem, maniam, melancholiam, oculorum caliginem, phthisim anginam, tussim, vomitum, nauseam, hydropem, morbum virgineum, cordis palpitationem, capitis grauitatem, & tinnitum aurium. Si subitò exit, si aliquis sanguis simul per nares effluit, vel iam ante fluxit signum est à capite delabi. Hæmorrhoides opportunè fluentes à multis morbis liberant. Hippoc. 6. *Epid.66.* & 6. *de humoribus cap.6.* dicit, quòd *qui hæmorrhoides habent, neque lateris dolore, neque palpitatione, neque inflammatione, neque phagadænâ, neque leprâ corripiuntur.* Et 6. *Aphor.11. & 12. melancholicis*, inquit, *& nephriticis hæmorrhoides superuenientes, bonum.* Insanientibus si hæmorrhoides & varices superueniunt, insaniam tollunt. Et *lib. de venæ sect. aduersus Erasistratum cap.5. Hæmorrhoidibus*, inquit Galen. *pro consuetudine moderatè fluentibus* homines sanam vitam degunt ; fluentibus verò immoderatè in grauia mala incidunt : sic 1. *ad Glauc. 14. & 2. de præsag. ex puls.* dicit ; hæmorrhoides immoderatè fluentes animi deliquia, hydropem, apoplexiam, cachexiam & mortem inferre. Hæmorrhagia post dolorem capitis bona, ac eum soluit. 4. *Aphor.27.* sic habetur : *Quibus in febribus sanguis fluxerit quacumque ex parte, cùm conualescunt, iis alui humectantur* ; Hinc *Aphor. cit.* Galen. *in expositione sect.40. tertij Prorh.* dicit causam esse, quòd nimis sanguinis fluxu calor natiuus debilitetur ; vnde pituita multa generatur, à quâ ad aluum fluente ipsa aluus humectatur. Alter sanguis in acutis febribus est malum signum, indicat enim maximum ardorem & sanguinis assationem, & præcipuè si talis apparet in principio, aut incremento, aut sectâ venâ ; at talem exire per crisim non est malum; etenim criticæ eruptiones sanguinis sunt bonæ, symptomaticæ verò malæ.

malæ. Crises in calidis morbis frequenter fiunt per sanguinis eruptiones : sic febres tertianæ intermittentes, synochi, febres omnes acutæ & ardentes, inflammationes viscerum, præcordiorum, hepatis, diaphragmatis, lienis, stomachi, pleuritides, peripneumoniæ, frequenter per sanguinis hæmorrhagiam seu fluxum è naribus iudicantur, maximè in iuuenibus, plethoricis, tempore verno seu æstiuo; contingunt enim in morbis hæmorrhagiæ à sanguine calido & bilioso sursum ascendente, aut bile sursum motâ; nam cùm leuis ac tenuis sit, sursum ascendit, ac sanguini permixta partim erodendo, partim sanguinem calefaciendo, cogit eum è venis exire. Sic Galen. 3. *Prorh. comm.* 75. dicit, calidos ac tenues succos ad caput recurrentes, desipientias ac hæmorrhagias causare. Et 1. *Epid. comm.* 2. dicit, sanguinis eruptiones è naribus in ardentibus aliisque febribus ob dominantem bilem flauam fieri, quæ sanguini permixta, postquàm eum deusserit, cum eo multum calorem ad caput vehens venis narium diruptis, sanguinis effluuium facit. Hinc Hippoc. 6. *Epid.* sic inquit; *Sanguinis è naribus profusio, aut iis, qui subuirides nigrique sunt, aut iis, qui rubri sunt viridésque* ; acsi diceret sanguineis & biliosis, *fiunt.* Si ergo in iis fiant, & sint criticæ, sunt bonæ & salutares; si verò symptomaticæ, malæ. Tunc autem criticæ esse censentur, quando fiunt in morbi statu', quando signa concoctionis præcesserunt, vires sunt robustæ, alia quoque signa decretoria adsunt, quando morbus talis est, qui per hæmorrhagiam iudicare aptus sit, vt febres tertianæ, synochi, continuæ omnes & ardentes, & viscerum inflammationes, quando hæmorrhagia est sufficiens & tanta, vt morbum soluere possit, quando quoque est è directo, vt si lien & sinistræ partes inflammatione laborent, fiat per vtramque narem vel sinistram tantùm; si hepar aut dextræ partes per dextram. Sic Hippoc. 4. *de victus ratione in acut. t.* 10. *Si,* inquit, *è naribus sanguis fluxerit, vel si sudores iudicatorij legitimi cum vrinis albis, crassis & leuibus supernenerint, soluitur ægritudo.* Not. tamen, quod aliquando etiam in eiusmodi morbis hæmorrhagia sit bona, etiamsi non semper omnia signa bona coctionis appareant : sic in Metone apud Hipp. *in Epid.* vrinæ fuerunt nigræ, & cum sedimentis nigris, & in quodam qui in Dealcis horto decumbebat, vrinæ erant tenues, crudæ cum crassioribus sedimentis; & in Antiphonte Critoboli filio vrinæ fuerunt tenues, & tamen per hæmorrhagiam fuerunt iudicati. Verùm etsi aliquando propter robur naturæ contingat eiusmodi hæmorrhagias esse bonas, vt plurimùm tamen sunt malæ, & tùm solùm sunt securæ, quando supradictas omnes conditiones habent coniunctas; sanguinis enim eruptiones ac hæmorrhagiæ hanc prærogatiuam magis habent præ alis euacuationibus, quòd ipsæ etiam in principio & in aliis temporibus, etiamsi non adsint signa bonæ coctionis, possint esse magis vtiles, quàm aliæ euacuationes, quæ ferè semper sunt malæ ex eo, quòd sanguis semper per apertas partes fluat, & semper liberè & commodè exire possit, nec eget ita præparatione & concoctione, sicut alij humores, qui per alias euacuationes excerni debent.

debent. Optimum autem est eruptionem vtcumque esse bonam. Sic Hipp. 2. *Epid. largè enim*, inquit, *eruptiones liberant ferè.* Et 1. *Epid. t.65. in febribus ardentibus*, inquit, *hæc accidebant, quibus ritè & largiter sanguis è naribus erupit, eâ de causâ maximè seruabantur, nec quenquam noui*, inquit, *in hoc statu mortuum, cui rectè sanguis erupisset; nam Philiscus quidem, Epimenon & Silenius, quibus parum quartâ aut quintâ die è naribus stillauit, mortem obierunt.* Et 2. *Epid. sect. 1. t. 16. fluxus enim*, inquit, *largi sanguinis è naribus soluunt.* Quibus similia multa alia loca habet Hippoc. *in Epid.* Dixi, mediocriter magnas hæmorrhagias esse bonas; nam si nimiæ sunt, non sunt bonæ, sed malæ, & potiùs mortem inferunt; nimietas enim indicat eruptionem non esse criticam, sed symptomaticam; quia natura robusta ac ordinatè agens non plus excernit, quàm sibi conueniens sit; ideò si nimia est, indicat eam fieri à naturâ victâ, & læsâ facultate retentrice, vel naturâ ab humorum malignitate plùs iusto irritatâ, & sic est mala vt signum: est etiam mala vt causa, quia causat caloris natiui & spirituum vitalium exhaustionem; vnde tales hæmorrhagias sudores frigidi, deliquia, conuulsiones & mors sequuntur. Legimus tamen aliquando etiam maximas eruptiones, imò ad multos dies durantes fuisse criticas & salutares. Quare cùm tales eueniunt, an salutares sint an lætales sic cognoscitur: quia si æger fit robustior, si alleuiatur, si mala symptomata, quæ antea aderant, cessent, si febris, sitis diminuitur, si euacuatio in die critico fit, si ætas, anni tempus, morbi genus hæmorrhagiæ respondeant, si pulsus fiant vehementiores & æqualiores, signum est esse salutares; at si contrà fiat, & praua symptomata comitentur aut sequantur, signum est esse lætales. Pauca sanguinis excretio aliquando est bona, aliquando mala; bona est, quæ fit in die indice, mala quæ fit in die decretorio; etenim natura antequàm in die decretorio magnam faciat euacuationem, solet sæpissimè in die indice præmittere aliquam sanguinis eruptionem & eam non nisi paruam, quâ indicatur in die decretorio magnam ac insignem subsecuturam esse; & tum dico talis eruptio sanguinis est bonum signum, non quòd illa sit critica, sed quòd sit signum bonæ ac largioris fluxionis sanguinis in die critico futuræ. Tunc autem modica illa eruptio in die indice est bona, quando simul etiam aliqua signa concoctionis comitantur, & posteà in die decretorio larga eruptio sanguinis sequitur: nam si in die indice non fiat, sed in alio, & non adsint signa coctionis, & in die decretorio non sequatur larga eruptio, tum potiùs illa parua eruptio in die indice fuit pernitiosa, & malum signum; indicat enim naturam à malignitate morbi irritari & naturam quidem conatam fuisse aliquid agere, sed magnitudini morbi succubuisse. Mala verò est omnis parua eruptio sanguinis in die critico, præcipuè si mala signa adsint, si vires sint debiles, si morbus fiat à sanguine, ætate iuuenili, & vere; nam in tali constitutione sanguis maximè abundat, & deberet maxima eius eruptio fieri; & parua non sufficit, nec potest morbum iudicare. Et sic vsque apud Gal. & Hipp.

Hipp. stilla narium in die critico pro pessimo signo habetur. Vt 4. *de victus rut. in acut. t.* 66. *&* 1. *Prorh.*1. *Epid.*3. *t.*35. habetur.Ibi enim Hippoc. loquitur de epidemicâ constitutione, & inter pessima signa ponit, quando per nares pauca stillabant;nam Epimeon,Philiscus, & Silenius, quibus parum quartâ & quintâ die è naribus stillabat, mortem obierunt : sic Hipp. 1. *Prorh. stillatio*, inquit, *è naribus est pernicioſa, & maximè si quartâ die inceperit :* ille enim dies in ardentissimis & acutissimis febribus est criticus. Pessimæ sunt insuper illæ stillæ narium, in quibus sanguis niger & crassus exit ; sic Hippoc. 4. *Prorh. t.*54. *è naribus*, inquit, *stillicidium, malum, lætale, si nigrum ; quia*, vt inquit Galen. *in comm. est indicium sanguinis summè calidi & adusti* ; immò stillicidium sanguinis in acutis tum maximè est malum, si cum aliis prauis symptomatibus est coniunctum. Sic 3. *Prorh.* inquit Hipp. *quæ ex naribus cum surditate & torpore parua est stillatio, difficile quippiam habet.* Vbi Galen. *in comm.* dicit, non illam difficile quippiam habere, sed omninò esse lætalem, & *lib.*1. habetur : *ex naribus si stillicidium sanguinis fuerit cum sudore frigido, aut refrigeratione extremorum, lætale.* Pessimæ itaque sunt, quæ cum torpore, comate, vigiliis, delirio, inquietudine, frigiditate extremorum, &c. sunt coniunctæ. Verùm non tantùm stilla narium, sed omnis sanguinis eruptio, si cum prauis symptomatibus est coniuncta, vel si alia praua symptomata eam sequantur, est lætalis & pernicioſa ; talia praua symptomata sunt vrinæ nigræ, vel sedimentum nigrum, vrinæ turbidæ vel subiugales, siue valde crassæ, non clarescentes, vel tenues & aquosæ, vomitus fœtidus, virulentus & diuersi coloris, deiectiones nigræ, colliquationes, &c.3. *Prorh. t.*25. sic habetur : *Sanguinis eruptiones cum deiectionibus nigris & prærubris malæ.* Et Galen. *in comm. t.*37.dicit,*omnes sanguinis eruptiones cum resudatione*, id est, cum paruis sudoribus,*esse malignos* ; item cum deiectionibus nigris, surditate, &c. Et 2. *Coac.s.*2. sic habetur. *A profluuio sanguinis è naribus paucus sudor cum refrigeratione,malum.* Et 4. *quæ diebus decretoriis perfricliones fiunt à sanguinis profluuio,pessimum.* Atque hæc omnia intelligenda sunt de morbis acutis, sicut & pleraque omnia prognostica. Porrò in morbis frigidis eruptio sanguinis est mala, præcipuè cùm est copioſa;quia refrigerat magis.

CAP. II.

A Pure exeunte.

PVs à quacunque parte corporis exiens,vel vlcus vel abscessum indicat. Vlcus;si paulò ante per eandem partem sanguis exierit, vel præcesserit casus ab alto, aut vis corpori sit illata, aut si præcesserit destillatio acris & salsa, quæ vlcus potuerit excitasse;& præcesserit lentus ac

diuturnus dolor in parte, vnde verisimile pus promanare insuper si adsit febris continua ac parua, & pus paulatim exeat, primò paruâ quantitate, paulatim verò maiore quantitate, & exiuerit primò parùm sanguinis, & illi sanguini parum puris fuerit permixtum, & paulatim plus puris, minùs verò sanguinis, excernatur; tunc dico hoc esse vlceris signum. At si ante præcessit in aliquo loco dolor magnus & intolerabilis, tensio & durities cum rubore, cum ardente febre & siti magnâ ac linguæ siccitate, & malum illud de repentè sit obortum & acutissimum, sic vt celerrimè tempora sua percurrat, & ad statum perueniat, & non præcesserit vulnus aut sanguinis excretio & in statu pus erumpat idque subitò & magnâ quantitate, & primò exeat pus clarum & album, & paulatim postea cum pure exeat sanguis, & adfuerint signa vnicuique parti inflammatæ propria, & pure eiecto, dolor, febris, tensio subitò cessant aut minuantur; est signum abscessus. A quâ parte pus promanet, colligitur ex viâ, per quam excernitur, & à modo, quo excernitur, & situ ac regione partis dolentis. Si per nasum aut aures exit, à capite exit: si tussi, à pectore vel thorace: si vomitu, à stomacho, intestinis, mesenterio, hepate, liene; à quâ autem istarum partium, cognoscitur ex situ doloris, tumoris, roboris, ac caloris percepti, & propriis vniuscuiusque partis actionibus læsis. Si deiectione exit, prouenit ab eisdem partibus, à quibus cùm per vomitum exit. Si mictione & cum vrinâ, à vesicâ, renibus, & etiam à partibus superioribus; nam etiam à thorace ad vias vrinarias peruenire & cum vrina excerni authores prodiderunt: si per genitalia mulierum, ab vtero aut partibus vicinis. Si pus per virgam eiectum aliquando est sanguinolentum, si pus vrinæ exactè permiscetur, & difficulter subsidit ad fundum, & si subsidat nihilominùs tamen vrina manet adhuc turbida, est indicium, quòd exeat à renibus; ratio est, quia renes sunt viscus carneum multo sanguine præditum, hinc sæpe cum pure sanguis emingitur. Denique quòd pus vrinæ exactè permisceatur, est signum quòd veniat à partibus remotis; nam si à propinquis veniret, non posset ita exactè mixtum esse, & consequenter indicat, quòd procedat à renibus, qui inter vasa vrinaria sunt remotiora, maximè hoc significatur, si insuper in loco renum æger dolorem sentiat, si æger calculo laboret & sanguinem ante minxerit, & diutissimè dolorem in loco renum senserit. Si puris quantitas non sit ita magna, & magis pus vrinæ sit permixtum, signum est vlceris; at si diu ante de dolore ibi conquestus non sit, sed subitò dolor inuaserit, paucis diebus durauerit, & fuerit intensissimus cum febre maximâ, tensione, dolore, rubore, doloriſque ad tactum externum obacerbatione, & subitò pus erumpat, ac copiosum, & eo erumpēte dolor minuitur, signum est apostematis renum. Si parum puris cum vrinâ emingitur, & illud mediocriter cum vrinâ sit permixtum, & dolor à renibus ad pectinem pertingat, à ductibus vrinariis prouenire indicat. Si pus in vrinâ citò subsidit, & viscidum est,

ac

ac viscido muco permixtum, & æger nullum dolorem, inflammationem circa lumbos senserit, sed dolorem sentiat in perinæo, eumque diu antea senserit, & etiam in pube, si signa calculi adsint & difficultas vrinæ; si verò fœtet, signum est vlcus esse in vesicâ; multò magis, si etiam cum vrinâ squammulæ excernantur. Si pus sponte exit & sine vrinâ, aut si exit ante vrinam, & pod redditam vrinam dolor crescit, signum est vlcus esse in virgâ; nam à transeunte per virgam vrinâ mordetur locus vlceratus & dolor crescit; nihil enim à renibus effluere potest nisi vrinæ sit permixtum. Si pus per aluum exit, si est separatum ab alui excrementis, si exit potiùs cum anus detergitur, si exit cum tenesmo, indicat ani fistulam, vel hæmorrhoïdes exulceratas, maximè si hæmorrhoides frequentes fluant; si pus illud sanguini permixtum sit, si leuiter permixtum sit excrementis duris, & primò exeuntibus & cum tenesmo, à rectiore & propinquiore procedit intestino. Si exit cum torminibus & valde permixtum fœcibus, venit à colo & superioribus intestinis. Si fuerint inflammationes in mesenterio, hepate aut stomacho, & subitò erumpit pus & magnâ quantitate & putum ac non permixtum fœcibus atque album, & erumpente dolor mitigatur, est signum ipsum prodire à parte illâ, quæ per alia signa iudicata fuit inflammationem habere. Pus ex pudendo vlcus vteri demonstrat; si fœtet, vlcus est cancrosum. Si venit à ceruice vteri, dolores circa coccygem, id est, ossis sacri caudam, erunt ad femur vsque exporrecti. Si pus tussi eiiciatur, & præcesserunt signa phlegmones, & signum pleuritis vel peripneumoniæ, & subitò eiiciatur & magnâ quantitate, & augetur difficultas respirandi, indicium est intus in thorace abscessum esse ruptum; nam quia pus in cauitatem thoracis lapsum super diaphragmate iacet, ideò difficultas respirationis augetur. Si tussis diu durauit, & malum lentè incepit & paulatim creuit, & non adsit difficultas respirationis, & pus sit pituitæ permixtum, & non excernatur magnâ quantitate, sed primò minor quantitas fuit, & paulatim augetur, & præcesserit sputum sanguinis, & adhuc sputa purulenta sanguinem admixtum habeant, & adsit lenta febricula, est signum vlceris pulmonis & phthiseos. Dico, si pus tussiendo expuitur: verùm hoc non rarò est inter medicos controuersum, an quod tussi expuitur, sit verum pus, an tantùm lenta pituita. Proponunt autem authores diuersa signa, quibus hoc potest dignosci, sed signa non sunt valde certa; primũ est, quòd dicant pus super carbonibus positũ fœtere, pituitum non; sed ratio non est efficax, quia pus à phthisicis prodiens non est valde fœtidum. Secundum signum est, quòd dicant pus in aquâ positũ, præcipuè marina vel salsa, descendere ad fundum, pituitam non ita, sed neque illud signũ est valde certum, quia etiam crassa & excocta pituita ad fundũ descendit. Cælius Aurelianus 2. *de morb. acut.* c. 14. dicit dignoscendũ esse ex eo, quòd pituita sit albior pure, & pus ad liuorem magis vergat; & hoc signum non est malum; sed dico ego, si sputũ est crassum instar puris, & subrubeũ rubedine toti sputo imbutâ, est

signum quòd sit pus, quia fit ex sanguine, & tale pus rubicundum sæpe expuunt phthisici. Si sputum etiam sit subliuidum, signum est etiam, quòd sit pus & non pituita. Verùm plerumque sputum in phthisicis est flaueſcens, & tum magis difficulter videtur posse discerni à pituitâ; quia pituita crassa & excocta, & quæ aliquanto tempore in corpore hæsit, vt illa præcipuè quæ mane post somnum expuitur, est etiam flaua, vt patet in muccis, qui totâ nocte cocti mane per nares emunguntur. Aliud signum ponit Aurelianus, quod pus aquæ mixtum facilè soluitur, & non est ita glutinosum sicut pituita; & hoc signum est bonum, saltem in vlceribus pulmonis, nam ex aliis partibus sæpe pus exit valde lentum. Atque hæc sunt signa à viâ & modo exeundi.

A qualitate puris etiam signa desumuntur. 1. ante sanguinem pus eiici, & subitò & multum & album, & posteà puri sanguinem admisceri, præsertim non clarum aut roseum, sed pallidum ac semisuppuratum est indicium abscessus: parum & diu & post sanguinis exitum & magis lentum & non ita albidum, est signum vlceris. Multitudo puris etiam carnosam partem affectam potiùs indicat; nam carnosa pars est magis sanguinea, & sic plus puris edit: sic si cum vrinâ multum puris diu eiicitur, est signum vlceris renum, quia renes sunt carnosi, si parum, vesicæ, quia vesica est exsanguis & membranosa. Pus in abscessibus foràs euacuari, bonum: intus manere & intra cerebrum, thoracem vel abdomen colligi, malum. Quò plus puris ex abscessibus eiicitur, eò meliùs est; signum enim est totum euacuatum & abscessum purgatum ori.

A qualitatibus puris etiam signa desumuntur. *Pus*, inquit Hippoc. *in Progn.* optimum est, quod candidum, læue & æquale & quàm minimè fœtidum existit; nam quod candidum est, ex magis puro sanguine genitum esse, & apprimè esse coctum, & consequenter calorem natiuum vegetùm esse, indicio est: quod prauo colore præditum est, malignitatem indicat, & ex humoribus prauis sanguini permixtis genitum esse: quod leue est & æquale secundum omnes suas partes, caloris etiam robur optimamque coctionem indicat. Pus esse fœtore aliquo præditum, malum est, sed non valde fœtere est bonum signum & signum optimæ coctionis: omninò nihil fœtere est signum defectus caloris natiui: valde fœtere, est signum causæ malignitatis & morbi corruptionis. Pus aqueum indicium est ipsum ab articulis venire; quando scilicet vulnus aut vlcus circa articulos est. Aliàs pus tenue & aqueum indicium est maligni vlceris, maximè vbi neruo læso inflammatio secuta est: in aliis vlceribus pus esse aqueum est indicium cruditatis, & pus adhuc non esse coctum, & ita sæpe est indicium vlceris incipientis ac principij morbi: bonum quando incipit inspissari, hoc enim indicat incrementum adesse vel statum. Pus crassum & glutinosum etiam esse malum, & indicium maligni vlceris, & neruos, præcipuè circa articulos læsos esse. Pus ab vlceribus profundis interdum exire, interdum non exire, & quando exit,

tunc

tunc exire magnâ quantitate, indicium est vlcus esse fistulosum, & profundas cauitates habere, in quibus pus coaceruatur; & aliquando nihil, aliquando magnâ copiâ excernitur. Pus exire nigricans atro sanguini & aquæ permixtum, & supra modum fœtere, vlcus indicat cancrosum & gangrænosum. *Quicunque*, inquit Hipp. 7. *Aphor.* 44. *suppurati vruntur vel secantur, si pus purum fluxerit & album, euadunt: si verò subcruentum, sordidum ac fœtidum, pereunt.* Et Celsus *l.* 2. *cap.* 8. *à iecinore*, inquit, *si pus eruentum exit, mortiferum est; sin ex eo exit pus purum & album, salus ei facilis.* Bonum est, si pure exeunte symptomata cessent. *Ex suppuratis*, inquit Celsus, *loco iam citato, ij maximè superstites manent, quos febris eodem ab eruptione die dimiserit & qui cibos citò appetiuerint, & siti liberati fuerint. Suppuratum pulmonem habentibus per aluum pus secedere letale est*, inquit Hipp. *in Coac. prænot.* In suppurationibus viscerum pus extra corpus excerni est bonum; at verò in abdominis aut maximè in thoracis cauitatem excerni, ac intùs remanere, malum; inde enim viscerum corruptela, lenta ac hectica febris, ac hydrops promanant. *Si pus aut sanguis in vrinâ est, vel vesica vel renes exulcerati sunt*, inquit Hippoc. 4. *Aph.* 75. *Pus exiens per nares, aures, aut os capite dolenti morbum soluit*, inquit Hippoc. 6. *Aphor.* 27. *Si pus aut aqua in vniuersum effluxerit iis, qui suppurati aut vruntur aut secantur, omnes moriuntur*, inquit Hipp. cùm verò sputum retinetur, moriuntur. *A sanguinis sputo puris sputum, malum*, inquit Hipp. 7. *Aphor.* 15. quia indicium est phthisim fieri.

CAP. III.

A sudoribus.

§. I.

A Variis sudorum differentiis signa desumuntur. Differentiæ sudorum sumuntur ab eius substantiâ; & secundum hanc alij sunt crassi, viscidi, aut tenues. A quantitate, sic sudor alius multus, alius paucus. A qualitate & primũ olfactili, sic alius est fœtidus, alius nõ: A gustatili, alius amarus, salsus, insipidus: A tangibili, alius calidus, alius frigidus, alius medio modo se habens: A visibili, alius aqueus, sanguineus, viridis, flauus. A loco exeundi, alius exit à toto corpore, alius à capite tantùm, alius à pectore, alius ab extremis, vt brachiis, cruribus, &c. A tempore exeundi, alius exit de nocte, alius de die, aliis vigilantibus, alius dormientibus, alius statim post cibum, alius non, alius quiescentibus, alius obambulantibus & exercitatis, alius in principio morbi, alius in statu, alius in declinatione. A modo exeundi, alius est assiduus, alius inter potatus. Ab his omnibus differentiis signa desumuntur.

Ad sudoris generationem tria concurrunt : materia , causa efficiens, & via per quam. Materia sudorum est humidum potulentum & serum sanguinis in venis existens; aliquando ipsa humiditas alimentalis existens in ipsâ substantiâ partis ac habitu corporis; interdum ipsum humidum primigenium membrorum , quod à calore febrili dessoluitur ac colliquatur, & exit per poros cutis. Efficiens causa est tum facultas expultrix valida, tum etiam expultrix retenta debilitata & extincta. Not. tamen, quòd etiam aliquando calor natiuus & naturalis faciat sudores, vt qui fiunt æstate ab exercitio , vel in criticis expulsionibus , &c. Via per quam, sunt ipsius cutis pori. Lassitudo & apertio pororum est causa multorum ac crassorum sudorum ; adstrictio angusta nullorum aut tenuium. Sudor habet magnam efficaciam in significando & sanitas corporis ex sudore corporis colligi potest. Scribunt quidam authores fuisse quendam Regem, qui cùm vellet sibi eligere vxores , vt sciret, quænam earum esset maximè sana & optimi temperamenti , iubebat eas benè lauari & mundari & totas iubebat indui linteo gossipino, & posteà in sole exerceri , vt sudarent ; cuius sudor minùs fœtebat & minùs prauo calore præditus erat , eam indicabat saniorem. Est autem sudor maximè signum succorum existentium in venis ac præcipuè minoribus , ac existentium in habitu corporis , sicut vrina est signum eorum, quæ sunt in venis magnis. Sudor in sanis indicat calefactionem, exercitium magnum; magis sudant pingues quàm graciles , quia omnis motus eis est laborioſus. Minor est sudor in exercitatis , si post exercitium frigidam bibant , quàm contra ; quia frigus internum expellit calorem ac serum extrorsum. Facilè sudare in sanis significat sanguinem serosum, obesitatem corporis, abundantiam caloris , pororum corporis naturalem laxitatem; difficulter verò sudare, contrà : in ægris humorum copiam, expultricem irritatam , retentricem debilem.

§. II.

A modo substantiæ.

Sudor crassus fit à sero lento , vel pituitâ ipsi sero permixtâ , vel ex colliquatione carnium, atque etiam vltimi alimenti sero permixta, vt fit in hecticis & ardentibus febribus. Potest etiam fieri à calore multo serum ipsum coquente & inspissante. Potest etiam fieri à seri paucitate, quòd paucum est , id magis coquitur & inspissatur. Tenuis & aquosus sudor potest fieri ob caloris magnitudinem attenuantis serum ; vel ob venarum & pororum angustiam , per quam quodammodò colatur, & non permittitur exire , nisi quod tenuissimum est ; quod autem crassius est , retinetur: vel fit ob multam sanguinis serositatem, multam potationem aut hydropicam constitutionem. Crassi itaque sudores crassitiem & lentorem humorum indicant , vnde præsagiunt obstructiones;

quia

quia si tales retinerentur, leui occasione obstructionem corporis poris inducerent. Indicant etiam meatuum laxitatem. Crassities media indicat robur caloris, & serum bene esse percoctum. Si crassum sit cum quodam lentore & obesitate, & adsit febris hectica, & æger cum tali sudore debilitetur & emacietur, & in vrinis pinguedo supernatans appareat, indicat colliquationem.

§. III.

A Quantitate.

A quantitate sudoris varia signa petuntur, & variæ differentiæ, provt variæ sunt eius causæ. Multi itaque sudores fiunt, vel ob corporis ac pororum raritatem, quæ facilem humori exitum præbet, vel ob excrementorum abundantiam & sanguinis serositatem, vel propter copiam potus assumpti; nam qui multum bibunt, plus sudant; quia abundant in corpore tenues & bilioſi humores; tales enim natura per sudores facilè expellit; vel ob virtutem expultricis; sic in crisibus fiunt magni & multi sudores, quando natura causam morbificam per sudores expellit. Fiunt etiam multi ob debilitatem retentricis: sic in aliquibus morbis multi sudores sunt aliquando lætales, quia proueniunt à læsâ expultrice. Aluus suppressa & vrina retenta sæpe etiam sunt causa plurium sudorum; hinc diuretica assumpta sunt causa diminutionis sudorum. Cutis calor est etiam causa multorum sudorum; atque hinc æstate magis sudamus quàm hyeme; quia calor poros laxat & serum ad habitum trahit; hyems stringit & repellit, hinc etiam cachectici, etsi multo humido abundent, tamen quia frigidum corporis habitum habent, non facilè sudant. Nimius tamen calor est etiam aliquando causa sudoris diminuti, quatenus sc. humidum exiccat; hinc fit quòd in aliquibus febribus ardentibus nunquam appareant sudores. Sudor itaque multus indicat humorum abundantiam, intemperiem calidam ac humidam, ac febres: in febribus enim plerumque sudores contingunt nisi impediantur; quia natura humorem è venis per habitum corporis expellit. *Sudor multus ex somno factus*, inquit Hippoc. *absque manifestâ causâ, corpus pluri cibo vti significat; si verò cibum non accipienti hoc accidat, scire oportet quòd euacuatione indigeat.* Sudor multus post somnum sine manifestâ causâ est etiam signum hecticæ; hecticâ enim laborantes etiam hyemali tempore, & quàm pauciſſimis stragulis coaperti post primum somnum sæpissime solent sudare, quod est pernicioſum; sunt enim sudores diaphoretici & colliquatiui, qui corpus supra modum exiccant & debilitant. Sudor multus ægrotanti & acuto morbo laboranti, si in statu & in die critico accidit prægressis signis cõcoctionis, morbi solutionem indicat; at si in principio

morbi

morbi contingit, si vires sunt robustæ, morbi longitudinem indicat, quia indicat abundantiam humorum; sin vires sunt debiles, non morbi longitudinem, sed citam mortem præsagiunt, quia significant naturam multitudine humorum oppressum iri. Si sudor sit copiosus, non potest prouenire ex vnâ parte tantùm, sed necessariò ex toto, & sic non ostendit vnius partis vitium sed totius. *Sudor intersectus & non continuus est prauus,* inquit Hipp. quia talis est symptomaticus.

§. IV.

A Qualitate.

A qualitate gustatili. Salsus sudor, modò non immodicè salsus sit, sanitatem indicat; omnis enim sudor naturaliter debet esse salsus; immodicè salsus caliditatem & terreos humores exustos & salsam pituitam in venis abundantem indicat. Sudor amarus indicat bilem cum sero excerni, & biliosum in venis abundare, & sic vel caloris abundantiam, vel folliculi fellis obstructionem, propter quam contingit bilem in habitum deferri; atque hinc Ictericorum sudor est amarus. Acer atque acidus sudor ob similium humorum admixtionem contingunt; vnde eos vel expelli, quod aliquando est bonum; vel in corpore abundare, quod aliquando est malum, significat.

A qualitate olfactili. Odor sudoris non fœtidus est signum bonæ digestionis, & signum nihil praui aut fœtidi sero aut sanguini esse permixtum, fœtor sudoris contingit à putredine; hinc sudores eorum, qui leprâ aut prauâ scabie & morbo Gallico laborant, sunt fœtidi. Fit etiam fœtor teste Galeno à prauis & acribus eduliis manducatis; sic comestio ceparum & porrorum reddit sudores fœtidos; vel quia talia ob tenuitatem suarum partium faciunt fœtidos in venis existentes humores sero permiscери & ad habitum ferri; vel quatenus portio ipsorummet eduliorum suum odorem seruans cum sero miscetur; quod sudorem prauo odore inficit. Sed quæritur: è quorum humorum putredine sudoris fœtor causetur, an humorum in venis putrescentium fœtor faciat sudores fœtidos; & an sudores laborantium febribus putridis debeant esse fœtidi; & quando fœtidi sudores non sunt, an hoc sit certum signum, nullam esse humorum in venis putredinem: Dico in primis putredinem in habitu corporis prope cutem facere sudores fœtidos; atque hinc leprosorum ac scabiosorum sudores sunt fœtidi; & sudores qui exeunt sub axillis, sunt fœtidiores illis, qui exeunt ex aliâ parte corporis; quia serum cùm in illis non ventiletur, facilè putrescit. Dico 2. si nulla sit sub cute putredo, tunc si sudor sit fœtidus, indicat putredinem internam in venis; sed si non sit fœtidus, propterea non indicat, quòd non sit putredo; potest enim interiùs in venis esse putredo, & tamen sudores non esse fœtidi; ratio est, quia quando putredo est in profundo, non

necessariò

necessariò incipit fœtore humores exeuntes per cutem, & sic sudores in illo casu non fœtent.

A qualitate visibili. Sudorum color naturalis est albus cum aliquâ tamen palliditate aut citrinitate admixtâ; & hoc, quia sero aliquid bilis ob suam tenuitatem admiscetur: hinc albissima indusia infecta sudore perdunt suam albedinem, & acquirunt aliquam palliditatem; si multum bilis admisceatur fit pallidior, & ideò sudores laborantium Ictero reddunt indusia flaua, vt inquit Auicenna; ideoque color sudorum flauus indicat multam bilem in corpore abundare, vel folliculum fellis esse obstructum, & sic bilem ad externa ferri. Si color tendit ad viriditatem, est signum bilis poraceæ sero permixtæ; si ad liuiditatem, melancholiæ. Si sudor est planè aqueus, & nullo colore infectus, indicat seri cruditatem & aquositatem & pororum angustiam, qui nullos humores crassiores, sed solum purum aqueum tenue serum transmittunt. Si color est sanguineus, indicat sanguinem admixtum; hoc contingit duplici de causâ: vel quia pori sunt valde laxi non tantum cutis, sed orificiorum vasorum; vel quia sanguis est valde tenuis & aqueus; vel quia aut retentrix, aut facultas seri separatrix est valde debilis. Omnis sudor sanguineus est malus.

A qualitate tactili. Diximus alium sudorem esse calidum, alium frigidum. Sudor naturaliter debet esse calidus, nam eius causa efficiens instrumentalis est calor; calore enim separatur serum à sanguine, & calore laxantur cutis pori, per quos debet sudor transire, & calor cum spiritu motu suo sudorem extrorsum protrudit, sic vt meritò omnis sudor debet esse calidus; calor mediocris in sudore est ab his causis; calor verò excedens contingit à calore excedente & febrili, vel à bilioso humore admixto. Calidus itaque moderatè est bonum signum, & indicat robur caloris natiui; valde calidus febres ac maximè ardentes. Bonum est semper sudorem esse calidum: malum autem esse frigidum. Frigidi sudoris causæ sunt vel frigidorum crudorumque humorum permixtio, vel caloris natiui extinctio, vel saltè ad interiora retractio; hinc sudores morientium sunt frigidi, quia eorum calor est extinctus. Sudores verò laborantium syncope & rigore febrili ideò frigidi sunt, quia calor est ad interiora retractus: Sic in maximis doloribus colicis sudores sunt frigidi; quia sc. à doloris magnitudine calor veluti strangulatus est: & in febribus pestilentibus & internis inflammationibus frigidi fiunt sudores; quia calor in iis ad interiora est retractus, sic vt habitus corporis relinquatur frigidus; & ideò sudores per ipsum transeuntes euadunt frigidi. Aliquid igitur istorum frigus indicat, vel caloris natiui extinctionem, vel retractionem, vel humorum frigidorum crudorumque copiam, qui naturâ sunt superiores, nec à naturâ coqui possunt. Minùs malus est ille sudor frigidus, qui propter caloris retractionem contingit: sic in febribus intermittentibus sæpe sudor est frigidus, & talis non est valde malus, quia ille tantùm contingit ob caloris retractionem. In syncope frigidus

sudor non est etiam valde malus;& non est malus , nisi in quantum indicat syncopem, quæ est mala;syncope autem sæpe facilè cessat ; contingit autem talis frigidus sudor in syncope etiam propter retractionem caloris. Sudor frigidus post maximas euacuationes est pessimus;quia talis fit ex caloris natiui summâ diminutione ac extinctione.Pessimus quoque est frigidus sudor, qui contingit in ardentibus febribus & viscerum inflammationibus ; quia signum est omnem calorem ad interiora trahi, proindeque ibi calorem esse maximum, & magnam viscerum phlegmonem , quæ est admodùm pernicioſa. Lætalis est etiam frigidus sudor à venenis assumptis. Pessimus quoque omnis sudor frigidus in calidis febribus, partim propter causam iam dictam,partim quia sæpe fit propter resolutionem & extinctionem caloris,vel propter oppressionem & strangulationem à causâ morbificâ , vel multitudine crudi humoris coctionem non recipientis.Pessimus est frigidus sudor, qui est paucus , qui ab vnâ parte tantùm, vt capite, collo , pectore procedit , talis enim omnimodam naturæ debilitatem indicat , quæ non tantùm frigidos excernit sudores,sed nec potest etiam ex toto,sed solùm ex vnâ parte;nam quando ex toto excernuntur , saltem aliquod adhuc naturæ robur indicant, valentis adhuc humores crudos ex toto expellere , ex quâ expulsione vniuersali adhuc aliquid boni potest succedere, quod non potest ab expulsione particulari,quæ nunquam potest esse critica vel sufficiens.Pessimus est frigidus sudor, qui in statu ac die critico contingit ; quia talis non potest esse iudicatorius , sed contingit superatâ extinctaque naturâ. Pessimus quoque , qui cum lætalibus symptomatibus est coniunctus. Hipp. 4. *Aphor.*42. sic inquit, *sudor multus calidus vel frigidus, sempérque fluens, frigidus maiorem, calidus minorem morbum significat.* Et 4. *Aph.*37. *sudores frigidi,* inquit, *cum acutâ febre facti, mortem , cum mitiore longitudinem morbi significant* ; ratio est , quia in acutâ febre citiùs æger extinguitur,quàm crudi humores, quorum ratione frigidi sudores fiunt , sint concocti , in mitiore autem febre datur tempus concoctioni eius , sed tamen indicat morbum futurum longum , quia tales crudi & crassi humores difficulter coquuntur.3. *Prorh.*34. *à profluuio sanguinis è naribus paucus sudor frigidus cum refrigeratione, malus,* vt *in Epid.* aduertere licet in Phitisco aliisque,quod cum eis in acutis febribus sudores frigidi sunt oborti, omnes obiere.

§. V.

A loco.

Vbi sudor , ibi malum , inquit Hipp.4. *Aphor.* 38. hic aphorismus ita simpliciter acceptus non est semper verus;etenim in febribus malum est in toto, & tamen in iis sæpe fiunt sudores in vnâ parte tantùm. Itaque in quo ægro adest febris , in eo non est verum, quod in Aphorismos continetur;

tinetur; nam in febribus sudores sæpe tantùm fiunt in vultu, vel collo ac pectore; sed hoc est malum. 2. Si sudor effluat ex vnâ parte, & effluat valde copiosus, tunc etiam non est verum, quòd ille sudor indicet malum solùm esse in illâ parte, ex quâ effluit, quinimò indicat malum esse in toto; nam etsi ex vnâ parte tantùm effluat, venit tamen à toto. 3. Sudor exiens ex vnâ parte in febribus malignis non est signum malum esse in illâ parte, sed solùm est signum malignitatis ac mortis; itaque in tribus illis casibus Aphor. ille non est verus. Sudor ex toto melior est, quàm ex parte; ratio est, quia veniens ex toto indicat naturam esse fortem, quæ possit vndique & æqualiter humorem ex toto expellere, & est indicium, quòd viæ æqualiter vndique sint apertæ, & quòd natura non habeat vllam resistentiam. Est etiam bonus ex eo, quòd talis sit criticus; nam qui ab vnâ tantùm parte procedit, non potest esse criticus; & posito quòd aliquando etiam possit esse criticus, nimirum cùm est valde copiosus, tamen adhuc melior est ille, qui prouenit ex toto. Et hoc quidē videtur satis verum esse in sudore calido; sed dubitari potest, an sit etiam verum in sudore frigido; an sc. ille melior sit, qui ex toto procedit, quàm qui ex parte tantùm, & dicunt communiter Medici, quòd frigidus ex toto sit adhuc melior, quàm frigidus ex parte tantùm; quia per hoc quòd à toto exeat, indicatur adhuc aliquod robur naturæ. Qui verò frigidus est, & ex vnâ tantùm parte exiens, duplici nomine indicat malū; & quia est frigidus, & quia ob naturæ debilitatem non exit nisi ex vnâ parte: sic videmus Hippocratem pessimo loco habere sudorem illum frigidum, qui ex vnâ tantùm parte exit. Verùm posset adhuc dubitari an frigidus sudor, qui exit per resolutionem ac læsam retentricem seu caloris extinctionem, an non sit deterior exiens à toto, quàm à parte; ego autem puto sudorem ex tali causâ genitum deteriorem esse, si exeat à toto, quàm si ab vnâ parte tantùm; quia exiens ex toto magis debilitat naturam, quàm exiens ab vnâ parte tantùm; & sic eâ ratione est malus vt causa; est etiam malus vt signum, quia deterius est talem resolutionem, colliquationem, retentricis læsionem, caloris extinctionem esse in toto, quàm in vnâ parte. Sudores qui exeunt ex vnâ parte tantùm, in acutis morbis sunt praui; peiores si in die critico; pessimi si simul frigidi, & cum aliis prauis signis coniuncti. Hippoc. 1. *Progn.* t. 26. sudores qui circa caput, ceruicem, vultum tantùm contingunt, prauos esse dicit, indicant enim facultatem grauatam, impeditam vel resolutam. In *Coac. prænot.* idem asserit. In suppuratis ex pleuritide & peripneumoniâ pessimum, inquit, est, si nihil expuunt, si oculi cauantur, maxillæ rubent, circa collum & clauiculas sudant. In sanis partem aliquam peculiarem facilè sudare, est signum debilitatis vel caloris in eâ: sic partes, quæ aliàs à vulnere aut à peste fuerunt corruptæ, facilè sudore corripiuntur: sic qui difficultate respirandi laborant, semper magis circa caput aut ceruicē sudant. Qui debili sunt stomacho, cum concoctio impeditur, facilè circa stoma-

chum sudant. Idque circa crura contingit, quibus articuli, artus, aut membra sunt debilia.

§. VI.

A tempore.

A tempore, quo apparent, etiam signa sumuntur: sic alij apparent in principio morbi, alij in excremento, alij in incremento, alij in statu. Bonum est sudores fieri in statu; quia tales possunt esse critici; quemadmodum etiam aliquo modo possunt esse illi, qui apparent in principio incrementi; apparentes in principio morbi sunt mali; quia tales non possunt esse critici. Optimè proinde sudores, qui apparent in die critico, & qui apparent in illis morbis, qui per sudores iudicari nati sunt, quales sunt febres continuæ & ardentes ac etiam malignæ. Dixi, quòd tales sudores (possint) esse critici; quia reuerâ etiamsi in statu appareant, non tamen sunt semper critici; sed tum tantùm sunt critici, quando multas alias conditiones habent coniunctas, in quibus quando præterquam quòd fiant in die critico, sunt etiam cum præuiis signis concoctionis. 2. quòd sint calidi; nam sudores frigidi non possunt esse critici, imò sudores frigidi in die critico sunt pernicioſissimi, & pernicioſiores, quàm in alio tẽpore; in die enim critico deberent sudores esse iudicantes; iudicãtes autem sudores debent esse calidi, quia crisis sit à calore robusto, & crisis est humorum concoctorum; concocti autem humores sunt calidi. 3. requiritur, quòd sint multi & copioſi; euacuatio enim parua non potest facere bonam ac sufficientem crisim; & euacuationes paruæ sunt iudicatoria & iudicantia, quæ apud Hipp. habentur valde pernicioſa. 4. Quòd sudor sit vniuersalis; nam particulares sudores censentur esse tantùm symptomatici; nam cùm febres sint morbi totius, & morbi venoſi generis vt salutariter iudicentur, debent ex toto adeoque ex omnibus venis excerni: sic 3. *Epid.* apud Hipp. variæ sunt Historiæ, Nicodemi, mulieris moroſæ, virginis Lariſſæ, qui febribus laborantes calido & multo sudore & de toto erumpente sunt iudicati. Denique sunt boni illi sudores qui sequuntur criticum rigorem; nam talis rigor præcedens est signum, quòd natura expulerit humores è venis; etenim quando tenues & putridi humores è venis expelluntur in habitum corporis, cùm ipsi allidunt ad partes sensibiles & neruoſas, fit rigor, & sic sudor sequens rigorem est signum, quòd ipse sit factus à naturâ expellente causam morbificam è venis ad habitum. Et multis locis ostendit Hipp. *in Epid.* tales sudores frequentes post rigores esse bonos. 4. *Epid. pro bono signo in quodam ægro*, inquit, *acuta febris, rigor, sudauit.* Et loquens de Muliere in lectore decumbente, *vndecimo*, inquit, *superriguit, igne est correpta, sudauit, febre est liberata.* Et eodem modo de Phereone loquens, *decimo septimo*, inquit, *superriguit, febris acuta, sudauit, decretorie est liberatus.* Sic 4. *Aph.* 58.

ardentes

ardente febre correpto rigor superueniens, solutio; sc. rigor est indicium sudoris futuri. Quibus verbis significatur, quòd talis rigor sudorem sequens sit bonus. Bonus est sudor, qui alleuiat & morbum tollit; malus post quem mala symptomata sequuntur,& sic Hipp.1.*Prognost.*dicit, illos sudores esse malos, qui neque morbum soluunt, neque alleuiant. Et 4. *Aphor.*56. sic inquit, *febricitantes si sudor accidit febre non deficiente, malum; prorogatur enim morbus, humiditatémque significat copiosam.* Tandem omnes sudores cum bonis omnibus aliis signis coniuncti, sunt boni, cum malis mali. Tum autem magis mali censendi sunt, cum praua illa symptomata sudores sequuntur; nam quando eos præcedunt, tunc superueniente sudore & crisi possunt omnia superari & excerni; at cùm sequuntur, est signum, quòd illa crisis sit defectuosa & mala, & quòd talis sudor sit iudicatorium non iudicans. Inter alia praua symptomata pessimum est, si post sudores sequantur rigores; sicut enim dixi, bonum esse sudores sequi post rigores, ita è contrà malum est post sudores sequi rigorem; quia hoc indicium est, humores putridos illis sudoribus non esse expulsos, vel saltem non sufficienter, sed in corpore remansisse; si enim expulsi essent, iam non iterum fieret rigor. Porrò sudores apparentes in morbi principio; cùm humores adhuc sunt crudi, & nulla adhuc facta est concoctio, sunt mali, vt Hippoc. 2. *Epidem.* 1. *t.* 2. testatur.

CAP. IV.

A Deiectionibus.

§. I.

A Variis deiectionum differentiis signa sumuntur, à quantitate, substantiæ modo, qualitate, modo exeundi, tempore, &c.

§. II.

A Quantitate.

Deiectiones copiosæ seu alui fluxus à variis causis fiunt. 1. ab impeditâ alimentorum distributione; tum enim alimentum omne, etiam chylosum, cum excrementis excernitur; impeditur autem alimenti distributio vel propter mesenterij obstructionem, vel inflammationem, &c. 2. à pinguedinis intestinorum vel totius corporis colliquatione, vt in febribus pestilentibus, causo, phthisi, viscerum inflammationibus; insuper ab hepatis imbecillitate nequeuntis chylum attrahere, neque ab alimentis

ſeparare à copiâ etiam alimenti grauantis vel habentis facultatem lubricandi, irritandi, purgandiq́ue. A cacochymiâ humorum, catarrho, criſi, facultate retentrice debilitatâ, vel expultrice irritatâ. Hæc omnia, vt ſuas cauſas, indicat alui fluxus. Alui porrò fluxus aliquando eſt malus, aliquando bonus: Bonus, quat. morbificam cauſam reuellit, euacuat, deriuat; Malus, in quantum corpus debilitat, calorem natiuum diminuit, ſomnum impedit, & morbificam cauſam non educit. Plurimi morbi alui fluxu ſoluuntur. Omnis alui fluxus criticus eſt bonus; ſymptomaticus plerumq́ue malus: tum cenſetur eſſe criticus, cùm contingit præuiis ſignis coctionis, in ſtatu morbi, cum leuamine, & cùm talis euacuatur humor, qualem morbi cauſam eſſe veriſimile eſt, nempe bilis multa pituitæ permixta in acutis morbis; bilis enim acutos morbos ac qui per criſim ſoluuntur, facere ſolet. Tum verò cenſetur eſſe ſymptomaticus, cùm fit in morbi principio ſine leuamine, cum magnâ anxietate; & poſt eum æger deteriùs habeat, ac debilior euaſit. Non rarò tamen contingit alui fluxus in principio etiam vtiles eſſe, quatenus antecedentem morbi cauſam aliquando euacuant; ſed id minus ſecurum eſt. Alio autem loco nobis diſputandum erit, an ſymptomaticæ euacuationes ſeu in principiis factæ aliquando vtiles eſſe poſſint. Hipp. 4. *Coac.* 16. Sic inquit, *in febre ardente valde ſoluta aluus, lætale.* Contrarium eius dicit 4. *Coac.* 46. vbi ait: *acutos morbos deiectionibus curari; & 4. Aph.* 60. *quibus*, inquit, *per febres ardentes aures obſurduerunt, ſanguis per nares fluens, aut aluus turbata morbum ſoluit.* In *Epid. tempeſtate* 3. dicit, multos ſeruatos in ardentibus febribus, tum aliis euacuationibus, tum ſolutâ aluo. Quapropter diſtinguendum eſt, quia alui fluxus in febribus ardentibus plurimum nocet, aliquando prodeſt & morbum ſoluit. Itaque ſymptomaticus eſt lætale ſignum, criticus verò ſeu fiens in ſtatu, præuiis ſignis coctionis, cum læuamine, cùm talia excernuntur, qualia debent, vtilis eſt. Sic Hipp. *in Aphor.* illas alui turbationes dicit eſſe bonas, quibus talia euacuantur, qualia euacuari oportet, & quas ægri leuiter ferunt. Hippoc. 2. *Coac. comm.* 2. *t.* 15. *dolores*, inquit, *qui in hypochondriis incidunt, tum aliàs praui ſunt, tum ſi aluus inde profluat.* Per dolores autem hypochondiorum intelligit pro more ſuo, hepatis ac lienis inflammationes. Et 6. *Aphor.* 16. dicit, *à pleuritide ac peripneumoniâ detentos, ſi fluor alui ſuperueniat, malum:* quibus verbis indicat, in internis inflammationibus alui fluxum eſſe lætalem ac periculoſum; & ratio eſt, quia talis alui fluxus eſt cum magnâ noxâ & ſine vtilitate; debilitat enim, & interim cauſam morbificam ipſi inflammationi incluſam non poteſt educere. Aliis tamen locis contrarium dicit: Sic 2. *Coac.* 3. *comm.* 2. *quibus in febre*, inquit, *dolore lateris accedente aluus multa aquoſa ac bilioſa egerit, hi alleuiantur,* & *lib. de aëre, aquâ & loc.* dicit, *rarò pleuritidi obnoxios eſſe, quibus aluus humidior eſt.* Quapropter ſciendum eſt in viſcerum inflammationibus, ac præcipuè partium ſuperiorum, vt & pleuræ & pulmonis, vt plurimùm alui fluxus nociuos eſſe, ob cauſam iam dictam.

ctam. Possunt tamen etiam aliquando prodesse ; idque tum cùm in statu præuiis signis coctionis, ac cum leuamine fiunt. 5. *Aphor.* 12. sic habetur : *Quibus per ætatem capilli è capite defluunt, ij alui profluuio superueniente, moriuntur.* Et 5. *Aphor.*14. *si tabe*, inquit, *detentis alui profluuium superuenerit, pernitiosum :* quod quotidiana experientia docet; nam mox vt tabidi & hectici alui profluuio corripiuntur, statim summoperè debilitantur, & deficiunt, & moriuntur ; ratio est quia talis fluxus est colliquatiuus ; ex quâ humidi alimentaris & humidi primigenij colliquatione statim moriuntur:id confirmat Celsus *lib.* 8. *cap.*2. his verbis:*si quis etiam in eo morbo* (loquitur de tabe) *diutiùs traxerit, vbi capilli defluunt, vbi vrina araneis quædam similia subsidentia ostendit, atque in his odor fœtidus est, maximéque vbi post hæc orta deiectio est, protinus moriuntur.* Porrò Celsus *eodem cap.* sic inquit *: mulier quoque grauida eiusmodi casu capi potest, nimio sc. alui fluxu ; atque etiamsi ipsa conualuit, partum tamen perdit.* Ab alui profluuio non rarò mulieribus abortus contingit, à quo tum ipsis, tum ad minimùm fœtui necdum maturo mortis periculum est. Contrà alui fluxus in multis morbis prodest. Celsus *loco cit.* dicit, *alui fluxum in paralysi, lippitudine, surditate remedio esse.* Hipp. 2. *Coac. comm.*1. *lib.*6. sic inquit ; *incipienti hydropi alui profluuium aquosum sine cruditate morbum soluit* ; id est, nisi fiat à peculiari cruditate nam tali ratione hydrops non solueretur. 7. *Aphor.* 29. *leucophlegmatiâ laboranti alui fluor superueniens morbum soluit :* quod intelligendum est de leucophlegmatiâ, in quâ pituita adhuc est in venis, non de anasarcâ, cuius causa morbifica est extra venas & per aluum educi non potest. Idem asserit *sect.* 2. *Coac. comm.* 1. *lib.* 7. Porrò alui fluxus & capitis doloribus, & difficultati respirandi, & vomitionibus, colicæ, ileo, ventris doloribus, nauseis, aliisque variis inferni ventris affectibus superueniens, eos frequentissimè soluit. In læsionibus sensuum etiam frequenter prodest. Hippoc. 2. *Coac. lib.*1. *comm.*2. *lippitudini,* inquit, *profluuium alui, sponte naturæ motum, bonum.* Quòd 7. *Aphor.*17. confirmat, *libro de cap. vuln.* inflammatos oculos diarrhæâ solui scribit. Contra aluus suppressa in sanis semper est mala & vt signum,& vt causa. Vt signum, quia indicat internum ardorem excrementa alui exiccantem, obstructionem, expultricis torporem : vt causa, quia facit sordes ac prauos humores, qui cum alui excrementis à naturâ solent excerni;intùs retineri, iique retenti in intestinis faciunt ileos, dolores colicos inappetentiam, capitis dolores, nauseas : & iidem humores retenti, in viscera ac venas rapti ac bono sanguini permixti, eum inficiunt, putredinem afferunt, & in visceribus obstructiones. Si aluo diu suppressæ superueniat vomitus cum dolore hypochondrij, est signum ilei. Hippocrates vbique suppressam aluum in morbis acutis ponit inter signa conuulsionis. 1. *Coac.*36.*comm.*2. *qui capite*, inquit, *dolent, leniter desudant, aluo sunt suppressa, facilè in conuulsionem incidunt.* Et ipsemet Aristoteles *cap.*6. *hist. animal.*12. alui suppressionem in conuulsione esse malam,scribit.

bit. Porrò in omnibus affectibus euacuatione indigentibus atque à repletione causatis semper suppressio alui est mala.

§. III.

A Qualitatibus.

A qualitate visibili: Deiectiones rubræ ac sanguinolentæ plerumque sunt malæ; *nam*, vt inquit Hipp. *Sanguis à quacunque parte exierit, malum.* Sanguinis tamen eiectio periodica, sanguinisque crassi, atri, ac fœculenti, eaque moderata, & quæ hæmorrhoidalis sit, est bona. In acutis febribus eiectio sanguinolenta est mala; nam contingit ex acrimoniâ calore ac tenuitate sanguinis, & sic est mala vt signum; & euacuat spiritus, & debilitat calorem natiuum; & sic est mala vt causa, præcipuè cum peccat quantitate. In inflammationibus tamen internis cruentæ deiectiones sunt bonæ ac criticæ. Hinc Hipp. 2. *Coac. comm. 2. lib. 3. t. 26. dolores*, inquit, *hypochondrij, oris ventriculi, hepatis & earum, quæ circa vmbilicum sunt, partium, excreto per aluum sanguine seruantur, non excreto pereunt.* Quid à sanguine tum à sede, tum ex aliis partibus exeunte sit præsagiendum, latiùs supra diximus; sicut etiam diximus, quid ex pure exeunte præsagiendum; & ita de purulentis deiectionibus hîc non ampliùs loquimur. Deiectiones varias ac diuersi coloris Hippocrates vbique damnat. Eum imitatur Celsus *lib. 2. cap. 6.* enumerans varia signa mortis præcipuè in febribus continuis; *aluus*, inquit, *pestifera est, quæ variat:* quod idem dicit *cap. 8.* Variæ deiectiones ideò malæ sunt, quia indicant vel periculum, vel morbi diuturnitatem: periculum, quia indicant diuersos in corpore prauos humores esse; diuersi autem humores inducunt diuersa symptomata & confusa, & contrarios morbos, & contraria exigunt remedia, quæ vires destruunt, & difficulter diuersi humores simul possunt euacuari & difficulter diuersi morbi simul curari; cui accedit, quòd diuersitas causarum inducendo varios ac diuersos morbos & symptomata implicata & confusa, facit quòd neque morbi genus neque pars affecta bene dignosci possit; ex quo etiam sequitur difficilior cura. Indicant etiam morbi diuturnitatem, ratio est, quia, vt inquit Galenus, *diuersæ affectus & diuersæ cacochymiæ non tam breui tempore possunt expurgari, quàm vna tantùm*; sed meliùs est dicere quòd diuersitas humorum morbificorum tum solùm facit diuturnitatem, cùm morbus est salutaris, ac cùm æger est robustus; at cum æger est debilis, facit potiùs breuitatem, quia facit, vt morbus citiùs ad mortem terminetur. Eiectio valde bilioſa & flaua est etiam mala, teste Hipp. *in Progn.* est autem mala & vt signum & vt causa; vt signum, quia indicat abundantiam bilis in corpore, qui est humor prauus: vt causa, quia in exitu transiens per partes intermedias, in eis sæpe praua symptomata, mordicationes, anxietates, cardialgias, ac vlcerationes producit. Hipp. 2.

Coac.

Coac.6. quibus eiectio, inquit, *biliosa est, circa pectus mordicatio, malum; hæc enim eius abundantiam indicant in toto.* Et 7. *Aphor.23. à syncerâ deiectione dysenteria*; per synceram deiectionem intelligit Hipp. bilioſum; cùm ſc. ſyncera & mera bilis excernitur, & præcipuè bilis ſyncera aſſata & ſine ſero: interim cùm dicitur, quòd flaua & bilioſa deiectio ſit mala, intelligendum eſt cum eſſe malam, cum eſt ſymptomatica; nam aliquando eſt critica, & tum eſt bona; propterea talis deiectio mala eſt, cum apparet in principio, nec fit robore naturæ expellentis, ſed copiâ, acrimoniâ, ac malignitate bilis in toto abundantis; & tum ob copiam bilis exiſtentis in toto prænunciat morbum grauem ac periculoſum futurum; ſed in declinatione ac ſtatu non eſt periculoſa; quia tum eſt critica, ſi ſc. tum inſuper adſint ſigna concoctionis, ſi vires ſint robuſtæ, & ſequitur aleuiatio. *Deiectio alba eſt etiam mala in acutis*, vt ait Hipp.1. *Prorh.7.* ſignificat enim cruditatem, & quod eſt peſſimum, bilem intus retineri, neque eam ad inteſtina excerni, quod eſt malum: præcipuè autem eſt mala in phrenitide & ictero: in phrenitide, quia indicat bilem omnem ſurſum ad caput delatam eſſe, quod morbi magnitudinem & periculum indicat: In ictero, quia indicat maximam obſtructionem in meatu cholidocho, per quem bilis à folliculo fellis ad inteſtinum ieiunum excernitur. Hipp.1. *Coac.38. comm.2. à regio morbo abundè colorati moriuntur*, inquit, *alba verò ex his deiectio procedit.* Et 1. *Prorh.1. & 3. Coac.16. in phrenitide*, inquit, *alui deiectiones albæ & igoania, malum.* Debet autem medicus animaduertere ne decipiatur, an albedo non ſit à manifeſtâ causâ atque à cibo; ſic enim deceptus fuit Hipp. in Apollonio, in quo excrementa alui erant alba à cremore hordei, lacte, emulſione amygdalarum, &c. quæ ægri comedunt. Deiectiones virides, liuidæ, nigræ ſunt lætales, niſi fiant in morbi declinatione & ſint criticæ, & fiant cum leuamine: virides indicant magnam aduſtionem, æruginoſam ac porraceam bilem morbum facientem, quæ peſſima eſt: Liuida indicat caloris natiui extructionem, præcipuè cùm alia peſſima ſymptomata comitantur: Atra indicat maximum incèndium, torridam & ſuperaſſatam bilem. Hipp.2. *Progn.* ſic inquit: omnium maximè lætifera eſt liuida, nigra, & quæ peioris eſt fœtoris, quàm de conſuetudine. 4. *Aphor.47.* excretiones in febribus non intermittentibus liuidæ, cruentæ, & bilioſæ omnes malæ. Dicit (in febribus non intermittentibus) quia in intermittentibus, nempe quaternis fæces aliquando poſſunt eſſe liuidæ ſine periculo aut malo ſigno; quia fiunt ab humoris melancholici quaternam facientis ad aluum ac inteſtina excretione. Eaſdem deiectionum differentias etiam malas & pernicioſas eſſe dicit Celſus *lib. 2. cap.4.* Ab aliis qualitatibus ſic ſigna deſumuntur.

Excrementa alui valde & ſupra modum fœtentia ſunt praua; indicant enim magnam cruditatem, putredinem aut corporis colliquationem. Hipp.4. *Aphor.* 47. valde fœtidas fœces inter malas ponit. Et Galen. *in Epid.* fœtorem fœcium in ardentibus ponit inter ſigna colliqua-

tionis renum; colliquatiuæ enim fœces ſemper ſunt valde fœtidæ. Sic & *in Progn.* & Celſus & Aëtius valde fœtidas fæces inter prauas ponunt. Atque hoc eſt intelligendum de valde fœtentibus in acutis; nam in ſanis magnus fœtor non eſt tam malum ſignum: aliquorum enim hominum etiam ſanorum fæces, tum à ſuâ proprietate, tum à cibis, quos comedunt vt aliis, cæpis, &c. ordinariè ſupra modum fœtent: fœtent magis fœces nobilium quàm pauperum; quia fœtor fœcum à pane eſt longe minor, quàm à cibis delicatioribus. In pueris magnus excrementorum fœtor eſt inter ſigna vermium, præſertim ſi non tantùm fœtida, ſed etiam ſint liquidiora; liquidiora enim ſemper ſunt fœtidiora ſiccis & compactis. Spumoſæ deiectiones alui in acutis ab Hippoc. *in Prognoſt.* dicuntur eſſe malæ. 1. *Prorh.* 6. ſic inquit: deiectiones alui deſinentes in ſpumoſas meracas, exacerbatoriæ ſunt: Et cap. 7. in morbis acutis bilioſis valde albæ, inquit, *ſpumoſæ*, circumbilioſæ egeſtiones, malæ; malæ & vrinæ eiuſmodi; ratio eſt, quia ſpumoſa excrementa indicant multum flatum viſcidæ pituitæ admixtum; talis flatus non poteſt ſic pituitæ permiſceri, niſi vel ex magno corporis motu, vel magno ardore ac incendio interno, quo modo videmus ignem calidum in aquâ ſpumam excitare. Non fit ea flatus permixtio in laborantibus morbo acuto à motu corporis, quia tales non poſſunt multùm moueri, ſed proſtrati & quieti decumbunt in lecto; quare fit ab incendio interno; tale autem incendium eſt malum. Ego potiùs puto ſpumoſa excrementa eſſe mala in acutis, quia indicant debilitatem & debilem calorem natiuum, & ſunt ſoboles frigiditatis; omnia autem ſymptomata frigiditatis in calidis & ardentibus febribus, vt fœces liquidæ, albæ, torpor, ignauia, ſopor, liuor & excrementorum ſunt ſigna pernicioſa.

Not. tamen, quòd aliquando excrementa poſſint eſſe ſpumoſa à catharrho à capite in inteſtina delabente, & talia non ſunt ita mala: Sic Hipp. 7. *Aphor.* 30. *quibus per diarrhœas*, inquit, *ſpumoſa ſunt alui excrementa, iis à capite fit defluxio.* Liquidæ deiectiones in acutis non ſunt etiam bonæ; ſunt enim præter naturam ægritudinis; ex naturâ enim ægritudinis deberent eſſe ſiccæ; quæ autem ſymptomata in morbis ſunt contra naturam ac rationem eorum, ſunt mala ac ſuſpecta; vel enim indicant varietatem cauſarum, & præter bilem in corpore etiam abundare pituitam, vel indicant colliquationem, vel cruditatem, vel facultatem retentricem debilem. In ſanis aluum eſſe perpetuò liquidam non eſt etiam bonum; eſt enim ſignũ cruditatis, cacochymiæ bilioſæ, membra non bene nutriri, nec ex chylo alimentariam humiditatem ſatis bene ad ſe trahere; excrementa enim hominis bene valentis non liquida, nec etiam ſicca, ſed mollia eſſe debent, vt non fluant, ſed conſiſtentiam habeant & figuram, vt inquit Hippoc. 1. *Prognoſt.* 9. Celſus *lib.* 2. *cap.* 3. Paulus, Aëtius, aliique.

§. IV.

§. IV.

A modo exeundi.

Si deiectiones sponte exeunt sine sensu, malum. Hipp. 2. *Prorh. t.46.* sic inquit: *Si ex ventre tenuia non sentienti ægroto exierint, si extra se non sit, malum*; nam si non sit extra se, tum solum delirium indicant; aliàs significat partes, per quas excretio fit, non ampliùs sentire, & exire excrementa non vi expultricis, sed debilitate retentricis, vel musculum sphincterem esse resolutum.

§. V.

A substantiâ quæ cum facibus exit.

Quid sanguis, quid pus cum fæcibus exeuntia significent, suprà dictum est; quid flatus, quid vermes, infra est dicendum. Hic itaque de nonnullis aliis. Hipp. *in Coac.* deiectiones ramentosas dicit esse malas; ramentosæ deiectiones sunt, in quibus velut intestinorum ramenta conspiciuntur; cùm tales in acutis contingunt, indicant intestina erodi ab acrimoniâ humoris bilioſi morbum facientis. Ramentosæ deiectiones in dysenteriâ sunt malæ, & vlceris magnitudinem indicant. *Corpuscula quædam seminibus cucurbitæ similia exeuntia vermem latum indicant*, vt inquit Paulus *lib.4. cap.55.* Et Aëtius *lib.9. cap.4.* Porrò etsi sic posuerimus varias fæcum differentias prauas, lætales atque pernitiosas, sciendum tamen non valdè efficacia ab excrementis alui signa desumi. 1. quia aluus est communis totius corporis sentina, & natura sæpe fortuitò varij generis humores ac sordes ad aluum demandat, ex quibus nullum signum certum desumi potest; quia quantumcunque sint praua, quæ excernuntur, eo ipso sunt bona, quòd excernantur. Praua excrementa sæpe sunt signa mala per hoc, quòd indicent adhuc consimilis generis humores in corpore remanere, vel perpetuò adhuc generari; sæpe autem non remanent vel saltem pauciſſimi, vel non quotidie generantur, vel antea diu generati ac in corpore relicti robore expultricis excernuntur, & hoc est bonum. Porrò & eiusmodi deiectiones sunt criticæ, & tum omnes sunt bonæ, cuiuscumque sint humoris, & quantumcumque praui; & ideò ad securè iudicandum ex deiectionibus, salutares ne sint an pernitiosæ, symptomaticæ an criticæ, distinguendum, quo tempore, quâ facilitate exeant quo leuamine, quæ bona vel mala symptomata eis coniungantur, & an signa coctionis ac cruditatis in vrinâ præcesserint, nec ne.

Cap. V.

De Vrinis.

§. I.

Vrina quid?

VRina est excrementum secundæ concoctionis, vehiculum sanguinis, attractum à renibus, eorumque vi secretum. Dico esse excrementum, 1. quia nulla pars nutritur eâ. 2. quia quotidie excernitur, quòd non fieret, si esset vtile alimentum: nec valet dicere, quòd habeat serum vsum in corpore, cum sit vehiculum sanguinis, & ideò non sit excrementum; quia multa sunt excrementa habentia vtilitatem, quæ tamen ideò non sunt partes, vt pili, vngues, bilis in vesiculâ fellis & melancholia in liene. Duplicia enim sunt in corpore excrementa; aliqua omninò inutilia, vt fæces alui, sordes aurium, narium, &c. aliqua verò vtilia, vt iam dicta; & inter ea est vrina seu serum: non est contra naturam excrementa adhuc habere aliquam vtilitatem; sed tantùm vt sit alimentum. Pro quo not. vt adhuc dicemus, quòd vrina vt vrina seu vrina secundum appellationem, id est, vrina, quando est eo loco & statu, quo nomen vrinæ meretur, & quo propriè appellatur vrina, vtpote quando transiuit renes, ac iam est in vesicâ, non habeat ampliùs vtilitatem: & sic hinc est merissimum excrementum: tunc autem solùm habet vtilitatem, quando adhuc est in renibus: tunc verò adhuc non dicitur vrina, nec est vrina secundum appellationem, sed secundum essentiam, id est, illud serum, quod secundum essentiam quidem est vrina, etsi adhuc sic non vocetur, & ab vrinâ solùm differat per hoc, quòd necdum à sanguine sit separatum; quâ separatione essentia eius non mutatur, illud, inquam, serum habet vtilitatem. Nec valet etiam dicere, quòd serum attrahatur à renibus & vesicâ, ac proinde videatur esse alimentum & non excrementum; eo quòd si tantùm sit excrementum, non traheretur ab iis; cum nulla pars trahat aliquid, nisi quod habeat rationem alimenti; quia vt mox dicemus hoc non est verum; trahunt enim bene partes id, à quo nutriuntur. Dixi, esse excrementum secundæ concoctionis. Circa quod est difficultas; cùm alij dicant esse primæ, alij secundæ, alij tertiæ concoctionis excrementum; Alij dixerunt esse excrementum stomachi, alij hepatis, alij venarum, alij renum. *Verùm dico* in primis non esse excrementum stomachi, 1. quia chylus totius, id est, omnia quæ in ventriculo cocta sunt, quando perueniunt ad hepar, ibi permutantur essentialiter, & perdunt formam, quam in stomacho habuere & acquirunt aliam: sic vbi chylus

chylus fit ibi sanguis, bilis, &c. quæ essentialiter differunt à chylo: aquositas alimenti, quæ in chylo fuit, vnà cum chylo etiam ad hepar transit; ergo eodem modo, quo reliquæ partes chyli, in hepate essentialiter permutatur: si ergo vltimam essentiam, quam habet, acquirat in hepate: ergo non in stomacho, & sic est effectus, & consequenter excrementum hepatis; illius enim partis est excrementum, à quâ vltimò suam essentiam, & formam recipit; nam quod aquositas illa fuit, cùm esset in stomacho, hoc non est ampliùs postquàm fuit in hepate, sed illam essentiam & formam perdit; & sic si fuisset in stomacho serum seu vrina, non esset ampliùs, postquàm fuisset in hepate. Sicut ergo bilis & melancholia superuacaneæ non dicuntur excrementum stomachi sed hepatis; quia in illo acquisiuerunt suam essentiam & vltimam formam, id quod est in stomacho; ita & serum debet dici excrementum eius, eo quòd etiam in illo suam vltimam essentiam acquisierit. Non est equidem dubium, quin serum aliquod principium suæ alterationis acquirat in stomacho, sed ideo non est excrementum eius; sic enim & prædicti humores in eo aliquod quoque suæ alterationis principium habent, & tamen idcircò non dicuntur excrementa stomachi. *Probo.* 2. vbi excrementum aliquod est generatum, ibi post suam generationem statim à bono alimento separatur; sic excrementa alui post primam coctionem separantur, nec transeunt ad locum secundæ concoctionis; sic bilis, melancholia excrementitiæ post concoctionem hepatis separantur, nec transeunt in habitum corporis, id est, ad locum tertiæ concoctionis: sed serum non separatur à chylo bono post primam concoctionem, sed cum toto chylo transit ad hepar: ergo non est excrementum primæ concoctionis; quia excrementum anterioris concoctionis non transit ad organum secundæ concoctionis; nec organum secundæ concoctionis trahit illud; vrina autem seu serum trahitur ab hepate, vt est manifestum; quia si traheretur, non posset sponte suâ per angustias venarum mesaraicarum pertransire. *Probatur* 3. vsus seri est pro secundâ coctione; ergo in illâ generatur. anteced. probatur; quia vsus seri est deducere sanguinem per minimas venas & humiditate suâ impedire, ne sanguis superasset: vt patet ex eo, quòd serum etiam in vltimis venarum extremitatibus reperiatur; vbi non reperiretur, nisi propter illam causam, vt scilicet sanguinem eò deduceret. Conseq. prob. quia si fuisset excrementum primæ, non conueniret ad instrumenta concoctionis secundæ, ibi bonum illius coctionis alimentum deprauari. *Probo etiam* non esse excrementum tertiæ concoctionis; si enim esset excrementum tertiæ coctionis, deberet esse excrementum illius tertiæ coctionis, quæ fit in renibus vel vesicâ, & esset excrementum renum aut vesicæ; at hoc non est; Ergo. *Probatur. minor.* 1. serum est excrementum commune, & est excrementum totius alimenti, & non est excrementum alicuius partis

peculiaris; hoc indicat eius quantitas ; nam neque renes , nec vesica possunt habere tantam quantitatem excrementi. Denique excrementa tertiæ coctionis sunt solùm quædam sordes & vapores à singulis partibus secedentes. 2. Seri vsus est in secundâ coctione ; ergo non potest generari in tertiâ quia sic haberet citiùs vsum quàm essentiam, quòd est absurdum. 3. Serum secernitur à renibus,ergo est genitum antequam ad renes veniat ; nihil enim secernitur , nisi quod iam ante est ; secretione autem solâ essentiam suam non acquirit. Dico itaque serum & vrinam esse excrementum secundæ concoctionis, *quòd probatur*: 1. quia si neque est primæ neque tertiæ, tunc est secundæ. 2. in organis secundæ concoctionis necessariò alteratur,in illis reperitur , in illis præstat vsum suum, ab illis exiens secernitur, partim per halitum corporis, & dicitur sudor, partim per renes & vesicam & tunc dicitur vrina , cum alimento secundæ concoctionis manet commixtum , & sequitur mutationes alimenti secundæ concoctionis, & sicut illa mutatur , ita & ipsa mutatur , & sic ex eâ optimè iudicatur de dispositione alimenti, & instrumentorum secundæ coctionis. Est equidem verum vrinam bene indicare super primam coctionem , & super organis coctionis tertiæ , nempe renibus & vesicâ, sed hoc non est eo, quòd in iis essentiam suam acquirat,sed quòd per ea transeat , & in prima coctione aliquod saltem rudimentum suæ alterationis , & in renibus ac vesicâ aliquam vlteriorem perfectionem suæ essentiæ acquirat. Dicet aliquis , argumenta prædicta probant quidem serum in secundâ coctione generari,sed non vrinam;vrina enim videtur esse quid à sero diuersum;quia serum , quod est in venis , quandiu est in eis, non potest dici vrina, sed tunc tantùm, cùm à renibus & vesicâ est attractum & ab iis alteratum , & sic vrina non est in venis , nec in eis fit , sed tantùm in renibus ac vesicâ. Resp. verum esse vrinam non dici talem , antequam sit attracta à renibus , & quàm diu est in venis non dicitur vrina ; verùm nihil refert , quòd ibi non vocetur vrina , sed sufficit , quòd essentialiter sit vrina , & quòd vrina , quæ est in renibus ac vesicâ, non habeat aliam essentiam, quàm serum , quòd est in venis, & quòd non differant essentiâ,sed leui aliquâ alteratione,quam adhuc vrina in renibus aut vesicâ acquirere potest:& sic verum est,quòd vrina essentialiter in hepate & venis generetur ; & sic ibi existens vrina nondum appelletur ; appellatio enim nihil facit ad rem , nec mutat eius essentiam. Itaque vrina essentialiter est excrementum hepatis & venarum, 2. solùm autem tunc vrina dicitur , cùm ad renes & vesicam est secreta , & sic quoque hâc ratione non immeritò potest vrina renum & vesicæ excrementum dici;quia per illa saltem transit , & in iis aliquam leuem alterationem & vrinæ nomen acquirat.

§. II.

§. II.

De Materiâ vrinæ.

Duplex est vrinæ materia, vna remanens, altera transiens. Pro quo notand. etsi potus assumptus, postquàm in hepate essentialiter est transmutatus, sit verè & substantialiter serum; & serum, quod est in venis cum sanguine, non habeat aliam essentiam, quam ille potus, qui in hepate alteratus in venas cum sanguine non transit, sed statim à sanguine separatur & vehitur ad vesicam, tamen ille potus alteratus & sic ad vesicam missus, non dicitur serum, quia nec dum fuit serum sanguinis, & necdum cum sanguine fuit, & nondum præstitit vsum quem præstat serum, quod est in sanguine, & sic non dicitur serum, etsi secundum essentiam sit serum & non differat ab eo: ergo materia ordinaria vrinæ est potus, qui seri vice adhuc functus non fuit, sed ab hepate immediatè est separatus; & illa est materia transiens eius. Dico transiens, quia potus debet primò essentialiter permutari, antequam fiat vrina; si enim essentialiter non transmutetur, sicut aliquando bene contingit in ebriosis & multum bibentibus, qui sæpe potum assumptum immediatè & non alteratum emittunt, illa non est vera & essentialiter vrina, sed tantum potus per corpus transmissus; Potus ergo est materia ordinaria principalis & proxima vrinæ: per potum autem intellige potum immediatè ante assumptum, seu pridianum seu propridianum. Constat vrina etiam ex aliâ materiâ, sc. sero sanguinis seu illo liquore, qui propriè dicitur serum, quòd sanguinem deduxit per venas, & cum sanguine in venis fuit, & aliquando multis forte mensibus & annis in corpore fuit, illius enim portio aliquando frequenter aut plerumque vrinæ admiscetur; quando enim serum quod cum sanguine est, officio suo functum est, aut in sanguine incipit abundare, tunc natura illud expurgat, interdum per sudores, vt in æstate, plerumque autem per vrinas; illud enim serum est materia vrinæ immanens, quia illud, vt fiat vrina, non debet essentialiter mutari sicut potus, sed tantum à sanguine separari & à renibus trahi. Porrò etsi illud serum sit quoque genitum ex potu, tamen quia non immediatè sed multo tempore ante sic genitum est, ideò meritò dici potest, quòd illud non sit materia ordinaria vrinæ; & quòd ille potus, ex quo illud serum genitum est, non sit nisi materia vrinæ valde remota; potus autem pridianus & serum sunt materia proxima: potus pridianus vt materia transiens, serùm verò vt immanens; nam alioqui si de totâ materiâ vrinæ loquamur, nempe & de proximâ & de remotâ, sic non erit alia materia nisi potus. Materia quoque permanens est aliqua pars bilis; sæpe enim aliquid bilis vrinæ permiscetur; & dicunt Medici illius bilis permixtionem esse causam flaui coloris in vrinâ, sicut probant ex eo, quod in phrenitide, vbi bilis ad cerebrum lata est, vrina sit albior.

Verùm

Verùm ego puto vrinam, bilem non necessariò omni vrinæ naturali permiscri, neque vrinam ab eâ suum colorem habere, sed à calore & coctione, provt infra. Aliqua præter naturam vrinæ aliquando quoque permiscentur, vt pituita, pus, colliquationes, &c. Sed illa non commiscentur semper & ordinariè, nec vrinæ naturali, sed tantùm morbosæ; nos verò solùm hîc loquimur de materia vrinæ naturalis. Porrò potest adhuc dubitari, an potus pridianus & serum sanguinis sint materia vrinæ, & primò an potus. Et videtur quòd non 1. quia fœtus in vtero matris mingit, fœtus autem non bibit. 2. aliqua alia animalia mingunt, quæ non bibunt, vt cuniculi. 3. volucres bibunt & non mingunt: Ergo materia vrinæ non est potus. Not. insuper, quòd aliqui Philosophi putarunt, materiam vrinæ esse habitus ac vapores: & putarunt potum in habitum & vapores conuerti, qui postea in vesicam penetrantes, ibi frigiditate vesicæ concrescere, & fieri vrinam. Verùm Galen. 1. *de facul. nat. cap.*13. hoc refutat duplici argumento: 1. quia vapores sursum feruntur, non autem deorsum ad vesicam. 2. quia si vrina sic generaretur, non posset potus assumptus tam citò emingi. Dico itaque potum esse materiam vrinæ; quod *Probatur* 1. *Auctoritate* Aristotelis, 1. *de generat. animal. cap.*18. *& sect.* 2. *Probl.*21. Galen. *lib. de atrâ bile cap.* 2. *& 5. de vsu partium cap.*16. *& 1.de fac. nat. cap. vlt.* 2. *probatur ratione*; quia animalia quæ nunquam vel rarò bibunt; ea non mingunt, nec habent vesicam, vt testis est Aristot. 4. *de part. animal. cap.*1.2. quia quantitas vrinæ respondet quantitati potus; quod non esset, si potus non esset eius materia. 3. quia aquæ theomales, vt bibuntur, ita per vrinam redduntur. 4. quia materia vrinæ debet esse substantia liquida; solida enim substantia non posset sic liquari, vt ex eâ fieret vrina; at nulla alia substantia liquida in nobis est, quàm potus. Ergo. Ad argumenta in oppositum Respondetur. Ad primum: potum esse materiam ordinariam, in hominibus intellige perfectis & iam natis, non in vtero existentibus. Eius enim in vtero constituti alia est constitutio, quàm iam nati: omnis enim homo respirat, comedit, bibit, esurit, quod fœtui non contingit; materia autem vrinæ fœtus est serum, & ideò bene dictum est, serum quoquæ vrinæ materiam esse. Ad alia respond. potum esse materiam in hominibus; de omnibus autem brutis non est hîc certum. Est autem materia in iis quæ bibunt, in non bibentibus matera est aquea pars alimenti, quo vescuntur; quæ enim mingunt & non bibunt, ea herbis vescuntur humiditatem multam in se continentibus, vt de cuniculis est manifestissimum. Quòd verò aues bibant & non mingant, ratio est, quia parum bibunt, & quod bibunt volatu dissipatur, & in plumas conuertitur, & sumunt alimentum siccum, quod potu diluitur, vt in sanguinem conuertatur, sic vt nihil eius supersit pro vrinâ. Porrò serum quoque esse materiam vrinæ *Probatur* 1. Auctoritate: tum etiam exemplo de fœtu allato. Auctoritate Aristot. 2. *sect. probl.*3. Galen. 1. *de sanit. tuend. cap.* 12. *in arte paruâ cap.*94. *& 99. & 2.de facul. natur. cap.*7.2.

Scribit

Scribit Gal. 1. *de loc. aff. c.* 1. vrinam exiuisse cuidam adolescenti ad libras tres, qui integris tribus diebus nec cibum nec potum sumpserat: Refert Marcus Aur. de Puellâ Mediolanensi, quæ per 40. dies quotidie 15. libras vrinæ excreuit, cùm potus & cibus non æquarent pondus 4. librarum; in illis materia vrinæ non fuit potus pridianus, ergo fuit serum. 3. natura in crisibus sæpissimè causam morbificam per vrinas copiosè expurgat; hoc non fit, nisi sero cum causâ morbificâ expulso. 4. diuretica mouent vrinas quantitate longum potum superantes; ergo. 5. si sanguis opus habeat, vt per vrinas fluat, necessum est illud serum sæpe renouari; ergo cùm semper superueniat nouum serum, necesse est, vt quod priùs in venis fuit, per vrinas frequenter secernatur. 6. æstate plus bibimus quàm hyeme; & tamen hyeme plus mingimus quàm æstate; hoc nullâ alia ratione fit, quàm quia serum æstate non miscetur vrinæ, sed transit magis in sudores, hyeme verò magis manet sanguini permixtum. 7. Aliqua animalia multis mensibus in latebris degentia, mingunt, & tamen non bibunt; ergo in eis vrina non fit ex potu pridiano, sed ex sero in venis collecto.

§. III.

Causa Efficiens.

Efficiens vrinæ causa est duplex; vna est vrinæ secundum essentiam consideratæ, seu causa generationis essentialis vrinæ: alia vrinæ secundum appellationem seu separationis vrinæ. Causa generationis essentialis vrinæ est hepar & venæ, & facultas concoctrix naturalis eis inexistens mediante calore natiuo tanquam instrumento: causa separationis vrinæ sunt renes & vesica, serum à sanguine separantes. Vesica autem præcipuè est causa vrinæ secundum appellationem, quia non priùs appellatur nomine vrinæ, quàm ad vesicam venerit. Circa causam separationis vrinæ duo occurrunt problemata. 1. per quam viam potus veniat ad vesicam. 2. an vrina veniat ad vesicam tracta, an pulsa. Circa primum Notand. multos Philosophos fuisse in opinione, quòd potus ex ore caderet in asperam arteriam, exinde in pulmonem, inde in arteriam magnam, hinc in arterias emulgentes, renes, & vesicam. Hanc opinionem habuere Plato, Plutarchus *in quæstionibus conuiualibus.* Et Plutarchus & Galenus eam Aristoteli tanquam primo auctori tribuunt, & illam opinionem habet Hippoc. *lib. de corde:* sed excusatur, quia non est legitimus Hippocratis liber, & illam sententiam Hippoc. 4. *de morbis* refutat. Videtur tamen probari his argumentis. 1. si canis linquatur multo tempore sine potu, & postea ei exhibeatur aqua nigra bibenda, si tum statim eius pulmo aperiatur, inuenietur niger. 2. post potum homo multo magis spuit, quàm ante, sputum au-

tem prouenit à pulmone; hoc est indicium potum ire ad pulmonem. 3. post potum meliùs cantamus; hoc non videtur fieri, nisi quia potus ad asperam arteriam venit; aspera enim arteria est instrumentum vocis & cantus. 4. in deliquio animi vinum potatum statim vires restaurat, hoc non videtur fieri, nisi quia vinum ad cor peruenit, & statim spiritus vitales restaurat; ergo illud vinum quàm citissimè ad cor peruenit; atqui per viam prædictam potest certissimè & citissimè ad cor peruenire; per viam verò stomachi non potest, nisi per multas ambages, & valde serò. 5. aliquando potus quàm citissimè per vrinam redditur; videtur autem quòd hoc fieri non possit, nisi per hanc rectam & breuem viam feratur, non autem si per stomachum & venas meseraicas; quia illa via est nimis longa & nimis angusta. 6. Qui diu cantauerunt & locuti sunt, & multùm ex labore aut cursu sunt excalefacti & exiccati, sitiunt, & hausto potu humectantur, & sitim perdunt; atqui in talibus sitis est causata ex pulmonis calefactione & exsiccatione; ergo potus illam sitim extinguens ad pulmonem pertingit. 7. Peripneumonicorum pus aliquando per vrinas expurgatur; ergo à pulmone ad vias vrinæ est transitus; si est transitus, quomodo non liceat dicere potum quoque per illam viam transire? Pro resolutione dico, viam potus esse per gulam, stomachum, venas mesaraicas, hepar, venas emulgentes, renes & vesicam; aliqua tamen nihilominùs exigua potus portio bibendo per laryngem & latera asperæ arteriæ in pulmonem destillat. *Probatur* 1. quia potus confertim in magnâ quantitate assumitur: at tantâ quantitate non posset asperam arteriam ingredi sine tussi & periculo suffocationis; ergo. 2. si per pulmonem ferretur, deberet vniuersus potus sinistrum cordis ventriculum ingredi; hoc est absurdum; ergo. 3. videmus ebrios vomentes potum omnem euomere; ergo in stomachum fuit receptus. 4. potus purgatorius purgat per aluum & vomitum; at si transiret per pulmonem, non purgaret per aluum, sed per tussim. 5. si lac infantis transiret per pulmonem, non posset infantem nutrire; quia non peruenire ad membra nutritioni destinata. *Ad primum respondetur*, hoc fieri, quia aliquis potus etiam guttatim in pulmones destillat, qui eum denigrat. Ad 2. & 3. id fieri eadem de causa. Ad 4. illa restauratio valde citò fit, quia illâ solummodò spiritus nutriuntur; tunc autem potest vinum rapi immediatiùs in hepar per ramum forte stomachicum, & non per intestina aut mesaraicas, quæ via est breuior. Ad 5. etsi guttatim per orificia mesaraicarum transeat, potest tamen nihilominùs transire celeriter; quia ob magnam quantitatem confertim trahitur; nam etsi per pulmonem transiret, non propterea citiùs transiret; quia eodem modo deberet etiam guttatim ex orificiis asperæ arteriæ transire in orificia arteriæ venosæ. Ad 6. sitis ex partium spiritalium calore & siccitate causata, remittitur per guttas potus in asperam arteriam irrorantes. Ad 7. illud rarò fit, & non nisi aliquo quasi naturæ

miraculo

miraculo, & per vias occultas, quas ipsa in summâ necessitate aliquando sibi inuenit; vel in spiritibus, quæ alio modo quàm reliqua corpora ordinariè sunt conformata. Sed occurrit tamen aliquod adhuc dubium circa commemorata, propter nonnulla exempla apud Auctores, propter quæ videtur potus per angustias venarum mesaraicarum, vt diximus transire non posse. Nam Marcellus Donatus *c.*12. *lib.*2. scribit historiam cuiusdam, cui hiante ore musca in os & stomachum ingressa, postridie per vrinam est emissa; ergo debet à stomacho ad vias vrinarias adhuc aliquis alius transitus esse, quàm per vias mesaraicas; quia musca non posset per orificia transire. Alexander Benedictus *lib.*5. *histor. hum. corp. cap.*13. scribit à quadam acum crinalem deuoratam fuisse, & cum vrinâ redditam. Ioannes Anglius *Epistolâ* 40. *lib.*2. tradit in Gynecæo ducis Iuliacensis virginem acus 5. in ore habentem casu perterritam eas deglutisse, & per vrinam illæsam reddidisse. Verùm Respond. Cùm hæc exempla sint rara, & miraculosa, nihil contra conclusionem probatur; potuit enim hoc factum fuisse, vel quòd illæ personæ habuerint aliquos meatus præter communem ordinem, vel quòd illæ res cuspide & acumine suo solidas partes vsque ad vesicam temporis decursu perforârint, quorum foramina vi naturæ iterùm fuerunt restaurata; de quibus casibus multa reperimus apud auctores exempla.

Alterum problema est; an vrina veniat ad vesicam tracta an pulsa; id enim scire in diabete, & omni suppressione vrinæ multum momenti habet. Videtur quòd non tracta sed pulsa. 1. serum & vrina sunt excrementum secundæ coctionis & venarum, ac partes omnes habent naturalem potentiam expultricem suorum excrementorum; ergo & venæ: si habent, ergo eâ vtuntur; ergo serum expellunt. *Probatur:* videmus venas habere vim expellendi serum per habitum corporis & sudores; ergo cur non eadem hâc ratione haberet expellendi vim ad vias vrinales. 2. Renes ipsum non trahunt; ergo eo fertur expulsum. *Probatur anteced.* nihil trahit propter solum trahere, sed propter frui; res enim naturâ constantes trahunt appetitu naturali; is autem vergit in bonum trahentis; nihil enim trahit ob bonum alterius, quia sic intellectum habere deberet; bonum autem quod renes possent habere ab eo quod attrahunt, non potest esse nisi nutritio; atqui renes & vesica non nutriuntur sero, sed sanguine: renum enim caro est densa & compacta, quæ non potest nisi sanguine nutriri. 3. Bibones semper mingunt; non est autem verisimile tam exiguo tempore semper renibus serum deesse, vt ad illud attrahendum debeant stimulari; partes enim illæ non plus trahunt alimenti, quàm egeant; at renes tantâ seri quantitate non egent. Ergo. *Pro resolutione dico*, verisimile esse serum à renibus trahi. Hoc tenet Gal. multis locis, & probatur ratione. Si non traheretur, vel sponte suâ ad renes ferretur, vel propriâ grauitate eò delaberetur, vel fugâ vacui, vel similitudine substantiæ, vel venarum expulsione: sed nullâ istarum ratione; ergo renum tractione. Quòd non sponte suâ,

probatur, quia sic videretur intellectu præditum esse, & scire se renibus & sanguini oneri esse, & aliò debere secedere : denique quia sic deberet contrarios motus subire ; nam quod est in superioribus venis deberet descendere, quod in inferioribus, ascendere, quod in lateralibus, transuersim ferri ; at talis motus in opposita non conuenit rebus naturalibus : res enim naturales ad vnum solùm sunt determinatæ. Ergo. Quòd non propriâ grauitate, probatur : quia sic renes debuissent à naturâ in infimo ventris loco constituti fuisse ; alioqui non posset serum venarum infra renes constitutarum ad eos peruenire. Denique si serum solùm naturali grauitate ferretur, deberet omne decumbere in venas crurum, & non renes ; tandem quia quæ in venis continentur non feruntur motu propriæ grauitatis ; quia sic quoque eâdem ratione deberent & humores ferri, & non minùs quàm serum ad renes decumbere. Quòd non fugâ vacui, vel successione ad id, quod ante est euacuatum (quomodo Erasistratus sanguinis & aliorum humorum in corpore distributionem fieri putabat) probatur : sic nunquam contingeret vllum hominem ischuriâ laborare ; quia tractio, quæ fit fugâ vacui est tam efficax, quòd nullâ ratione vnquam posset vrinam retinere. Denique quia sic vnquam nullus posset laborare diabete, quia nunquam posset maior quantitas seri affluere, quàm assiduè euacuaretur. Denique quia nulla talis vacui necessitas in illis partibus contingere potest ; etenim si in illis aliqua vacui necessitas foret, illa deberet contingere propter partium trahentium dilatationem seu diastolem ; quomodo in pulmone fugâ vacui aër attrahitur, quia pectus dilatatur ; at nulla talis dilatatio aut diastole in renibus fit, nec ipsorum conformatio eam patitur ; quare nec vlla necessitas vacui esse potest. Sed nec similitudine substantiæ ad renes fertur, sicut dixit Auerrhoës ; quia nulla cognosci potest talis seri cum renibus substantiæ similitudo. Porrò quòd à venis etiam non expellatur, sic videtur probari : quia illa expulsio deberet fieri venarum & arteriarum compressione, coarctatis sc. superioribus ac prioribus venis expellentibus, & dilatatis inferioribus seu posterioribus : at hoc fieri non potest, quia illâ compressione non tantùm serum, sed & reliqui humores sero crassiores, & qui magis vim compressionis recipere apti sunt ; versus emulgentes omnes exprimerentur. Denique si per expulsionem moueretur, moueretur serum omne extrorsum, id est, à venarum principio ad ramos omnes externos, non autem retrogrado ordine ad extra ab intro, seu versus venam cauam ac emulgentes ; nam si omnes versus emulgentes serum expellerent, viderentur ad hoc intellectu quodam præditi esse debere, quo cognoscant inter tot venas solas emulgentes esse illas, ad quas serum suum expellere deberent. Ad argumenta *Respond.* Ad primum, ideò non esse in venis illam vim expellendi ad renes, quia non potest tam commodè illa pulsio fieri, eò quod non desinant omnes venæ in venas emulgentes ; hâc enim de causâ meliùs serum

eò

eò ferri à parte emulgentibus annexa attractum sc. renibus quàm venarum expulsione. Ad secundum, negari debet illud axioma medicum, nihil trahere propter trahere solum, sed propter frui; multa enim trahunt res aliquas, quibus non fruuntur, vt magnes, medicamenta purgantia, electrum, &c. Sed finis facultatis trahendi eorum est ipsa sola tractio; & hoc ipsorum frui, consequi sc. suam operationem, ad quam inditam sibi facultatẽ habent, & ad quam à naturâ sunt instituti; & ea operatio est ipsorum agentium perfectio, & vltra illam non consequuntur vllum aliud bonum; & eiusmodi agentia sunt illa, quorum operatio est causa alterius vel boni publici; talia enim non debent necessariò frui eo, quod trahunt.

§. IV.

Quale signum sit vrina, & quæ indicet.

Vrina potest esse signum multarum corporis dispositionum: nam sicut aqua per vas effusa seu per canalem aliquem transfluens potest esse signum eorum, quæ vasi seu canali insunt, quatenus sc. secum defert qualitates vel substantiam illi inexistẽtium, & ex illis cognoscimus quid in vase contineatur, & quomodo vas intus sit constitutum; ita quia vrina per plurimas corporis partes & venas omnes pertransit, ideò quoque potest de eis aliquod iudicium ferri. Porrò cùm etiam pulsus sit signum multorum affectuum, & duo præcipuè sint signa artis medicæ pulsus & vrina, quæri meritò potest, vtrum eorum sit præstantius. Dico autem hoc non posse simpliciter & absolutè discerni; quia aliquando casu & in aliquibus morbis vrina est præstantius signum, aliquo verò casu pulsus: aliqua indicat vrina, quæ non indicat pulsus, & contrà præstantia illa maior vel minor consistit in duobus; vel in generalitate signi, vel in certitudine. Vnde primò quæri potest, quodnam eorum sit signum generalius, 2. quodnam certiùs. Dico ergo inprimis, quod vrina sit maius & præstantius signum diagnosticum; diagnostica autem sunt signa morbi speciem, morbi causam, & partem affectam indicantia; ex vrinâ enim sæpe potest cognosci pars affecta, species morbi & causa; ex pulsu non ita; nam ex vrinis cognoscuntur vlcera, vulnera, obstructiones, intemperies partium. Cognoscitur quoque causa morbi, an adsit calculus, an bilis, an grumi sanguinis, an pituita, an melancholia, &c. Cognoscitur etiam pars affecta, ex squammulis vrinę permixtis vesica; ex carunculis, sanguine, pure, renes affecti; ex vrinæ flauedine folliculus fellis; ex nigredine lien; ex albedine in ardentibus febribus cerebrum. At pulsus nihil eorum indicat, non vllam speciem morbi, nisi calidam aut frigoris intemperiem, nullam morbi causam, nullam partem affectam, nisi cor; pulsus enim mutatus tantùm cor affectum indicat; an autem afficiatur per se an per consensum alterius & cuiusnam alterius non potest ex pulsu cognosci. Insuper vrina est certius signum facultatis

naturalis affectæ, pulsus verò vitalis. In ratione verò signi prognostici potest dubitari, vtrum sit præstantius. Dico autem ferè esse æque præstans; malæ vrinæ sæpe mortem indicant, etiamsi pulsus sit bonus; vt aquea vrina in leucophlegmatiâ, vel pauciſſima in iſcuriâ, vel purulenta in calculo & vlcere veſicæ; & ita viciſſim malus quoque pulsus sæpè mortem indicat, etiamsi vrina sit bona; vt in malignis ac pestilentibus febribus, assumpto veneno, &c. Et contrà bona vrina sæpè sanitatem indicat, etsi pulsus sit malus, vt in febribus acutis, cùm in vrinâ apparent signa concoctionis tempore status vel augmento & circa crisim, quo tempore sæpe pulsus est pessimus & turbatissimus; & sic viciſſim bonus pulsus sanitatem indicat, etsi vrina sit mala, vt cùm vrinæ aliquando apparent nigræ cum pulsu bono, &c. Dicunt autem plerique Medici pulsum esse certius signum futuræ mortis, vrinam verò certiùs signum futuræ salutis; nam etsi pessima sit vrina, ex eo adhuc non indicatur certa mors, sed potest adhuc æger sanari si virtus sit valida; sed si pulsus sit pessimus, nisi fortè criticus sit, certò potest judicari æger moriturus. Contrà si vrina sit optima, & talis quæ concoctionem indicet, certiùs indicat salutem, quàm optimus pulsus: nam etiamsi optimus sit pulsus, si humores sint crudi, vel non fiet crisis vel mala: pulsus verò illa bonitas facilè posteà peruertitur. Verùm ego puto adhuc distinguendum; nam mortem propinquam certiùs indicat pulsus, quàm vrina; at mortem adhuc longinquam certiùs potest indicare vrina quam pulsus. Porrò aliqui dicunt pulsum esse generalius signũ quàm vrina, quia consideratio pulsus in omni morbo locum habet, in omni enim morbo debet iudicari de viribus cordis & facultatis vitalis; at in omnibus morbis non debemus considerare vrinas; quia de multis morbis & partibus non indicat vrina, vt de cerebri, pulmonis & habitus externi affectibus. At mihi contra videtur vrinam esse signum generalius pulsu, quia plura indicat, vt dixi, morbi speciem, causam, partem affectam, robur facultatis naturalis, futuram crisim, tempora morbi, salutem & mortem; pulsus verò non indicat nisi robur facultatis vitalis & salutem ac mortem. Vti porrò pulsus, ita etiam vrina debet in omnibus affectibus considerari; nam etsi non per se, tamen per accidens etiam in omnibus ferè morbis aliquod iudicium habet; pulsus verò in pluribus morbis non videtur debere considerari, nisi tantùm ad sciendum, an adsit febris, nec ne, & in morbis periculosis, sed in fine morbi, cùm iam mortis periculum imminet, aliter non. Quod attinet ad certitudinem, aliqui dicunt pulsum esse certius signum, aliqui vrinam: mihi neutrum videtur esse altero multò certiùs; vtrumque enim ob leues ac latentes causas facillimè mutatur. Omnibus tamen bene consideratis pulsus est constantior & minùs mutabilis, & in morbis magis semper eodem tenore & constantiâ procedit quàm vrina; verum quidem est, quòd ob animi affectus incidentes, ob motum corporis, ob somnum & cibum prægressa, facillimè quoque pulsus mutetur, sed illæ externæ causæ facilius dignosci & obseruari possunt.

possunt : quoad internas autem causas manet constans, nec ab illis ita facilè mutatur ; vrinæ autem mutantur à causis internis, quæ sunt latentes, nec ita bene dignosci possunt, vt ab admixtione huius vel illius humoris, qui contingenter aliquando à naturâ cum vrinâ excernitur; tunc enim ita dignosci non potest, an illa vrinæ mutatio contingat ex ratione morbi, ac causæ morbificæ eius, an verò casuali alterius alicuius humoris ad morbum non spectantis, & in viis vrinæ fortè obuij admixtione: hoc tamen vicissim magnam pulsui incertitudinem causat, vrinæ verò certitudinem, quòd omnes vrinæ differentiæ visu, adeoque perfectissimè iudicari ac discerni possint ; differentiæ verò pulsus solummodò tactu, qui in hominibus est obtusus ; vnde plurimæ pulsuum differentiæ, ex quibus præcipiunt iudicium esse desumendum, tactu discerni non possunt, nisi à Medico in artis longo vsu exercitatissimo ; imò plurimæ differentiæ ratione potiùs concipiuntur, quàm tactu verè possint explorari ; vnde Galenus ipse scribit, se multis annis laborasse in pulsus systole dignoscenda. Est porrò circa vim significandæ vrinæ notandum, quòd in morbis prauis seu mali moris bona vrina non est tam bonum signum, quam praua prauum ; contra in morbis salutaribus bona vrina magis est bonum signum, quàm praua prauum : vrina enim sæpe à causâ aliquâ etiam ad morbum non spectante, mutatur. Porrò quæritur, quid in particulari vrina possit significare, an morbum, causam morbi, partem affectã, & quos morbos, seu in quibus morbis & in quibus partibus affectis eius iudicium locum habeat; Pro quo dico, quòd ratio & fundamentum significandi vrinæ consistit in eo, quòd vrina & accidentia eius sint effectus dispositionum internarum ac partium, facultatum, & temperamentorum corporis ; partes enim corporis mediante facultate & temperamento coquunt & mutant vrinas, & omnes sunt causæ efficientes differentiarum ipsarum, quia ergo effectus potest indicare suam causam, ideò vrina potest indicare omnes illas causas, à quibus permutatur ; & sic è contra, quæ per se non habent vim vrinas permutandi, de iis etiam vrina non potest indicare; quia talium non est effectus. Itaque quæ vrinam mutant per se, vrina illa indicat per se ; quæ illam mutant per accidens, ea quoque tantùm indicat per accidens; nam provt vnum quodque habet vim causæ erga suum effectum, secundum hoc quoque effectus habet vim signi erga illam ; cùm vrina ab vnâ tantùm causâ solet permutari, illam solam indicat ; cùm à variis causis, tunc nullam earum præcisè indicat, sed omnes simul, id est, indicat vnam ex illis omnibus quænam autem illarum omnium sit, tunc ex aliis causis debet inuestigari. A quâ causa vrina necessariò aliquam differentiam aut qualitatem accipit, eam indicat necessariò : à quâ solùm contingenter, eam quoque indicat non necessariò, sed tantùm contingenter : cùm itaque tantùm duæ sint causæ synecticæ omnium differentiarum vrinæ, temperamentum sc. & contenta, primò & per se vrina tantùm indicat aliquam mutationem circa illa duo, & non aliud ; sed quia varietas temperamenti, &

vitium

vitium ac differentiæ contentorum contingunt ab aliis causis anterioribus, & illæ iterum ab aliis, ideò quoque vrinæ omnes illas causas consecutiuè aliquo modo possunt indicare; ita tamen omnes illas propinquas ac remotas indicant, & tali modo, quo ab illis causantur, nempe vel necessariò vel contingenter, provt ab iis fiunt; vnam, si ab vnâ tantùm possunt permutari, pluresindeterminatè, si à pluribus. 1. ergo vrina significat statum temperamenti, an calor sit naturalis, an non, aut vel diminutus & consequenter cum facultas & operationes se habeant ad modum caloris, cùm sit instrumentum eorum, etiam indicat statum & operationem facultatum, an bona fiat concoctio in omnibus, nec ne. Indicat 2. statum humorum, & primò indicat sibi nihil vel multùm humorum esse admixtum; & consequenter indicat omnia illa, quæ possint admixtionis pauci vel multi humoris esse causæ: talis admixtionis multi vel pauci humoris possunt esse causæ plurimæ, expultricis vel retentricis vitium, viarum laxitas vel angustia, humoris illius multa vel pauca generatio, &c. & hâc ratione vrina, cui parum vel multùm alicuius humoris est admixtum, indicat an facultas retentrix sit fortis an imbecilla, similiter an expultrix, an facultas concoctrix tales humores generet nec ne, an sit in viis intermediis obstructio, & an tales humores in venis ac viis intermediis contineantur; denique indicat etiam quales humores ei sint admixti, bilioſi, pituitoſi, &c. & per hoc consequenter indicat quales humores in toto vel in partibus contineantur, & consequenter quæ sit morbi causa, & quomodo se habeat facultas quæ tales humores generat: si alia contenta admiscentur, indicat causas & morbos, à quibus talia contenta possunt prouenire; vt si semen admisceatur indicat vel abundantiam seminis, vel calorem, vel gonorrhæam, vel debilitatem partium semen continentium: si miscetur pus, indicat adesse causas pus generantes, vt abscessum, vlcus, &c. & sic de aliis contentis. Atque hoc est totum fundamentum indicandi vrinæ, quod qui bene intellexerit & considerauerit, non potest in iudicando ex vrina falli. Dico ergo, quòd vrina possit indicare morbum, & eius speciem; nam imprimi potest vrina indicare morbos similares, sc. intemperiem totius vel partium; sic vrina indicat febrem, cachexiam, stomachi aut hepatis calorem vel frigiditatem; ab earum enim partium temparamento vrina permutatur. Morbos in malâ conformatione potest vrina difficulter ostendere; ratio est, quia figura partium vrinam non mutat; potest tamen ostendere obstructionem; quia obstructio partium facit quòd vrina non possit transire, sed solummodo tenuis & alba; ideò talis vrina indicat obstructionem; potest etiam ostendere solutiones continui, vt vlcera, vulnera, ex pure sc. vel sanguine sibi admixtis. In omnibus porrò morbis potest vrina inspici, non quòd in omnibus valeat aut morbi speciem, aut partem affectam, aut causam indicare, sed quat. saltem expedit in omnibus morbis scire, quomodo coctio, quomodo calor nativus sese habeat; an morbo sit adiuncta febris, qui humores in

corpore

corpore abundent, an nulla causa præcedens abundans malum foueat, an nihil ab affectâ parte ad vrinas proueniat, ex quo possumus de causâ morbi iudicium ferre; quod etsi in aliquarum partium morbis vel rarò vel non ordinariè fiat, fit tamen aliquando, vt à naturâ per insensibibiles vias aliquid expellatur, vt aliquando in peripneumoniâ & pleuritide visum fuit pus per vrinas expurgari. Vrina porrò non tantùm morbi speciem, sed & morbi morem, & tempora, & magnitudinem ac pericula indicat: tempora, ex vrinæ coctione: morem, si ipsa recedat plurimùm à naturali statu, vt si sit liuida, viridis, nigra, vel si omninò sit naturalis, vt in morbis pestilentibus: morbi magnitudinem; sic pauciſsima obstructionem maximam; si multum puris continet, vlcus maximam, parum paruum: mortem aut salutem, longitudinem aut breuitatem morbi crisim futuram vel non futuram, indicat per signa concoctionis aut cruditatis. Indicat etiam vrina morbi causam, an bilis, sanguis, pituita, &c. tum ex colore tum ex substantiâ, & iis, quæ cum vrinâ exeunt & miscentur: vrina valde flaua bilem, nigra liuida melancholiam; alba, lactea cum crassamento pituitoso in fundo, pituitam, &c. Indicat etiam partem affectam; nam cùm est cruda, indicat hepar affectum vel stomachum; cum paucâ, obstructos renes vel vesicam; cum sanioſâ vlcus renum aut vesicæ: in calidis febribus si vrina alba fiat, cerebrum affectum &c. tamen meliùs indicat causam morbi & morbum, quàm partem affectam; ratio est, quia pars vt pars, seu hæc vel illa non mutat vrinam; sed tantùm dispositiones eius sc. temperamentum vel angustiâ vel præsentiâ humoris in eis; hæc autem sunt communia omnibus partibus; nam idem temperamentum, eadem angustia, eadem præsentia humoris potest esse in multis partibus, & ideò differentiæ vrinæ, quæ ab iis causantur, non indicant determinatam partem, sed tantùm suam causam, siue tale vel tale temperamentum, tales vel tales humores; sed non in hâc vel illâ parte: sic vrina cruda indicat frigiditatem, quæ potest esse in multis partibus; & non potest indicare cruditatem cuiusuis partis determinatæ; vrina rubra indicat intemperiem calidam, sed nullius præcisè partis; nam hepatis & venarum, & cordis, & renum calor possunt eandem in vrinâ rubedinem causare; & sic non magis ostendit vnam, quàm alteram partem: cruenta indicat sanguinem, sanioſa vlcus; sed non indicat vlcus vnius partis determinatè, quia à diuersarum partium vlceribus seu abscessibus potest pus ad vrinas æquè peruenire, tum autem indicat aliquam determinatam partem, quando aliquid est in vrinis, quod est vnius determinatæ partis proprium; sic squamulæ, furfures, pili, carunculæ non tantùm indicant ipsum affectum, sed determinatam partem, cui affectus inhæret; sic squammæ & furfures non tantùm indicant vlcus & excoriationem, sed etiam vesicæ: carunculæ non tantùm indicant vlcus, sed & vlcus renum; quia illa non possunt ab illis aliis partibus, quàm ab illis determinatis procedere. Indicat etiam vrina symptomata seu actiones læsas, præcipuè concoctionem stomachi,

hepatis venarum. Indicat etiam ex iis, quæ cum ipsâ miscentur, vel retentricem esse debilitatam, vel expultricem irritatam. Interim vrina non tam bene ostendit vitia primæ concoctionis sicut secundæ; ratio est, quia immediatiùs se habet ad secundam coctionem, quàm ad primam; nam etsi sit cruda ratione primæ concoctionis, potest illa cruditas in secundâ concoctione corrigi; & sic per illam deletur & obscuratur signum, ex quo cruditas primæ concoctionis potuisset cognosci; & etsi non obscuraretur, adhuc tamen non sciretur, an illa cruditas vrinæ à secundâ, an verò à primâ coctione oriretur; è contra etiamsi cocta sit ratione primæ coctionis, si in secundâ non perficiatur, manebit cruda; & sic non poterit bonitatem primæ concoctionis ostendere, quia nescietur, an illam cruditatem habeat à primâ coctione, an à secundâ. Vrina ergo est signum diagnosticum & prognosticum; & indicat morbi causam, morbi speciem, partem affectam, actiones læsas, morbi malignitatem, cruditatem & coctionem, tempora morborum, crisim, salutem & mortem; verùm paulò particulariùs præstat inuestigandum, in quibus partibus affectibúsve vrina habeat indicandi potestatem & & quam; seu de quarum partium affectibus ex vrinâ possimus iudicare.

Dico primò. Vrinam principaliter & per se posse indicare de indispositionibus omnium partium, per quas transit; hâc ratione potest iudicium dare de affectibus stomachi, mesaraicarum venarum, superiorum intestinorum, hepatis, renum, vreterum, vesicæ & meatuum vrinariorum. Potest 2. dare indicium de illarum partium dispositionibus, à quibus etsi per eas non transeat, tamen humores aut materiam recipere potest, seu de illis partibus, à quibus solent aut possunt sæpe humores ad vias vrinarias ferri; ratio est, quia ex illis humoribus, qui sic ad vrinas expelluntur & cum vrinâ excernuntur, potest colligi dispositio partium, à quibus illi humores seu excrementa prodierunt; hâc ratione potest vrina aliquo modo indicare de affectibus pulmonis; nam contenta pulmonis sæpe ad vrinam veniunt. Legimus pleuriticorum & peripneumonicorum pus sæpe à natura ad vrinam transmissum fuisse; sic in vulneribus pulmonum non rarò vrina cruenta fuit emissa, quod fit ratione viæ, quæ est à thorace per venam sine pari, ad venas emulgentes. Porrò de partibus per quas transit, potest vrina & communiùs & certiùs indicare; de aliis, per quas non transit incertiùs: ratio est, quia illæ, per quas non transit, sunt valde remotæ. 2. quia de illis tantùm indicat, quatenus ab iis aliqua excrementa recipit; illa autem recipit rarò & non ordinariè; & sic iudicium, quod vrina de iis fert, est tantùm fortuitum & valde rarum; sic sanguinem vel pus à pulmone ad vrinas ferri, rarissimè contingit. Quoad partes autem per quas transit, dico non posse etiam vrinam de iis omnibus æquè bene ac æquè certè indicare. Dico ergo vrinam maximè indicare de partibus, à quibus præcipuam suam coctionem ac alterationem ac accidentia sua acquirit; tale est autem hepar aut venosum genus; in iis enim moratur, & ab iis valde afficitur;

citur; in quibus autem non hæret, & à quibus non multùm alteratur, nec magnam suarum qualitatum recipit impressionem, de iis non potest ita multum indicare, saltem ratione sui coloris, etiamsi ratione suæ substantiæ sibi admixtæ, quam in transitu per eas abluit, etiam possit. Dico 2. quòd de partibus remotis etiam non possit tam bene iudicium ferre, vt gulâ, stomacho, intestinis, mesaraicis, sicut de propinquis ratio est; ratio est, quia qualitates & dispositiones & contenta, quæ ab illis recipit, non defert secum semper extra corpus, nec remanent in eâ, sed pereunt in viâ, & à partibus posterioribus mutantur, corriguntur, aut delentur; & contenta, quæ serum abluit à prioribus, possunt hærere seu detineri in posterioribus: sic, verbi gratia, si stomachus sit frigidus, vrina deberet esse alba, tenuis, cruda, & si permaneret talis, tunc de stomachi eruditate posset indicare; at si hepar & renes sint calidi, illi albedinem illam delent, & loco albedinis impertiunt ei rubedinem, quæ illam stomachi eruditatem potest indicare; quapropter cùm in partibus, per quas posteriùs transit, est notabile aliquod vitium, tunc vrina non potest indicare de partibus anterioribus; quia vitia posteriorum corrumpunt & alterant eam, & delent signa dispositionis partium anteriorum; at quando in partibus posterioribus non est vitium, tunc multò meliùs potest de partium anteriorum dispositione indicare; sic calculo vesicæ, vlcere renum aut vesicæ non potest ex vrinâ de bonâ vel malâ concoctione, de statu stomachi, hepatis, venarum iudicium ferre, eò quòd qualitates ab illis partibus aliàs impressæ, & per quas de iis partibus iudicium ferre deberet, sunt obfuscatæ per albedinem, crassitiem, turbiditatem, quas vrina à pituitâ, sanie, furfuribus sibi per transitum vesicæ ac renum admixtis acquisiuit. Porrò, si præter vrinam adsint signa alia indicantia partem, per quam vrina transit, affectam esse, & nulla sunt alterius, & tunc in vrinâ sint qualitates præter naturam, verisimile est illas ab illâ parte affectâ vrinæ esse impressas, & non ab aliâ; & hâc ratione dispositionem illius & non alterius partis indicat. Est insuper sciendum, vrinam de omnium partium affectibus aliquo modo per accidens frequenter, etsi non semper, posse iudicium ferre. Pro quo sciendum, vrinam maximè iudicium ferre de stomacho, hepate & venoso genere ob rationes dictas; potest etiam plurimùm iudicare de statu generis arterioſi; ratio est, quia serum, quod vrinæ permiscetur, tam bene venit ex arteriis quàm ex venis, vt ex eo patet, quòd non minus in corpore nostro sint arteriæ emulgentes, quàm venæ emulgentes. Confirmatur etiam ex eo, quòd ex vrinâ maximus sumatur de febribus iudicium; febres autem in arteriis primò, in venis verò non nisi secundariò stabulantur. Porrò quat. vrina indicat de arteriis, eatenus etiam potest indicare de corde; cum idem sit arteriarum & cordis affectus, & cordis affectus arteriis communicentur: accedit, quod vrina maximè iudicium ferat de qualitatibus actiuis corporis nostri; actiuæ autem qualitates maximè à corde dependent. Potest etiam indicare affectus

pulmonis vt ante : quòd de folliculo fellis etiam potest iudicare, patet in Ictero flauo ; ita etiam de liene in arquato nigro. De affectibus capitis etiam aliquando indicat per accidens ; sic in phrenitide vrina sæpe est alba ; in destillatione frigidi catharrhi alba, turbida, crassa. Porrò quatenus cum omnibus illarum partium affectibus febris coniungi potest, eatenus ad febrem saltem cognoscendam debet in omnium partium affectibus vrina considerari.

§. V.

De differentiis vrinæ.

Vrinarum differentiæ aliæ sumuntur à substantiâ, aliæ à quantitate, qualitate, contentis. Differentiæ à substantiæ modo desumptæ, cùm vrina vel sit tenuis vel crassa, vel turbida vel clara. A quantitate, quòd alia est multa, alia est pauca ; A qualitate sumuntur differentiæ variæ, aliæ à quantitate visibili seu colore ; vnde aliæ sunt albæ, pallidæ, flauæ, rufæ, rubræ, liuidæ, nigræ, &c. Aliæ à qualitate audibili sc. sono, & sic aliquæ sunt exeuntes cum strepitu, sicut est strepitus aquæ cum effunditur, aliæ sine strepitu, sicut cùm oleum in vas effunditur ; Aliæ à qualitate olfactibili, & aliæ sunt fœtidæ aliæ non : A qualitate gustatili seu sapore, & sic aliæ sunt salsæ, amaræ, insipidæ, quæ qualitates ab ipso ægro possunt explorari ad maiorem suæ valetudinis securitatem, & medico referri ; à propriâ enim vrinâ nemo facilè horrorem ac nauseam habet. A contentis quoque sumuntur differentiæ : contenta autem vel sunt naturalia vel contra naturam : naturalia sunt hypostasis encorema, nubecula : contra naturam spuma, pus, sanguis, arenulæ, caruncullæ, colliquatio, furfures, squammulæ, pili, &c. sic aliquæ vrinæ sunt cum nubeculâ, aliæ cum hypostasi, &c. quæ iis carent, vocantur vrinæ crudæ ; quæ ea continent, coctæ sunt, maximè verò in febribus & acutis morbis.

§. VI.

Causæ differentiarum vrinæ.

Omnium harum differentiarum duplices sunt causæ ; aliæ remotæ & per accidens, aliæ propinquæ & per se. Causæ proximæ differentiarum vrinæ à medicis ponuntur tres, facultas, humores & instrumentum. Per instrumenta intelliguntur partes illæ corporis, per quas vrina transit, vel quæ quaquâ ratione vrinas immutare, eiusque differentias & qualitates causare possunt. Hæ causæ dicuntur causæ primariæ, coniunctæ & synecticæ ; & illæ taliter sunt causæ omnium differentiarum vrinæ quòd positâ aliquâ mutatione in illis, necessariò debet poni aliqua differentia

rentia, & mutatio qualitatum in vrinis; & contrà, quando est aliqua mutatio seu diuersitas qualitatum in vrinis, tunc necessariò debet quoque esse facta aliqua mutatio in vnâ vel pluribus istarum causarum; & ob id vocantur causæ synecticæ, & nullæ aliæ causæ sunt internæ vel externæ, quæ aliquam in vrinâ differentiam causare possint, nisi quatenus aliquam istarum causarum synecticarum immutant. Causæ remotæ, secundariæ, & per accidens sunt variæ; vel enim sunt res naturales, vt temperamentum, ætas, sexus, habitus ægrotantis; vel sunt res non naturales, vt aër, regio, ventus, anni tempus, cibus, potus, motus, quies, &c. vel sunt res contra naturam, vt causæ morbificæ, morbi & symptomata. Porrò quoad causas primarias & synecticas iam dictas, etsi communiter à Medicis, vt dico, ponantur tres, videntur tamen illæ tres commodè ad duas referri posse; sc. ad facultates & humores: mihi enim non videtur instrumentum inter synecticas causas esse ponendum; quia non video, quomodo instrumentum vllam in vrinâ per se faciat mutationem: est equidem verum, quòd bene aliquam faciat mutationem, sed non per se & proximè, sed tantùm per accidens & mediatè, & quatenus propter instrumentum, seu propter membri dispositionem aliqua fit facultatis seu humorum mutatio; nam quando instrumentum facit aliquam in vrinâ mutationem, semper facit eam mediante suo temperamento seu facultate, expultrice sc. retentrice aut concoctrice, seu in quantum humores aut retinet, aut expellit, aut generat: vnde solùm facultas & humores sunt causæ proximæ & per se omnium mutationum vrinæ; nec potest vlla vrinæ differentia excogitari, quam necessùm sit ad instrumentum, tanquam ad synecticam causam referri; sed omnes possunt referri ad has duas, sc. ad facultatem & humores, nam quòd dicunt, viarum vreticarum obstructionem per se causare tenuitatem vrinæ, verum non est, quia quando tenuitas vrinæ causatur ab angustiâ viarum, non causantur ab illâ per se, sed solùm quatenus angustia membri est causa absentiæ humorum ab vrinâ, ex quo vrina remanet tenuis; & sic absentia humorum est vera causa per se tenuitatis; dispositio verò seu angustia membri solùm est causa per accidens, & sic non est causa synectica. Duæ ergo sunt synecticæ causæ omnium mutationum vrinæ, facultas & humores. Sub facultate comprehenditur temperamentum, nam est facultatis instrumentum; temperamentum enim calidum aut frigidum per se vrinas mutat, & facit eas rubras, rufas, aqueas, &c. Sub humoribus comprehenduntur omnia contenta; non enim tantùm quatuor humores mutant vrinas, sed etiam alia contenta, vt colliquationes, furfures, arenulæ, semen, pus, &c. Inter has duas causas est differentia, quia facultas seu temperamentum mutat vrinas extinsecè, efficienter ac alteratiuè: humores verò mutant vrinas materialiter & intrinsecè inexistendo sc. vrinæ. Humores autem sunt causa præcipua mutationum vrinæ; nam humorum admixtio & plures facit mutationum vrinæ differentias, quàm facultas, & humores admixti efficaciùs

mutant vrinas quàm facultas : nam facultas solùm facit differentias in colore ; humores verò faciunt differentiam & in colore, & in odore, & sapore, & sono, & quantitate & substantiâ. Denique quando vtraque causa permutat vrinam ; efficaciùs permutatur ab humoribus, quàm à facultate ; & humores admixti obscurant & extinguunt differentiam seu qualitatem, quam ex se causat facultas; facultas autem non potest extinguere aut obfuscare differentiam, quam causant humores; sic si facultas sit debilis, seu temperamentum frigidum, ex se & naturâ suâ causat vrinæ albedinem & tenuitatem ; at quando facultas suis qualitatibus vrinam affecit, si insuper humores bilioſi, aut sanguis, aut melancholia vrinæ permisceantur, extinguent & obscurabunt albedinem & tenuitatem, quam ex se induxit facultas, & facient vrinam esse flauam, rubram, nigram & crassam : Contrà si temperamentum calidum seu facultas calida reddiderit vrinam rubicundam & igneam, pus admixtum vel multa pituita reddent vrinam & albam & lacteam, & extinguent qualitatem à temperamento & facultate inductam, quod non potest facere ipsa facultas ; nam qualitates vrinæ ab humoribus inductas non potest temperamentum vi suâ permutare. Facultas itaque sic vrinas immutat ; facultas imbecilla ex se facit vrinas semper albas, non autem necessariò aut tenues aut crassas, sed interdum tenues, interdum crassas pro humorum admixtione ; facultas calida & temperamentum naturale calidum facit vrinas flauas, temperamentum auctum facit rubram, &c. itaque facultas ex se causat præcipuè mutationes in colore, non autem adeò in substantiâ ; sed mutationes in substantiâ præcipuè pendent ab humoribus admixtis ; sic etiam facultas ex se non multùm facit mutationem in quantitate, sed illa, vt dixi, etiam magis pendet ab humoribus admixtis. Porrò facultas valida & temperamentum naturale facit vrinas cum contentis, & maximè cum hypostasi ; facultas debilis facit vrinas vel sine contentis, vel tantùm cum eneoremate vel nubeculâ : humores mutant vrinas secundum varias differentias, & secundum colorem, & secundum substantiæ modum, & secundum quantitatem, & secundum alias supra dictas qualitates; humores albi vrinam faciunt albam, rubri rubrã, &c. fœtidi fœtidam, tenues tenuem, crassi crassam, &c. multi admixti multam pauci paucam, &c. humores crudi & incocti faciunt vrinam turbidam, concocti claram, humores crudi & flatuosi faciunt vrinam cum eneoremate seu nubeculâ, cocti cum sedimento. Et hæ sunt causæ synecticæ & primariæ. Causæ secundariæ & remotæ etiam mutant vrinas. Inter secundarias primò sunt res naturales, vt temperamentum, ætas, sexus. Quoad temperamentum, calidi vrinas habent coloratiores & tenuiores, sedimentum exiguum, vel suspensum loco sedimenti vel nubeculã; frigidi vrinas habent decolores & tenues, & contentis vacuas, quantum sc. ex ratione temperamenti; nam quatenus tales pituitosi sunt, & quatenus talis vrina sæpe cum pituitâ excernitur, eatenus crassiores & cũ multis contentis haberi possunt;

ex

ex nimio enim calore, quia multum bilis generatur, quæ vrinam fingit, ideò vrinæ sunt colorariores; & eadem ratione tum liquoris substantia, tum contenta minuuntur; quare sæpissimè non residet quidpiam in vrinis, sed pro sedimento is humor, qui excernitur, attenuatus in venis vel pẽdet vel supernatat. Ætas etiam mutat vrinas; sic puerorum vrinæ sunt albæ & crassæ; ratio est, quia pueri sunt valde humidi & voraces, & eorum calor natiuus, etsi quoad substantiam sit validus, tamen quoad intensionem non est ita magnus, quia multo humido obtunditur, ob has omnes causas multa in iis excrementa pituitosa coaceruantur, quæ vrinæ permixta eam reddunt crassam; & quia calor eorum non est intensiuè magnus, ideò vrinæ sunt albæ: Crassas esse eorum vrinas docet Hipp. 2. *Progn.* 33. cùm dicit *vrinas aquosas in pueris omnium pessimas esse; quia in iis*, inquit, *vrinæ naturaliter sunt crassæ.* Idem & Isac *parte 5. lib. de vrinis*, & Auicen. 2. *primi doct. 3. cap. 5.* Hinc ergo etiam puerorum vrinæ habent multum & crassum sedimentum, cùm sedimentum sit pars crudi humoris & inconcocti: Iuuenum vrinæ sunt tenues & flauæ vel rubicundiores cum suspenso tenui, eò quòd eorum calor sit maior, & ipsi biliosiores; hoc Gal. 2. *Prognost. comm.* 34. quoque affirmat. Senum vrinæ albæ sunt & tenues, quia in eis debilis est calor & imminuta concoctio; debilis enim calor albas facit vrinas, & mala concoctio vrinas sine contentis; contenta enim naturalia sunt signa probæ concoctionis. Vbi notand. quòd vrinas habere contenta mediocri quantitate & substantiâ est signum probæ concoctionis, habere autem valde multa & crassa est signum concoctionis non ita perfectæ, sed potiùs imperfectæ & generantis multam pituitã, quæ vrinæ permixta facit in eâ contenta multa & crassa. At vrinas esse tenues & albas & sine vllis contentis, est signum pessimæ cõcoctionis, & maioris adhuc eruditatis. Porrò etsi vrinæ senũ ob magnã naturæ debilitatem sint tenues, & sine contentis, tamen per accidens etiã sæpe sunt crassæ, & cũ multis & crassis contentis, quatenus sc. cùm frigidi sint, multã in corpore pituitã congregant, quæ si ad vrinas feratur, reddit eas præditas contentis multis & crassis. Sexus quoque vrinas mutat; sic vrinæ virorũ sunt coloratiores & cum paucioribus cõtentis, eò quòd sint calidiores, & pauca in eis pituitosa excremẽta coaceruentur, & quæ coaceruantur, magis exercitio in iis, quàm in mulieribus discutiantur. Vrinæ verò mulierum sunt pallidiores & crassiores. *Dices:* at deberent magis esse tenues, eò quòd debiliori calore, quàm viri præditi sint, & vrinæ tenuitas, vt dictum est à debili calore proueniat. *Respond.* id quidem per se ita fieri debere, sed per accidens, quia in eis multi pituitosi humores congregantur, fiunt crassæ. Quoad res non naturales, inprimis est aër, sub quo regio & anni tempus comprehenduntur; in calidis regionibus vrinæ sunt coloratiores, tenuiores & cum pauciori sedimento, eo quòd in iis corpora sint calidiora & biliosiora, & pauciore pituitoso humore prædita: in frigidis regionibus, etsi aucto per accidẽs natiuo calore, vrinæ sint satis coloratæ, quia tamen earum incolæ magis sunt pituitosi, ideò eorũ vrinæ

sunt

sunt crassiores & magis perturbatæ : ineunte æstate vrinæ quoque sunt coloratiores, tenuiores, & pauciorum contentorum, quia tunc multùm bilis generatur, quæ vrinam tingit, quæ quia pauca semper est & tenuis, vix vlla aut pauca saltem facit contenta, aut leuiora, & in medio vel in summo potiùs quàm in fundo natantia: hyeme vrinæ plus sedimenti habent, tum quia in hyeme plus comeditur, tum quia plus pituitosi humores generantur, tum etiam quia somni sunt longiores, ex quo etiam contingit pituitam generari. Autumno vrinæ euadunt quoad colorem dilutiores, & quoad substantiam crassiores, quia tum bilis incipit deferuere, & plurimi fructus comeduntur, qui crudos humores generant. In vere vrinæ mediocriter se habent. Secundo loco est cibus; cibi crassi & difficilis digestionis ac frigidi vrinas pariunt crudas, albas & cum crasso sedimento : cibi euchymi & facilis concoctionis, quia parum excrementorum crudorum deponunt, sed toti in alimentum vertuntur, vrinas reddunt tenues bene coloratas, & cum paucis contentis: largus cibus, crapula, nimia voracitas vrinas reddit crudas & crassas; tenuis & paucus bene coloratas, & cum pauco & ferè nullo sedimento; ideò cum in sanis vrinæ solito crassiùs & copiosiùs acquirunt sedimentum, est signum eos pleniori victu vti, & in cibo errores committere, & abstinentiâ ac purgatione opus esse. Ad cibos possunt & medicamenta referri per os assumpta, quæ variis modis vrinas mutant. Cantharides haustæ vel foris adhibitæ vrinam reddunt sanguineam, eo quòd habeant proprietatem vesicam exulcerandi. Rubia tinctorum etiam reddit vrinam rubram; idem facit Radix Alcannæ & ficus indica comestæ; cassia; glycyrrhita crocus, Rhabarbarum faciunt vrinam flauam; panis similaceus reddit vrinam albam. Refert Rhases quædam folia pomantia virides reddere vrinas. Therebinthina & alia, de quibus infra, vrinas reddunt odoratas : alia nonnulla fœtentes. Quoad motum & quietem: & quies quia concoctionem impediunt & eruditates congregant, albas, crudas & cum multo sedimento reddunt vrinas; exercitium, quia calorem excitat & excrementa discutit, bene coloratas & cum pauco sedimento. Quoad somnum & vigilias : moderatus somnus vrinas reddit optimas; somnus enim concoctionem iuuat; multus autem vrinas reddit crudas, albiores & crassiores, quia calorem torpidum reddit & pituitosum humorem auget; vigiliæ, quia exsiccant & calorem intendunt, reddunt vrinas tenues, magis coloratas & cum pauco sedimento; quæ verò modum excedunt spiritus nimirum consumendo, & coctionem debilitando, quæ quiete perficitur, & inde calorem natiuum extinguendo, summè crudas, tenues, albas, sine sedimento vllo vrinas reddit. Quoad animi affectus, cùm varij sint, & diuersos habeant ac contrarios affectus, varias vrinarum differentias inducunt : affectus qui naturâ suâ subitò ingruunt, vt ira, timor, gaudium, quatenus agitant humores in corpore, & hâc ratione vrinæ permiscentur, crassas & turbatas reddunt vrinas, at proyt ex agitatis humoribus alios atque alios, secundum quod

alij

alij magis in corpore abundant, vel ad expulsionem sunt parati, vrinæ contingit misceri. Varias quoque pro specie humorum vrinæ permixtorum differentias inducunt: Ira, cùm corpus calefaciat & bilem peculiariter agitet, vrinas reddit intensè coloratas, rufas ac rubicundas. Affectus lenti ac diuturni cùm concoctionem impediant, spiritus consumant & calorem natiuum extinguant, præcipuè metus ac tristitia, vrinas reddunt decolores, tenues, crudas & sine contentis, nisi per accidens multiplicato pituitoso humore contingat eas crasso & pituitoso affici contento, & hæ sunt res naturales. Res verò contra naturam omnium maximè mutant vrinas, vt causæ morbificæ, morbi & symptomata; & inter symptomata maximè dolores & peruigilium. Quomodo singuli morbi vrinas mutant, non est huius loci pertractare, sed de practicis, qui de singulis morbis agunt, est perquirendum.

CAP. VI.

Differentiæ vrinarum.

§. I.

DIfferentiæ vrinarum à 4. desumuntur: vrinæ substantiâ, qualitate, quantitate, & contentis. A substantiæ modis, alia dicitur tenuis alia crassa: crassa vel est turbida vel clara; turbida vel est turbida cùm mingitur & posteà clarescit, vel est clara cùm mingitur & posteà turbatur; vel est turbida cùm mingitur, & manet talis. A qualitate desumuntur variæ differentiæ: aliæ à qualitatibus visibilibus, vt colore, aliæ ab odorabilibus, vt ab odore, &c. à coloribus sumuntur hæ differentiæ, quòd aliæ vrinæ sint albæ, aliæ pallidæ, flauæ, rubræ, rufæ, virides, liuidæ, nigræ, &c. ab odore, aliæ fœtidæ, aliæ non fœtidæ; à sono, aliæ cùm effunduntur aut quassantur strepitum edentes instar aquæ, aliæ non. A sapore, aliæ salsæ, amaræ, insipidæ. A qualitatibus tangibilibus, aliæ sentiuntur valdæ calidæ, acres; mordaces, cùm exeunt, aliæ non: aliæ percipiuntur viscidæ, crassæ, quæ cum prædictis qualitatibus coincidunt, eo quòd aliquæ qualitates diuersis sensibus comprehendantur. A contentis, aliæ sunt cum contentis, aliæ sine ipsis; & illarum aliæ cum contentis naturalibus, aliæ cum contentis contra naturam: earum quæ sunt cum contentis naturalibus, aliæ continent arenulas, aliæ sanguinem, pus, calculos, vermes, &c. de quibus omnibus seorsim est agendum.

§. II.

Differentiæ vrinæ à substantia modo.

Alia est ergo tenuis, alia crassa : tenuis est, cuius substantia est valde subtilis, tenuis, & aquea ; Crassa quæ corpulentiam & spissitudinem habet maiorem. Quæritur ergo ; quæ sit causa tenuitatis & crassitudinis vrinæ ? Dicunt communiter medici duas esse causas proximas & coniunctas ac synecticas huius differentiæ, temperamentum sc. & humores. Temperamentum frigidum & calor imbecillis vrinam reddunt tenuem ; calor fortis mediocriter crassam : permixtio humorum eam reddit crassiorem ; impermixtio seu absentia humorum tenuem. Verùm dubitari potest, an hoc ita sit, & an calor debilis eam reddat tenuem ; & videtur quòd non : nam caloris est attenuare ; ergo vegetus calor non incrassat vrinam sed attenuat. 2. etsi videatur, quòd calor aliquando incrasset, sicut patet ex eo, quòd concoctio dicatur procedere incrassando, tamen hoc solùm verum est in illo humido, cui multum terrestris ac siccæ substantiæ est permixtum, tunc enim quatenus calor coquendo siccum terrestre cum humido aqueo permiscet, & tenues ac aqueas partes in halitum facit euanescere relinquendo siccas ; in solo autem humido aqueo hoc non est verum, vt patet in aquâ, quæ quantumcunque coquatur, non euadit crassior sed potiùs tenuior. 3. patet experientiâ, quòd calor natiuus validus vrinam reddat tenuem ; nam potus vt cereuisia, cùm bibitur, est crassa, & cùm mingitur est multò tenuior ; ergo calor & bona coctio attenuant vrinam ; ergo tenuitas vrinæ est soboles caloris validi & bonæ concoctionis, & non caloris imbecillis quia si cereuisia fuisset incocta & relicta sicut erat, non emingeretur tenuior, sed æquè crassa. Verùm his non obstantibus ; dico, calorem imbecillem & coctionem debilem esse causam tenuitatis vrinæ : hoc probatur communi axiomate iam dicto, quod concoctio procedat incrassando. 2. patet experientiâ ; quia vrina, quæ non diu retinetur, vt in iis qui multum bibunt & potum statim emingunt, apparet tenuis & aquea ; quæ verò diu in corpore fuit retenta, apparet crassa. 3. quia in principiis febrium, cùm calor naturalis est perfundatus, vrinæ sunt tenues ; in statu verò, cùm calor incipit reuiuiscere, euadunt crassiores. *Ad argumenta Respond.* quòd calor dicitur attenuare dupliciter, vel separando partes heterogeneas crassas, vel constrictas fundendo, vel quatenus ignis tenuitate suâ peruadit omnes minimas portiones substantiæ, quam concoquit ; at verò in concoctione, in quâ calor terrestres partes cum aqueis combinat, iungit & incorporat, & in quâ multas partes aqueas tenuitate suâ facit euaporationem, in illâ, inquam, incrassat : vrina autem fit per concoctionem, & ideò à coctione incrassatur. *Ad 2. Respond.* ita fieri in vrinâ, nam ipsa fit per coctionem, & ideò à calore vegeto & bonâ

coctione

coctione euadit crassa. *Ad 3. Respond.* verum esse cereuisiam esse vrinâ crassiorem, & sic coctione attenuari; sed hoc est per accidens, quatenus sc. crassiores & magis alimentariæ partes pro corporis alimento statim exuguntur, & quat. sic remanent aqueæ, quæ si statim eminganec diu in corpore retineantur manent tenues; at diutiùs si retineantur, fiunt crassiores, quia concoctione in hepate factâ, aliæ partes excrementitij chyli & humorum hepatis ei incorporantur. Calor ergo imbecillus tenues reddit vrinas. Est autem calor imbecillus vel positiuè, vt cùm est verè & essentialiter diminutus, vel respectiuè in comparatione sc. cibi potusve qui assumuntur, qui vel est nimis multus vel nimis crudus, vel nimis parùm in corpore retinetur; qui calor potest dici debilis obiectiuè sc. ratione alimenti improportionati, quod est obiectum eius. Verùm dicet aliquis: calor debilis & imminuta concoctio sunt causa generationis multæ pituitæ, quæ admixta vrinæ debet eã reddere crassam; ergo hâc ratione debilis calor potiùs reddet vrinam crassam quàm tenuem. Sed *Respond.* 1. debilem calorem hoc facere per accidens, non per se enim & vi propriæ suæ actionis, quam in vrinâ exercet, relinquit eam tenuem; & crassities vrinæ, quæ fit ex admixtione pituitæ, non est crassities facta ratione temperamenti per se, ratione admixtionis humorum, quæ est secunda causa tenuitatis vel crassitiei vrinæ, de quâ hic nondum agimus. 2. *Respond.* crassitiem illam, quæ est ab admixtione humorum, non esse crassitiem, quæ referatur ad substantiam vrinæ, de quâ hîc agimus, sed debet referri ad contenta, & non est crassities intrinseca vrinæ, per quam ipsa substantia vrinæ intrinsecè est crassa, sed est crassities extrinseca non faciens ipsam substantiam vrinæ crassiorem, sed tantùm faciens in vrinâ contentum; nam talis crassities subsidentiâ separatur à substantiâ vrinæ; crassities verò vrinæ intrinseca non separatur ab eâ; nos verò hîc agimus de crassitie & tenuitate intrinsecâ substantiæ vrinæ, non de crassamento alieni humoris in vrinæ substantiâ contento. Calor itaque validus & natiuus vrinas reddit mediocriter crassas. At verò calor auctus & factus igneus ac non naturalis, qualem faciet ex se vrinam? crassámne an tenuem? Dicunt Medici, eam etiam vrinam reddere tenuem; calor enim auctus est calor debilis; nam etsi intensiuè sit auctus, est tamen diminutus quoad esse suum naturale, & sic opera naturalia debiliter agit, non secus quàm calor intensiuè & essentialiter diminutus: hinc calor auctus ac febrilis tam bene etiam facit malam coctionem, quàm diminutus; & cùm vrinæ crassities naturalis producitur per coctionem, sequitur, quòd prauâ existente coctione vrina manebit tenuis. Hinc quærit Capiuaccius, an vrina possit esse valde tenuis & simul valde tincta ac rubicunda; an verò omnis tenuis debeat esse necessariò decolor & alba; & respondet posse esse tenuem & rubicundam simul, eo quòd etiam adaucto & igneo calore euadat tenuis, quando autem est tenuis à tali calore, tunc simul est etiam rubicunda; igneus

enim calor rubedinem facit; at cùm est à calore diminuto, tunc est tenuis & simul alba. Dico itaque calorem, quantumcunque sit intensus, per se non facere vrinas absolutè crassas, sed bene aliquando per accidens; quando sc. cum calore accedit humorum permixtio, in quantum potest calor humores crassos incorporare eiusque substantiæ intrinsecare; sicut ex eo patet, quòd ignis coquendo aquam, nunquam eam incrassat, sed si aquæ admisceatur aliqua substantia crassa, vt farina, quatenus illam incorporat aquæ, eatenus incrassat illam & facit pultem. Verùm quæri potest, quomodo cognoscatur an vrina sit tenuis, an crassa: videtur enim quòd non aliter cognosci possit, quam visu sc. ex perspicuitate vel obscuritate vrinæ; at illud iudicium videtur non valere, quia vrina crassa, vt supra dictum est, potest etiam esse perspicua; quando ergo erit perspicua, quomodo scietur an sit tenuis an crassa? *Respond.* tenuitatem & crassitiem 3. modis cognosci. 1. si vrina concutiatur, & paucas bullas facit est tenuis; si multas, crassa. 2. si quassata est strepera instar aquæ, & acutum edit sonum, est tenuis; si grauem, est crassa. 3. etiam cognoscitur ex perspicuitate; nam etsi crassa vrina etiam possit esse perspicua non habet tamen talem ac tam lucidam perspicuitatem, sicut habet tenuis: credo quòd fortè etiam ex pondere crassities dignosci possit; & miror nullum vnquam Medicum ex pondere vrinæ vllum signum desumpsisse. Atque hæc de primâ causâ, seu de temperamento. Secunda causa tenuitatis vel crassitiei est humoris admixtio; hâc ratione dicunt Medici obstructionem facere vrinam tenuem & albam, quat. obstructio & angustia partium est causa, quod humores crassiores non possint cum vrinâ transire, sed in angustiis partium hæreant, & vrina solùm secundum suas partes tenues & aqueas præterlabatur: vnde cùm teneant, vrinam habere suum colorem flauum ab admixtâ sibi bile, & bilis in illis angustiis partium etiam detineatur, dicunt vrinam sine bile transeuntem manere coloris expertem & remanere albam: obstructionem quæ tenuem & albam faciat vrinam, dicunt esse obstructionem & hepatis & venarum, & renum, & vreterum; & hæc est communis medicorum doctrina. Mihi verò penitùs consideranti non videtur obstructio tenuem & albam facere vrinam. Pro quo considerandum, duplicem posse considerari vrinæ crassitiem; vnam crassitiem ipsius substantiæ seu crassitiem intrinsecam eius; aliam verò extrinsecam seu ab admixtione humoris, vt dictum est. Intrinseca crassities ab vrinâ est inseparabilis, extrinseca seu quæ est ab admixtione humorum, potest separari humorum detentione vel separatione: hoc posito dico obstructionem posse facere, quòd humores, qui vrinæ sunt simpliciter admixti, & substantiæ vrinæ non intrinsecati, retineantur & cum vrinâ non exeant, & sic vrina non euadat crassa crassitie secundum contenta seu crassitie secundum admixtionem humorum, sed maneat tenuis: at verò obstructio non potest ab vrinâ auferre crassitiem secundum propriam substantiam, seu

crassitiem

crassi in intrinsecam, & ita obstructio non potest vrinam reddere tenuem secundum suam substantiam, de quâ tenuitate hîc agimus. Potest ergo obstructio efficere, vt vrina sic euadat tenuis, vt deponat contenta, sed non potest facere, vt euadat tenuis secundum essentiam; obstructio enim tantùm facit tenuitatem cribrando vrinam; at intrinseca substantia non potest ab vrinâ cribrando separari: sic olei substantia per cribrationem non potest euadere tenuior, quia illa est intrinsecæ & inseparabilis; sed aqua terrestrium partium commixtione crassata, potest cribratione euadere tenuis, quia illa est extrinseca, & solùm crassities per admixtionem; ergo propriam crassitiem, quam vrina habet à calore coquente seu ab admixtione humorum, quos calor per coctionem substantiæ vrinæ incorporauit, non potest obstructio tollere. Porrò adhuc eo posito, quòd obstructio aliquam vrinæ tenuitatem causaret, saltem videtur, quòd eam non posset causare obstructio hepatis & venarum; obstructio enim quæ faceret tenuitatem vrinæ, deberet esse valde magna & talis, quæ nihil crassi finit præterlabi; at talis non potest esse in hepate, nec in venis; ergo restat, vt si qua obstructio illam tenuitatem causaret, eam tantùm esse vel renum vel vesicæ, non in venis, quia venæ cùm habeant cauitatem amplam, & præcipuè emulgentes, non possunt ita vllâ obstructione coarctari, quin per eas humorum transitus concedi possit; non etiam in hepate, quia si hepar tantopere obstrueretur, impediretur sanguinis distributio, & æger moreretur; quandiu ergo hoc non fit, & quamdiu sanguis, qui est crassus, & humores ei admixti per eum transitum habere possunt, tamdiu etiam & vrina secundum suam substantiam naturalem, & etiam vnà cum humoribus admixtis transire potest. Porrò videtur, quòd obstructio etiam non possit causare vrinæ albedinem: si enim hoc faceret, faceret quatenus impediret transitum bilis, eoque impedito vrina non tingeretur, & sic maneret alba: at non videtur, quòd obstructio transitum bilis possit impedire, eò quòd bilis etiam ferè tam tenuis sit, quàm vrina ipsa; vnde quamdiu vrina transire potest, videtur quoque & bilis debere posse transire. 2. quia, vt infra docebitur, naturalis vrinæ flauedo non causatur à bilis admixtione. 3. quia etsi causaretur & bilis propter obstructionem transire non posset, tamen quando bilis semel vrinæ permixta fuit, & colorem suum ei impertiuit, videtur quòd ille adhuc esset mansurus, etiamsi bilis vnà cum vrinâ transire non possit; nam accidentia semel impressa non possunt cribratione tolli, sicut tolluntur substantiæ ipsæ. Itaque vt concludam, admixtio humorum potest vrinam reddere crassam, crassam quidem secundum propriam substantiam, si calor humores illos coctione vrinæ incorporauerit; crassas verò accidentaliter tantùm & secundum simplicè admixtionè, si leuiter tantùm cum vrinâ sint abluti; horum absentia vrinas reddit tenues, non quidem absolutè sed respectiuè in comparatione crassarum, seu tenues priuatiuè, id est non crassas. Ideò absentia vrinæ potest facere vrinas te-

nues, sic vt non sint crassiores naturalibus, sed non potest facere tenuitatem maiorem, quàm sit crassities vrinæ naturalis; quia crassitiem naturalem habet vrina à calore coquente, & non ab humorum admixtione; & ita absentia humorum non potest eam reddere tenuiorem; crassitiem, quæ est vltra crassitiem naturalem habet ab admixtione humorũ, qui si vrinæ coctione caloris sint incorporati, vrina est secundum propriam substantiam crassa, & talis crassities est ei intrinseca & inseparabilis, & sic talis manet semper crassa; at si non sint incorporati, non manet illa crassities sed separatur ab vrinâ per subsidentiam & in vrinâ fiunt contenta; ipsa verò vrinæ substantia euadit tenuis. Ex quo patet, quòd inter vrinas crassas aliquæ sint crassæ & maneant tales, & illæ sunt verè secundum substantiæ crassæ; aliquæ sunt crassæ, sed non manent tales, sed crassamentũ separatur ab iis, illæ sunt crassæ ob humores admixtos nec beneficio caloris incorporatos; hæ sunt crassæ ab humoribus nudè solùm & simpliciter admixtis & non incorporatis. Pro quo notand. humores diuersis temporibus posse vrinæ admisceri: vel enim admiscentur, postquàm vrina iam est percocta, vel interim dum iam adhuc coquitur, vel antequam concoctio in eâ est incepta: si miscentur postquam vrina iam est elaborata, tum crassities non est intrinseca & separatur ad fundum, & vrina ex crassâ euadit tenuis; si miscentur eo ipso tempore quo vrina elaboratur, ita vt ei per coctionem incorporentur, tunc vrina euadit crassa substantialiter, & crassa manet nec separatur illud crassamentum; vel si fortè aliquid separetur, id fit tardè & valde serò: si vrinæ permisceantur ante omnem concoctionem, si tunc fiat vrinæ exacta coctio, fit vrina crassa substantialiter; si non exactè coquatur, sed celeriter transeat & non teneatur, euadit crassa sic vt non attenuetur; de quo statim plura dicenda sunt: & hæ sunt causæ synecticæ tenuitatis vel crassitiei vrinæ.

Causæ secundariæ, remotæ & mediatæ sunt plures, sc. illæ omnes quæ synecticas illas causas immutant, id est, omnia, quæ calorem vel diminuere vel augere possunt; vel causa esse possunt, vt humores multi vel nulli vrinæ admisceantur. Causæ ergo remotæ tenuitatis vrinæ sunt, temperamentum calidum & siccum, vel temperamentum frigidum, constitutio aëris calida & sicca, exercitia, potus copiosus, cruditas, &c. causæ vrinæ crassæ sunt facultas expultrix valida alicuius partis, vel materiæ multæ copia in venis, renibus, aut vesica contenta, declinatio morborum, in quâ humores à naturâ expelluntur, frigida temperies partium aliquarum generans multum pituitæ, ætas puerilis & senilis; pueri enim crassas ob voracitatem habent vrinas, senes verò, quia sunt pituitosi; conformatio corporis & amplitudo viarum, breuitas colli vesicæ; ideò dixit Alexander *sect. 2. Probl.* mulieres calculis minùs obnoxias esse, quia meliùs emittunt sordes ob breuitatem colli vesicæ; ex quo necessum est illis fieri vrinas crassiores; aliâ etiam ratione mulieres crassas vrinas habent, quia magis sunt pituitosæ, & quia frequenter vterus aliquid crassæ materiæ

teriæ ad vrinas mittit, exceptis grauidis, in quibus quia vterus est clausus, nihil tale exit: vnde grauidarum vrinæ sunt tenues. Anni tempus, frigida & humida aëris constitutio, australis & pluuiosa vrinas crassas reddit, otium, crapula, vsus ciborum crassi succi & frigidorum, piscium, caſei, fungorum, leguminum, somnus longus, curæ, mœrores, exercitia statim à cibo, quatenus incoctum alimentum statim ad venas rapit, vnde generantur cruditates, quæ vrinæ permiscentur, alui, sudorum ac reliquorum quoque excrementorum suppressio crassas vrinas reddit, quatenus contingit sordes, quæ alias vias excerni deberent, vrinæ admisceri; cerebri frigida intemperies, mittens catarrhos ad renes & vias vrinarias, frigidum hepatis & aliorum viscerum temperamentum crudam pituitam multiplicans; calida intemperies omnes ad se humores trahens. Gonorrhæa, quat. semper aliquam seminis materiam facit vrinæ admisceri; colliquatio corporis, quat. illud colliquamentum, quod naturâ suâ crassum est, vrinæ admiscetur. His causis positis manifestum est, quid tenuis & crassa vrina indicet; nam cùm vrina indicet vt effectus, effectus autem indicet suam causam, vtique & vrina indicat suas causas; sicut ergo omnes reliquæ vrinæ differentiæ, ita quoque differentia secundum tenuitatem & crassitiem suas causas indicat. Vrina tenuis, si est cum albedine coniuncta, indicat magnam cruditatem vel materiæ absentiam, id est, vt loquamur secundum communem Medicorum sententiam, hepatis, venarum & renum obstructionem: an verò vnum & alterum significet ex aliis signis comitantibus est distinguendum. Vrina crassa indicat humorum admixtionem, & consequenter omnes illas causas, quæ admixtionis humorum vel generationis humorum causæ esse possunt, vt humorum abundantiam, robur expultricis, humorum agitationem; crassa vrina cum coloribus extraneis est morbosa, neque in sanis reperitur, & indicat admixtionem illius humoris, cuius colorem refert. Crassa vrina & alba indicat etiam cruditatem & stomachi debilitatem, sc. alimenta non perfectè coqui, sed indigesta relinqui & sic multum crudi & pituitosi humoris generari, qui vrinæ permixtus eam crassam reddat, præcipuè autem talis vrina hoc indicat, cùm diu talis perseuerat, & talis victus ratio, ætas, anni tempus consentiunt; nam si non diu perseueraret, & illa non consentirent, easualem crudi humoris in stomacho, venis, vesicâ aut aliis viis intermediis hærentis expulsionem indicaret: itaque & tenuis & crassa stomachi debilitatem & cruditatem indicat. Sed quænam ex his duabus deterior est? Respond. secundum Auicen. 2. *primi doct.* 3. *cap.* 3. tenuem esse peiorem; quia talis omnimodam indicat cruditatem, & nullam grossi cum subtili commixtionem: crassa verò indicat inceptam saltem coctionem, & talem, in quâ saltem ad pituitæ coctionem sit peruentum: in morbis verò tenues interdum sunt meliores interdum crassæ: in principiis febrium crassæ indicant humores à febrili calore agitari, quod plerumque est malum, & tales tunc sunt

symptomaticæ

symptomaticæ ; tenuiores verò sunt meliores : in declinatione morborum tenues sunt pessimæ, crassæ verò salutares & criticæ; indicant enim humores à naturâ validiore expelli, maximè si in quotidianâ sint crassæ & albæ, in tertianâ crassæ & flauæ, in quartanâ crassæ & liuidæ. In principiis tenues esse malum non est, in aliis temporibus tenues remanere malum est ; vel enim morbi longitudinem vel mortem indicant ; longitudinem quidem, si virtus adhuc sit valida ; mortem verò si eadem sit debilis. Sæpe etiam aliàs crassæ vrinæ sunt bonæ & indicant robur facultatis expultricis prauos corporis humores expellentis ; sæpe etiam crassæ vrinæ indicant humores plurimos excrementosos in corpore detineri, quod est malum ; sæpe etiam excrementa corporis per vias ordinarias non excerni, sed ad vrinas conuerti ; vnde in aliis partibus obstructiones vel debilitatem arguunt ; sic in obstructione folliculi fellis, hæmorrhoïdibus retentis, aluo suppressâ, vrinæ crassæ euadunt. Porrò vrina crassa alia est turbida, alia clara ; turbida est, quæ non est clara, nec visum transmittit ; sic clara contra. Turbiditas causatur ab humoris opacis admixtione, tenuis ab eiusdem absentiâ. *Quæri potest*, an vrina tenuis possit esse obscura ; & videtur quòd non, quia turbida & obscura, vt dixi, fit ab humoris admixtione ; humores enim non sunt perspicui sed opaci ; vrina verò, in quantum simpliciter aquea est sine vllâ humoris admixtione, non videtur posse esse obscura, cum aqua naturâ suâ sit pellucida. *Verùm Respond.* vrinam tenuem posse esse obscuram ; etenim perspicuitas, tenuitas, opacitas & crassities sunt diuersæ qualitates, & ideò nihil impedit perspicuitatem esse cum crassitie, tenuitatem cum opacitate ; sic patet vitrum & oleum esse crassa, quæ tamen nihilominus sunt perspicua : similiter ergo quid potest esse in vrinâ, quia perspicuitas & opacitas non solùm pendent ab humoris admixtione, sed etiam à calore concoquente ; calor enim perfectè concoquens vrinam reddit perspicuam & lucidam : sed imperfectè coquens, obscuram, & ita quando est imperfectè cocta, potest esse obscura etsi sit tenuis ; & quando humores admixti coctione perfectâ ei sunt incorporati, potest esse lucida, & sic crassa ; sic in morituris aliquando sunt tenues & opacæ, in febribus ardentibus aliquando crassæ & perspicuæ. Porrò etiam quando vrina ab admixto humore est obscura, potest nihilominus aliquando etiam esse tenuis ; quia potest ab exiguo humore admixto perdere suam perspicuitatem, à quo tamen non euadit crassa, neque perdit suam tenuitatem ; sic serum est obscurum, & tamen est tenue ; & sic vrina etiam sæpe instar seri est tenuis, & nihilominus est obscura. Causa ergo vrinæ tenuis & claræ est absentia materiæ cum aliquâ actione caloris in eâ : tenuis & obscuræ causa est absentia materiæ cum omnimodâ cruditate, sic vt calor nihil ferè in eam egerit ; plerumque autem tenuis est perspicua, & crassa obscura. Porrò videndum est, cur vrinæ quæ claræ & tenues fuere cum mingerentur, posteà euadant turbidæ & obscuræ ac crassæ. Aliqui dicunt illius turbiditatis

vnam

vnam tantùm esse causam, ic. frigiditatem aëris externi, & omnem vrinam, quæ ex perspicuâ turbatur, talem fieri, quòd frigiditas aëris eam congelet & condenset, & sic condensata euadat turbida. Verùm hæc opinio non videtur vera, quia aliquæ vrinæ etiam turbantur in mediâ æstate cùm aër est calidus, & aliquæ etiam turbantur constitutæ in sole; ergo tales non turbantur à frigiditate aëris externi; ergo adhuc est alia causa turbiditatis vrinarum. Aliqui dicunt proximam causam turbiditatis vrinæ esse, quòd calor & spiritus in vrinâ cõtenti exhalent; calor enim natiuus & spiritus, qui in vrinâ sunt, conseruant partes vrinæ permixtas & bene vnitas, vnde causatur vrinæ perspicuitas, quando illi exhalant, separantur partes heterogeneæ eius, & perit perspicuitas, & fiunt vrinæ obscuræ: exhalant autem calor & spiritus tripliciter, vel quòd frigus ambientis aëris eos extinguat, & hâc ratione aëris frigiditas reddit vrinas turbidas; vel quòd ipsimet sponte paulatim exhalent, præcipuè quando in vrinâ pauci spiritus continentur & calor natiuus in eâ est imbecillis, vel quòd etiam calor ambientis similitudine euocet calorem internum, & cùm eo spiritus, vel facit calorem vrinæ intensiorem, quàm pro naturâ; vnde non potest ea facere, quæ sunt caloris natiui, & sic non potest regere neque seruare partes vrinæ vnitas sed patitur dissolui, separari & confundi, vnde ipsa fit turbida. Alij dicunt turbationis causam esse flatum vrinæ permixtum; sed quomodo flatus eam reddat turbidam, in eo non omnes consentiunt: Aliqui enim dicunt flatum hoc facere, quat. ipse in vrinâ ab externo aëre statim condensantur, qui condensatus vnà vrinam etiam condensat. Verùm posset quis mirari, an etiam flatus in vrinâ condensetur, & quomodo ipse potiùs condensetur quàm vrina, & quomodo ipse condensatus possit vrinam condensare & perturbare: videtur enim quòd flatus condensatus adhuc sit tenuior vrinâ, non videtur autem id quod tenuius est, posse condensare id, quod densius est. Aliqui dicunt flatum vrinam posse condensare per hoc, quòd ipse in vrinâ contentus ascendat sursum, & ascendendo partes heterogeneas in vrinâ existentes eleuet; & sic facit partium separationem, vnde vrina fit turbida, eodem modo, quo vinum in dolio turbatur, quando incipit ebullire. Verùm etiam hæc doctrina mihi videtur valde infirma, & exiguam verisimilitudinem habere, adeò vt tota hæc de causâ turbiditatis vrinæ materia sit valde occulta. Mihi verò verisimiliùs causa proxima mutationis ac turbationis vrinæ videtur esse extinctio caloris natiui in vrinâ contenti, quæ extinctio vel fit à frigore externo, vel à calore externorum, vt ante dixi, euocante. Magnum frigus ferè omnem vrinam perturbat, nisi calor vrinæ sit valde vegetus; si frigus externum non sit magnum, quò vrina debiliorem habet calorem, eò citiùs perturbatur; quò validiorem, eò seriùs. Causa adiuuans perturbationis vrinæ est substantias aliquas humorosas vrinæ esse permixtas, quæ non sunt exactissimè à calore percoctæ, neque ipsis aqueis substantiis perfectè incorporatæ, adeò vt

tandem per malam illam dispositionem vrina euadat turbida. Atque hæ sunt causæ vrinarum turbidarum,quæ sc.turbidæ sunt factæ, cùm essent mictæ claræ,quæve sunt factæ turbidæ extra corpus. Aliquæ verò minguntur turbidæ,seu fiunt turbidæ intra corpus.Earum quæ turbidæ minguntur,aliæ permanent tales,aliæ euadunt claræ.Causa cur euadant turbidæ in corpore,est duplex : vel quòd humores in viis intermediis hærentes fortuitò vrinæ exeunti misceantur, & cum eâ abluantur, sic vt ei per concoctionem non sint intrinsecè incorporati; vel quod natura humores non perfectè concoxerit,vnde illi humores vrinæ permixti eam reddunt turbidam. Quod vrina turbida micta euadat clara, vel contingit in illâ vrinâ, in quâ fortuitò tantùm humores cum vrinâ in transitu mixti sunt, & ei non incorporati; vel contingit in iis vrinis, in quibus natura humores intus studuit concoquere, & vrinæ (etsi tantùm imperfectè)incorporauit: illa euadit clara per solam subsidentiam, quat. partes heterogeneæ admixtæ suâ grauiditate naturali ad fundum secedunt, & clara euadit ab operatione caloris natiui in vrinâ existentis, qui partes humorosas heterogeneas ac crassas à sero separat; illis enim separatis tunc serum vrinæ fit perspicuum & clarum. Itaque talem turbidam euadere claram, est signum roboris caloris natiui; & quò citiùs clara fit, eò maioris, quò seriùs eò minoris. Non euadere claram sed permanere turbidam, minus bonum signum est, quia significat impotentiam caloris natiui,& maiorem cruditatem humorum sero admixtorum, & consequenter signum est debilitatis caloris, & cruditatis humorum in corpore inexistentium. Hisce positis dico, vrinam esse perspicuam vel non perspicuam siue turbidam, talem fieri vel non fieri, non idem in sanis quod in ægris significare.Quoad sanos, vrinam mingi perspicuam cum colore naturali est bonum signum; mingi turbidam est signum vel humores aliquos fortuitò expelli, vel in viis intermediis hærere,vel malam fieri ciborum concoctionem, vel crapulam præcessisse, vel pituitam quaquâ ratione in corpora abundare,vel flatum in corpore contineri, à quo humores agitentur. Vrinam, quæ micta est clara, citò turbari est signum debilioris caloris natiui & paucorum spirituum in vrinâ existentium,qui à leui aëris ambientis frigore facilè extinguantur: vel indicium est,extraneos humores vrinæ esse permixtos, eique concoctione exactè incorporatos, qui à sero secedant & ipsum perturbent; quo autem seriùs conturbatur, eo perfectioris vrinæ concoctionis, & consequenter humorum in corpore existentium ac maioris roboris caloris natiui indicium est. Qui dicunt flatum esse causam turbationis vrinæ, dicunt talem vrinam flatulentiam & per consequens cruditatem & inconcoctionem & caloris debilitatem indicare, quod in idem cecidit. Quoad ægros verò eos mingere vrinam tenuem & claram, sic vt tenuis & clara permaneat, est signum maximæ cruditatis; & est signum,quòd natura causam morbificam adhuc non aggrediatur, non agitet,non incipiat concoquere; quia si iam agitaret & iam concoquere inciperet,

aliquid

aliquid illorum humorum vrinæ iam per venas transeunti deberet incipere admisceri, qui calore vrinæ tum debili existente exhalante, eam deberet reddere confusam ac turbidam. Itaque etsi in principiis morborum talem vrinam mingi non sit adeò pernicioſum, quia tunc natura causam morbi necdum aggreditur, tamen in morbi augmento talem esse, signum est pessimum: & ideo in morbis maximè in incremento, & in morbis acutis ac valde periculosis est signum mortis; in aliis saltem indicat morbi longitudinem. Vrinam mingi turbidam, significat humores in corpore agitari, vel à naturâ incipere concoqui; sed adhuc esse crudos & imperfectè coctos. Itaque vrinam reddi turbidam in morbi principio est malum signum; quia est indicium humores agitari à calore igneo & non naturali, quod est malum; nam à calore naturali non debent nec solent agitari in principio. In augmento reddi vrinas turbidas, non ita malum est, sicut in principio. Pro quo notand. quòd vrinam mingi turbidam & permanere talem, est malum signum, quia indicat humores in corpore agitari à calore igneo, & non naturali concoqui; quia si à calore natiuo concoquerentur, calor in vrinâ residuus, faceret aliquam humorum vrinæ separationem, & sic faceret, quòd vrina deberet euadere clara; cùm ergo nullam faciat humorum vrinæ separationem, est indicium calorem illum, qui in vrinâ est, non esse naturalem sed igneum, qui omnia agitet & perturbet. Qui dicunt vrinam turbidam à flatibus in ipsâ contentis causari in venis, & non humores morbificos concoqui, id valde debilis caloris signum est; vel est signum calorem natiuum morbificam causam aggredi quidem, sed necdum eâ esse superiorem: quia si superior esset, iam non tantùm concoquere posset, sed etiam crudum à cocto separare, & sic posset in vrinâ aliquam humorum morbificorum facere à sero separationem; quod cùm in vrinâ facere non possit, indicat eius debilitatem, præcipuè talem esse vrinam in statu, quando iam natura deberet esse omnimodè superior causâ morbificâ est malum: in incremento verò non est ita malum; quia non est mirum, tunc naturam adhuc non esse causâ morbificâ absolutè superiorem. Vrinam mingi turbidam & reddi claram est bonum signum; indicat enim calorem esse superiorem & speciatim in morbis, qui concoquuntur, est indicium humores coqui à calore naturali, & coctos expelli, indeque vrinam reddi turbidam; & est indicium calorem natiuum esse superiorem illis, qui valent in vrinâ eos à sero separare, ex quo ipsa claresçit: quò autem citiùs illa separatio fit, citiusque vrina claresçit, & melioris & maioris roboris caloris indicium est. Vrinam mingi claram & citò perturbari est semper malum signum, indicium enim est debilis caloris in vrinâ: per hoc enim quod clara mingitur, indicatur quòd adhuc nulla sit facta agitatio, aut concoctio humorum, quia si iam aliqua facta esset, portio eius aliqua cum vrinâ expelleretur, quæ eam turbidam redderet, & sic non mingeretur clara; per hoc verò quòd etiam postea

ſtatim perturbatur, indicatur, quòd calor eius, & conſequenter calor corporis debilis ſit, quodque ex vrinâ facilè expiret; vnde colligi poteſt, quòd ipſe adhuc non ita facilè concoctionem aggredietur, imò multò minùs proficere poterit; & ſic talis vrina cum forti facultate portendit morbi longitudinem, cum debili verò mortem; niſi ita ſit, quòd vrina à frigore externo perturbetur; quia tunc non internam aliquam diſpoſitionem ſuæ turbiditatis indicat, ſed ſolum externum aëris frigus. Qui dicunt vrinam turbari à flatibus admixtis, dicunt talem vrinam eſſe quidem malam, ſed tamen non valde malam, ſed eſſe adhuc meliorem illâ, quæ clara mingitur & clara permanet; & rationem dicunt, quia putant eam ſic turbari à flatibus admixtis; hâc ergo ratione eam turbidam fieri, cum fuerit micta clara, dicunt eſſe malum ſignum; quia cùm ſit micta clara, eſt ſignum naturam adhuc non feciſſe aliquam notabilem humorum coctionem; quia ſi feciſſet, vrina mingeretur turbida; ſed quòd quæ micta fuerit clara, poſteà turbetur, dicunt adhuc eſſe aliquod bonum ſignum, quia indicat in vrinâ eſſe flatus, & ſic naturam, ſaltem coctionem in corpore eſſe aggreſſam; ſed tamen adhuc non facere niſi exiguam, ſic quòd humores morbificos tantùm in flatus conuertat, non autem perfectè maturet; ſaltem, inquiunt eſt ſignum inceptæ concoctionis, quam ſperandum eſt porrò incrementum habituram. At claram mingi & claram permanere, dicunt nullam concoctionem inceptam eſſe, ne quidem tantillam, vt natura ex causâ morbificâ flatus incipiat excitare; qui ſi tantùm faceret, iam vrina poſteà turbaretur. Hæc diuerſitas indicandi ex vrinâ, pendet ex eo, quòd Medici non omnes conueniant in deſignandis cauſis ſingularum vrinæ differentiarum, ſed cùm vnus dicat turbiditatem fieri ab hâc causâ, alius ab aliâ, ſequitur quòd vnus debeat dicere turbiditatem indicare hoc, alius aliud: differentiæ enim vrinæ proximè indicant ſuas cauſas. Porrò cùm vrina aliquando turbida ſit ex diſpoſitione internâ, aliquando à frigore ambientis, ne medicus in iudicio fallatur, debet prius infeſtigare, ſitne vrina turbida à causâ ſibi internâ, an verò ab externâ ceu frigore ambientis; ſic enim cognoſcet, an ſit turbida micta, an verò poſteà turbida euaſerit. Rhaſes 23. *continentis cap. de vrinis* ponit duo eius ſigna. 1. quod vrina, quæ mingitur clara & poſteà turbatur, nullam habet tranſparentiam, ſed eſt alba ac inſtar pinguedinis congelatæ, & ſi calefiat ad ignem clara redditur; contrà, quæ turbida mingitur eſt tranſparens, nec calefacta clareſcit. 2. ſignum eſt, quia quæ turbatur poſt mictionem à causâ externâ, illa facit in matulâ circulum album; quæ verò turbida eſt naturâ ſua, non facit.

§. III.

Differentiæ à. Qualitate & primò à colore.

Colorum cauſæ primariæ & ſynecticæ ſunt duæ: temperamentum ſeu facultas & humor ſiue contentum quod vrinæ admiſcetur: verùm admixtio humoris ſeu contenti maiorem habet vim vrinam permutandi, quàm temperamentum; nam etſi à facultate ſeu temperamento aliquis in vrinâ calor cauſetur, tamen ſi ſimul aliquis humor copioſus permiſceatur, ille magis colorabit eam, quam temperamentum, & colorem temperamento inductum permutabit; ſic ſi propter imbecillitatem caloris ac hepatis vrina remanſiſſet alba, ſi contingat copioſam bilem vel ſanguinem vrinæ admiſceri, color ille albus, qui fuerat à temperamento inductus, extinguetur, & inducetur color flauus vel rubor ab illis humoribus admixtis; eodem modo ſi vrina euaſerit rubra propter exceſſum caloris & contingat interim pus ex renum vel veſicæ vlcere ei admiſceri, rubedo à calore inducta extinguetur, & acquiret colorem materiæ admixtæ, & fiet alba: Idem de aliis humoribus eſt intelligendum. Sed dubium eſſe poteſt an temperamentum ſeu facultas poſſit eſſe vera cauſa ſynectica & vera cauſa per ſe colorum vrinæ, an verò ſolùm ſit cauſa mediata & per accidens, id eſt, an ipſum temperamentum per ſe mutet colorem vrinæ, an verò ſolùm quat. talem vel talem humorem in corpore generat, qui vrinæ permixtus eam ſuo colore tingat: v. g. cum calor imbecillis cauſat vrinam albam, quæri poteſt, an talem cauſet per ſe vt talis calor, an verò per accidens quat. generat pituitoſos humores, qui ſunt albi, qui vrinæ permixti eam reddunt albam, & cùm calor excedens vrinam reddit intensè claram & ruſam, an hoc faciat per ſe vt calor intenſus, an per accidens, quat. generat multam bilem, quæ cùm ſit flaua vrinæ permixta eam reddit flauam; quia ſi temperamentum illo modo mutet colorem vrinæ, tum eſt cauſa ſynectica; ſin hoc modo, tum eſt cauſa remota & per accidens, & tum ipſe humor eſt cauſa ſynectica. Dico autem, temperamentum etiam primo modo & vt cauſam ſynecticam colorem vrinæ mutare; ſic calor imbecillus reddit vrinam aqueam ſiue albam & tenuem, talem autem reddit non generando pituitam, quæ vrinæ permiſceatur, ſed per ſe; quia ſi talis vrina eſſet alba ab admixtione pituitæ, eſſet alba aliâ albedine quàm nunc eſt; quia eſſet alba cum craſſitie & opacitate, & eſſet inſtar ſeri lactis; at nunc ſupponitur alba cum perſpicuitate, & alba vt aquea; ergo illa albedo non eſt cauſata ab admixtione humorum, ſed à temperamento per ſe. Fateor equidem temperamentum etiam poſſe non rarò mutare colorem vrinæ per accidens ſeu vt cauſa remota, generando hunc vel illum humorem, ſed ſæpe etiam per ſe & vt cauſa proxima eam immutat. Pro quo notand. calorem ſiue debilem

siue fortem posse omnes colores vrinæ per se & vt causa synectica producere vsque ad rubedinem inclusiuè, seu vsque ad colorem vini Hispanici obscurioris; colores verò, qui vltra illum sunt, non producuntur ab actione caloris immediatâ & per se, sed tantùm ab humore admixto: possunt autem distingui colores qui à calore per se fiunt ab illis qui fiunt ab humore admixto; quòd illi qui fiunt à calore per se sint coniuncti cum perspicuitate & tenuitate; qui verò ab humore admixto cum crassitie & opacitate. Hâc ergo occasione latiùs potest dubitari, an color naturalis vrinæ seu color vrinæ flauus fiat per se à calore concoquente, an verò ab admixtione bilis: & pro vtraque parte sunt argumenta. Quod fiat ab admixtâ bile sic probatur: quia in ictero, sicut excrementa alui sunt alba, ita & vrina; illius nulla videtur esse alia ratio, quàm quòd bilis tum fæcibus ac vrinæ non permisceatur: si ergo non permixtio est causa non flauedinis; ergo permixtio est causa flauedinis: sic in phrenitide vrina sæpe est alba, eius nulla videtur alia esse ratio, quàm quòd tum bilis sursum ascendat in caput, & consequenter inferiùs vrinæ non permisceatur; si enim calor vrinam tingeret, cùm tum calor sit valde intensus propter febrem phrenitidi adiunctam, vtique vrina non deberet esse alba, sed potius intensè flaua seu rubra: Sic in nephritide vrina etiam est alba, cuius ratio non videtur esse alia, quam quòd tum propter obstructionem in renibus, bilis retineatur & non possit cum sero transire, vnde ipsum linquitur album. Accedit auctoritas Galen. multis locis & præcipuè 6. *Epid. comm.* 5. *t.*15. dicentis, vbique flauedinem vrinæ naturalis à permixtione bilis causari. Contrà verò non causari à bile, sed à calore multo, pluribus videtur probari argumentis: 1. si vrina fieret flaua ab admixtâ bile, videtur quòd vrina naturalis non posset esse tam perspicua, sicut est: bilis enim admixta, quæ est opaca, aliquam ei opacitatem communicaret; & videtur quòd non esset coloris spicei, sed crocei seu cum flauedine nigricante; sic enim patet quòd in Ictericis, quorum vrinæ est admixta bilis, ipsa sit obscura & quasi nigricans. Denique ictericorum vrina ex eo, quòd ei bilis sit admixta, inficit lintea colore flauo; quare & vrina sanorum idem facere deberet, si esset flaua ab admixtâ bile; sed hoc non facit. ergo. 2. Si vrina reciperet colorem ab admixtâ bile, sicut in transitu per venas abluerет & hauriret illam bilem ac colorem eius, ita alluendo quoque ad alios humores in venis existentes, deberet etiam aliquid eorum abluere, & sic illorum quoque colorem imbiberet; at hoc non fit; ergo nec colorem bilis haurit. Minor probatur: quia si vrina id faceret potiùs deberet esse rubicunda à sanguine, vel nigra à melancholiâ; quia color ruber & niger sunt magis coloratiui & actiui, quàm flauus: vnde colores illorum humorum deberent extinguere colorem bilis. 3. Si bilis permixta vrinæ ei communicaret suum colorem; sicut communicaret suum colorem, ita etiam communicare deberet suum saporem, & sic vrina esset amara, prout ipsa bilis est; sed vrina non est amara, sed salsa.

E. 4. Hippoc. *lib. de aëre, aquâ & locis* dicit vrinas euadere albas, cum aluus est adstricta; at si fieret flaua à bile, deberet aluo adstricta magis esse flaua; quia aluo adstricta retinetur bilis, quæ retenta & per aluum non euacuata debet magis in venis redundare, & consequenter vrinæ permisceri, & sic eam reddere flauiorem, sicut in Ictero est manifestum. S. vtentes temperato & maximè euchymo victu deberent vrinam habere potiùs albam quam flauam; ratio est, quia in talibus totus cibus conuertitur in optimum alimentum, & sic bilis parum in eis generatur; & sic parum bilis in eis vrinæ admiscetur, & sic eorum vrina deberet quam minimè esse flaua; at contrà fit, nam talium vrina est adhuc flaua; ergo non est flaua à bile admixtâ, sed ab actione caloris. 6. in abundantibus bile porraceâ deberent vrinæ etiam porraceæ & nigricantes esse; quia bilis vrinæ permixta deberet eam inficere eodem colore, quo ipsa prædita est; at in talibus vrina est adhuc flaua; ergo illam flauedinem non habet à bile, sed aliunde & consequenter à temperamento. 7. Si vrina fieret flaua à bile, & non ab actione caloris coquentis; quando quis commisisset errorem in victu, & corpus multis cibis ac potu ingurgitasset, quos calor digerere non posset, & inde cruditas multa in stomacho esse oporteret, vrinæ propterea non deberent esse albæ & crudæ, sed deberent æquè semper reseruare suam flauedinem; at hoc non fit, sed in tali cruditate euadunt albæ; ergo flauedinem suam non habent à bile, sed à calore coquente. Sequela maioris propos. prob. quia etiamsi cruditas esset in stomacho, tamen propterea in venis non desineret eadem esse copia bilis, quæ fuit ante; & consequenter non desineret eodem modo ab vrinâ ablui, & ei permisceri sicut ante; & vlteriùs consequenter non obstante illâ stomachi cruditate, deberet æquè bene vrina esse flaua. Nec valet diceret ideo esse albam quia in illâ cruditate est generata pituita & parum bilis; quia etsi non tingatur à bile, quæ tum durante illâ cruditate fuit producta, deberet tamen tingi à bile, quæ præterito tempore, & ex ante fuit genita. 8. Si vrina fieret colorata ab humore admixto, pro ratione & diuersitate coloris sanguinis in variis hominibus, vrinæ color deberet etiam permutari; quia etsi homines sæpe inter se differant diuersitate coloris sanguinis, habent tamen nihilominus vrinam eiusdem coloris. v.g. videmus sæpe humores peccantes in morbis esse putridos corruptósque, & tamen vrinam esse spiceam & naturalem, vt patet sæpe in principiis morborum & in peste: ergo vrina non coloratur ab humore admixto; quia sicut illi sunt putridi facti in substantiâ ita quoque mutati sunt in qualitate & colore; quare eundem colorem deberent vrinæ communicare. Pro resolutione dico, communem esse sententiam vrinam naturalem recipere suum colorem ab admixtione bilis, quam natura vnà cum vrinâ, tanquam ei congenitum & substantiæ tenuitate similem, expellit versus vias vrinarias: Hæc sententia est Galeni & omnium Medicorum. Quod si vrinæ intensionem acquirat colorem in febribus, in in-

flammatio

flammationibus aliúsque morbis, id dicunt fieri non ab intensiore calore per se, sed quòd ille intensus calor plus generet bilis vel magis adurat eam; vnde ipsa copiosior & adustior vrinæ permixta eius colorẽ facit intentiorẽ: & si fiat albior naturali, id fieri dicũt, nõ quia calor sit imbecillus per se, sed quòd minùs bilis generet, quæ vrinam tingat. Hæc sententia probatur præcipuè euidẽtibus experientiis; quia sc. in phrenitide sæpe, in nephritide sæpissimè vrina est alba; in phrenitide id fieri non potest, nisi quia bilis sursum ascendit, vnde vrina inferiùs manet alba: nam quâ ratione posset alioqui esse alba, cùm in phrenitide calor sit intensus, à quo si vrina tingeretur, deberet esse magis colorata: in nephritide etiam nulla videtur esse alia ratio, cur sit alba, nisi quia in eâ est obstructio, propter quam bilis non excernatur cum vrinâ. Verùm ego eo non obstante puto, naturalem vrinam non à bile sed à calore concoquente; non nego quin bilis bene tingat vrinam flauedine, sed hoc non fit in vrinâ naturali; & tum calor ille non est flauus, sed croceus & fuscus; & sicut vrina participat colorem à bile, ita quoque saporem, & tunc vrina simul est amara, quod non est in vrinâ naturali; & tunc illa flauedo tingit res omnes, chartas, lintea, & antea quibus illinatur, non aliter quàm si croco essent infecta; taliter autem tingit flauedo vrinæ naturalis, & quando vrina est infecta bile, simul quoque est spissa, crassa, turbida; naturalis verò vrina est tenuis, splendida & perspicua; quod indicium est eius flauedinem esse à calore & non ab humore admixto. Hanc meam opinionem argumenta superiùs allata meo iudicio efficacissimè demonstrant. Quod ad argumenta à nephritide & phrenitide desumpta & in contrarium allata, ea inferiùs examinabuntur. Dico ergo calorem & per se & immediatè ac vt causam synecticam vrinam tingere, tum etiam mediatè & per accidens, mediantibus sc. humoribus, quos generat. Sic calor debilis per se albam facit vrinam, & etiam per accidens, multiplicando pituitam, quæ vrinæ permiscetur: calor intensus flauam & rubram facit vrinam, & per se seu suâ propriâ coctione ac alteratione, & & per accidens generando plus bilis.

Not. autem calorem per se posse omnes vrinæ colores producere vsq; ad rubedinem inclusiuè; colores verò qui vltra rubedinem sunt, non potest per se suâ immediatâ actione producere, sed solùm mediantibus humoribus; & tum admixtio humorum est causa proxima & synectica eorũ, & ideo omnes colores, qui sunt supra rubrum, sunt semper coniũcti cum crassitie substantiæ, eò quòd illi fiant ab admixtione humorum, quæ necessariò debet vrinam reddere crassam; colores verò qui sunt infra rubrum, possunt causari à solâ actione caloris; illa autem actio non potest vrinam vltra modum reddere crassam, sed solùm mediocrem, tenuem & claram. Itaque per hoc dignosci potest, an vrinæ colores sint causati à solâ operatione caloris, an ab admixtione humorum, quia si fiunt à solâ operatione caloris, sunt cum tenuitate & splendore coniuncti; qui verò ab admixtione humorum, cum crassitie & turbiditate; vnde si vrina

est

est alba à debilitate caloris erit quoque tenuis & clara & habebit albedinem sicut aqua; si verò ab admixtâ pituitâ, erit alba sicut lac, id est crassa & opaca; si est rubra aut flaua ab intensione caloris, erit sicut color vini Hispanici perspicui, seu instar vini rubri dilutioris; si ab admixtione vstorum humorum, erit sicut crassum & obscurum mulsum.

Albæ vrinæ variæ sunt differentiæ: nam alia est crystallina, aquea, lactea, glauca, charopa. Crystallina est alba cum insigni splendore sicut crystallus; aquea est instar aquæ; & illæ sunt albæ priuatiuè, id est, priuatione coloris. Lactea est, quæ est alba cum crassitie sicut lac; & est alba positiuè. Glauca est sicut cornu lanternæ. Charopa est, quæ habet colorem cinereum. Ego pono duas species; vnam, quæ est alba priuatione coloris, quæ dicitur aquea, quæ aliquando magis aliquando minùs splendet; aliam lacteam quæ est alba albedine positiuâ; & hæc est interdum magis interdum minus alba; minùs alba est sicut serum lactis parum turbidum, magis alba est sicut lac adaquatum. Causæ albedinis synecticæ sunt tantùm duæ; nam cùm dixerimus in generali omnium vrinæ differentiarum, non esse nisi duas causas synecticas, sequitur differentiarum, quæ desumuntur à colore, non posse etiam esse nisi duas, temperamentum sc. & humorem absentem vel præsentem: Quoad temperamentum: albæ vrinæ causæ est calor debilis, & consequenter diminuta coctio & cruditas; nam cùm calor est talis, materia potulenta, cuius natura est aquea, non est à calore multùm alterata; & ideò non est multum in colore mutata, sed manet in naturâ & colore aquæ, sc. albo. Illa autem mala coctio & calor debilis fit dupliciter: nam vel est debilis simpliciter vel respectiuè: simpliciter debilis est, quando reuerâ secundum suam essentiam est diminutus: respectiuè debilis est, quando non est secundum substantiam diminutus, sed solùm est debilis respectu alimenti, quod vel est nimis crudum suâ naturâ & inalterabile, vel nimis copiosum, vel non satis hæret ac retinetur, sed dimittitur ac prolabitur, priusquam alterationem perfectam sit perpessum; & tunc concoctio mala non fit vitio caloris, sed vitio obiecti sc. alimenti; & ita etsi calor maneat vegetus, vti prius erat, si æger biberit vel aquam crudam & inconcoctam, vel sumpserit cibum vel potum vltra mediocritatem, vel biberit potum diureticum vt aquas thermales, vel subsit vitium aliquod seu stomachi non retinentis, seu renum nimis trahentium, seu adsit diabetes, vrina erit cruda, inconcocta & alba, & in tali casu non arguitur debilitas caloris simpliciter, sed vitium alimenti tantùm, respectu cuius calor est debilis. Calor fit simpliciter debilis, vel quia est à frigido, aut prægressis morbis diminutus, vel quia à calore nimio præter naturalem, vt in febribus vel abundantiâ humorum malignorum oppressus & suffocatus. Hâc ratione contingit in principiis febrium vrinas esse crudas. In his casibus vrina est alba & simul tenuis; nam calor non incrassat, & nulli humores sunt admixti.

2. Causa, vt dixi, sunt humores ; illi vrinam faciunt albam dupliciter: vel quia non est ei admixta bilis, vel quia est admixta pituita, vel aliquod aliud contentum album, vt pus, sanies, lac, semen. Sic legimus apud Auctores lac aliquando cum vrinâ emissum esse. Pus vrinæ admiscetur vel cùm aliqui sunt abscessus in internis partibus, vt renibus, vesicâ, hepate, liene, pulmone; legimus enim sæpe abscessus thoracis cum vrina esse excretos, & expurgatos. Semen verò admiscetur in Gonorrhæâ. Humor pituitosus admiscetur vrinæ, vel quia nouiter est generatus; generatur autẽ indies vel vitio regulę viuẽdi, vel debilitate caloris, vel quia ante genitus fuit & sic in venis abũdat, vel quia in aliquibus viis vrinariis fortuitò tantùm hæret; è quibus casu à naturâ expellitur : & hoc modo vrina potest esse alba ab admixtâ pituitâ etiam illo tempore, quo iam optimè fit concoctio, & calor non tantùm non est debilis, sed etiam intensus : cùm ab hâc causâ nempe admixtione humoris vrina euadit alba, tum etiam necessariò est crassa & turbida ac obscura: nam omnis substantia crassa & viscida vrinæ permixta necessariò debet eam quoque reddere crassam & turbidam. Dicunt aliqui absentiam bilis vrinam facere albam ; & hoc dicentes supponunt flauum & naturalem vrinæ colorem ab admixtâ bile causari, quod quàm verum sit ante diximus. Bilem verò vrinæ non admisceri contingit secundum eos tribus modis : vel quia à felliculo fellis nequit venire ad venas & vesicam propter obstructionem eius; vnde contingere asserunt in Ictero vrinam aliquando esse albam : vel quia aliò diuertit vt in phrenitide, in quâ petit partes superiores & deserit infernas ; vnde in phrenitide etiam aliquando est alba : vel propter obstructionem aliquarum partium per quas vrina transit, sc. hepatis, vesicæ, ac præcipuè renum, quat. propter obstructionem nihil potest effluere, nisi quod est summè tenue ; & sic bilis, quæ est crassiuscula, retinetur, & vrina remanet alba : hâc ratione fieri asserunt, quòd in nephritide vrina mingatur alba, sicque vnam causarum albedinem vrinæ facientium ponunt obstructionem. Verùm etsi hæc sit communis doctrina, tamen persuaderi non possum, vt credam absentiam bilis esse causam vrinæ albæ : nam vrina, vt supra est probatum, non acquirit flauedinem suam à bile, sed à calore ; ergo quam diu non mutatur aut læditur calor, non potest vrina perdere suum colorem : nam si bilis præsentia non dat ei colorem, ergo eius absentia etiam ei non adimit colorem, modò causa eius propria & synectica maneat eadem : quando enim causa proxima & per se permanet, effectum etiam permanere est necessum : vnde etsi omnis bilis ponatur ab vrinâ abesse, nihilominus tamen debebit vrina esse intrinsecè flaua à solâ operatione caloris; vnde si in phrenitide ac in Ictero vrina aliquando est alba, non est alba ratione phrenitidis aut Icteri, sed ratione cruditatis aut debilitatis stomachi : nam si esset alba ratione illorum morborum, deberet semper in illis esse alba ; at contra in phrenitide plerumque est tincta ; adsunt enim magna inflammatio, calor & febris, quarum

ratione

ratione necessum est vrinam valde esse tinctam. In Ictero porrò vrina ferè semper est crocea, fusca, imò ad nigredinem tendens præ nimiâ flauedinis intentione, & memini me omni vitâ meâ semper tales vidisse clericorum vrinas, nunquam verò albas. Dicunt aliqui, tunc tantùm in Phrenitide vrinam esse albam, cùm vniuersa bilis ad caput ascenderit. Sed est ridiculum credere vniuersam bilem posse à sanguine & venis secerni & sursum ad caput ferri: non ergo bilis ita separatur à sanguine & sursum ascendit, sed cum Phrenitis fit, fit tantùm à sanguine bilioso è venis capitis in menyngis & cerebri substantiam elapso: qualis autem est sanguis circa caput, talem etiam esse & in toto verisimile est; quare tum maximè bilioſum esse est necessarium: si ergo & in toto tum biliosus est, ergo & vrinam tum maximè tingere debebit; & sic non est ratio, cur vrina in phrenitide sit alba, quantum sc. est ex parte phrenitidis, sed hoc aliquando contingit ratione cruditatis & debilitatis stomachi, quæ tum phrenitidi potest esse conjuncta. Sed neque etiam potest dici obstructionem in ductibus vrinæ eam reddere albam, quat. sc. propter obstructionem bilis retineatur; in pluribus enim obstructionibus vrina non est alba, imò in obstructionibus hepatis & venarum vrina è contra videtur valde tincta: quòd porrò in obstructione renum à calculo non ideò sit alba, quòd bilis ibi retineatur, probatur: quia bilis permiscetur vrinæ ante aduentum ejus ad renes, sc. in venis &c. ergo; primùm vt est ei mixta, mox colorem suum ei impertit, vnde etsi bilis retineretur propter renum obstructionem, adhuc tamen vrina propterea non esset alba, quia colorem, quo prius est imbuta, non deponet; color enim cùm sit accidens nec locum occupet, non potest per obstructionem excludi; postquam enim semel bilis vrinæ fuerit permixta, color ejus ita est vrinæ communicatus & intrinsecatus, vt etiamsi bilis tota ab ea secerneretur, color tamen in vrinâ remaneret, sic si quis crocum in aquam projiceret, & illam posteà per subtile cribum colaret, crocus quidem retineretur à cribro, aqua tamen, quæ transflueret, non ita fieret alba, sed remaneret colorata: sed nec etiam bilis propter obstructionem retineri potest; etenim bilis est substantiæ tenuissimæ; quare vel ipsa tota vel saltem aliqua portio ejus etiam poterit per obstructos renes transmitti. *Probatur*: nam si vrina naturalis secundum alios tingeretur flauedine ab admixtâ bile, vtique illud bilis quod eam tingit perparum esse deberet; nam cùm vrina naturalis sit tenuis & valde clara, necessum est bilem, quæ ei est admixta, esse pauciſſimam; nam alioqui esset turbida & crassa; si ergo quàm minimum bilis eam tingere posset, quomodo in obstructione illud minimum, quod non est glutinosum neque adhærens, cum vrinâ dissolutum non transflueret, vt vrinam valeat colorare? itaque iudico in illis affectibus vrinam non esse albam ob absentiam bilis, sed quia contingere potest, vt in illis & cruditas & stomachi debilitas adsit, quæ vrinam reddunt albam & crudam; & ideò in illis morbis non semper sed aliquando tantùm vrina est alba. Quòd au-

tem in nephritide sæpissimè est alba, ratio est, quia in eâ stomachus semper in consensum trahitur & debilitatur, vt quotidiana docet experientia; nam nephritici semper habent stomachum debilem, & multum vomunt, nihil retinent, & vomunt semper multam pituitam instar albuminis oui; quod signum est eorum stomachum esse debilem & adesse semper cruditatem, à quibus mirum non est vrinam crudam albamque reddi. Vnde concludo, non esse in nephritide vrinam albam propter obstructionem & absentiam bilis, sed propter stomachi cruditatem. Cognitis itaque causis facilè nunc intelligitur, quid vrina alba indicet: Dico itaque indicare duo primariè & per se, sc. aut facultatis caloris, coctionisque imbecillitatem, aut alicuius humoris albi admixtionem, addite etiam, si libet, secundum opinionem communem, vel obstructionem, vel bilis sursum ascensum. Si vrina est alba cum tenuitate habens colorem aqueum, tunc si simul est parùm turbida & expers splendoris, si simul redditur pauca & cum difficultate, indicat obstructionem, & præcipuè renum à calculo, maximè si alia adhuc simul signa calculi renum adsint: nam colatura facit quidem tenuem, sed non dat splendorem, sed quandam obscuritatem, quam contrahit ab humoribus obstruentibus; si non alia adsint signa calculi, sed vrina sit tenuis cum aliquâ perspicuitate & splendore sicut vinum Rhenanum splendens, tum indicat primò & per se in hepate malam concoctionem & cruditatem; splendor enim ille est argumentum, calorem in vrinam exisse; & quòd ipsa sit alba indicat ipsum eam parùm alterasse: prout ergo splendor est major & calor intensior, indicat concoctionem meliorem. Verùm quia mala concoctio potest fieri vel vitio caloris seu agentis vel vitio objecti seu alimenti, ideò talis vrina non necessariò indicat debilitatem caloris, sed potest etiam indicare errorem ex parte objecti; si ergo alicui, cui vrina semper solet esse laudabilis & colorata extra ordinem fiat alba & tenuis, nec alia signa adsint essentialis stomachi debilitatis, & præcesserit crapula, vel comestio ciborum crudorum, vel potatio aquæ crudæ seu thermalis, tunc indicat quandam malam concoctionem seu cruditatem, sed quæ non sit orta vitio facultatis aut caloris naturalis, sed objecti seu alimenti. Si non præcesserit error in victu, tunc vel stomachi vel hepatis, caloriſque natiui debilitatem arguit; & si diu talis permanet, vel cachexiam, vel hydropem minatur. Quia autem calor potest debilitari à variis causis, ideò talis vrina consecutiuè causas illas indicare quoque potest, à quibus calor natiuus sic potuit debilitari: si in principiis febrium talis apparet, indicat natiuum calorem à febribi opprimi, sed non est tamen tunc adhuc valde mala: si in augmento tunc indicat calorem natiuum necdum aggressum esse humoris morbifici coctionem; & tunc est mala, quia tunc non deberet esse alba & tenuis, sed crassa, quia tunc deberet illius pars aliqua cum vrinâ excerni, à quâ ipsa deberet fieri crassa & turbida: si talis apparet post inediam, magnas vigilias, curas, resolutum esse ab

eis calorem natiuum indicat. Si vrina est alba crassa & obscura, primò & per se significat ei admixtam esse materiam albam, vt pituitam, semen, pus, &c. Si ergo æger laborat Gonorrhæâ indicat admixtionem seminis; si simul est fœtida, pus indicatur; aut si aliter cognoscitur pus esse id, quòd est in vrinâ; tunc si pus est exiguum & minùs exactè vrinæ permixtum, sic vt statim in vrinâ subsidat & fundum petat, indicat vlcus esse in renibus & vesicâ, maximè si alia quoque eius signa concurrant, vt si dolor in eorum regione percipiatur, aut præcesserit sanguinis mictio, aut calculus adsit. Si non est in illis partibus vlcus, & pus sit copiosum & magis exactè vrinæ permixtum, indicat alicubi abscessum, seu in renibus, liene, hepate, mesenterio vel pulmone; ab omnibus enim illis partibus potest pus ad vrinam vergere; & hoc maximè indicat, si aliæ quoque phlegmones in aliquibus partibus prægressæ signa apparuerint, & tempus ferè sit, quo illa suppuratio debeat esse absoluta. Si vrina est alba & crassa ab admixtâ pituitâ, poterit indicare cruditatem & malam concoctionem, & debilem calorem, & multam generari pituitam quæ vrinæ permisceatur; magis hoc indicabit, si circa stomachum dolor aliquis sentiatur, & alia cruditatis signa adsint; verùm etsi talis vrina indicet cruditatem, non tamen indicat tantam, quantam tenuis & alba; nam tenuis & alba indicat cruditatem omnimodam, & vrinam vi quadam esse alteratam, & ne quidem eò vsque concoctionem procedere, vt ad multam pituitosi humoris generationem perueniatur. Alba autem & crassa indicat saltem concoctionem fieri, & humores generari, sed multos tamen præter solitum pituitosos. Ex quo patet cruditatem ab vtraque vrinâ sc. albâ, tenui ac perspicuâ, & etiam albâ & crassâ indicari; sed maiorem & certiùs ab illa, minorem & incertiùs, quia vrina alba & crassa potest multa alia indicare præter cruditatem; alba verò & tenuis non ita: alba ergo & crassæ, potest indicare cruditatẽ & debilẽ calorem, sed non necessariò; nam potest etiam indicare alias causas admixtionis pituitæ, vel indicat sanguinem venarum multùm esse pituitosum, vel pituitam à capite vel aliis partibus casualiter excerni, vel obstructiones aliquas antiquas à pituitoso humore factas solui, vel plurimam pituitam in vesica congregari, quæ cum vrina expellitur. Quia porrò aliqui dicunt albam vrinam aliquando causari propter absentiam bilis, quod supra negatum est; ideò secundum eos vrina alba & tenuis illam bilis absentiam indicare potest; & sic si in phrenitide talis appareat secundum eorum doctrinam, indicabit bilem supernas partes petere, & tunc erit malum signum; si non adsit phrenitis, nec vrina talis euadit à cruditate & diu talis perseuerat, erit signum obstructionis felliculi fellis.

Sub vrinâ flauâ comprehendo omnes colores, qui supra album sunt vsque ad rubedinem, qui omnes flaui quidem sunt, differunt tamen secundum magis & minùs: sub hâc enim differentiâ comprehendo pallidam, spiceam, auream, rufam, croceam, fuscam. Pallida est, quæ incipit ex albedine emergere ad flauedinem, adeò vt magis flaua quàm alba

dici possit: spicea est quæ iam est verè flaua, nec quicquam ampliùs albedinis habet, & habet colorem instar straminis, vnde & spicea dicitur, talis flauedo autem adhuc est diluta: aurea est quæ habet flauedinem perfectam sicut optimum aurum, & talis propriè vocatur flaua. Rufa in idem incidit, sed habet potiùs flauedinem quandam obscuram: Crocea est, quæ habet flauedinem valde intensam nigricantem cum obscuritate, quæ non est flauedo aurea aut splendens, sed obscura, qualis esset si aqua tingeretur maximâ croci quantitate. Vrina fusca est, quæ incepit à flauedine ad rubedinem declinare, sic vt nescias an flauam rubrámne dicas; talis est vini Hispanici fusci ac intensè colorati, & sicut rubra cereuisia bene defœcata. Hi colores habent magis & minus; & sic aliqui vocantur subspices, subaurei, subfusci, &c. Vrina hominis sani est perspicua vel flaua propriè dicta, id est, aurea: sed quia sanitas habet latitudinem, ideò hominis optimè sani & optimum habentis temperamentum ac in iuuenili ætate constituti vrina est perspicua, clara, & flaua; sed sub ætate virili vrina est aurea: in pueris, mulieribus, senibus, complexione pituitosâ præditis vrina est spicea vel subaurea. Causæ vrinæ flauæ sunt etiam duæ: calor, temperamentum, concoctio vel admixtus humor. Eam tingentia vel sunt externa vel interna. Externa sunt Rhabarbarum, crocus, myrrha, glycirryta, radix alcannæ, cassia; quando enim talia pridie sunt assumpta, vrina redditur præter ordinem flaua. Internæ sunt humores; illi autem sunt vel bilis flaua, vel adusta, pro quâ diuersitate etiam vrinæ colores variantur. Spicea, aurea, flaua causantur à solo calore vrinam concoquente; & ideò tales vrinæ specie sunt tenues tenuitate mediocri, id est, non crassæ aut turbatæ, sed cum perspicuitate fuscâ: vel à solo calore febrili, vel etiam interdum ab admixtis humoribus biliosis. Crocea solùm fit ab admixto humore bilioso; & ideò talis semper est crassa & obscura sicut vrina Ictericorum. Bilis admiscetur vrinæ vel in Ictero, & ideò Ictericorum vrinæ sunt valde croceæ; vel in declinationibus morborum biliosorum, vt febrium continuarum & inflammationum, in quibus biliosus humor criticè vrinæ permiscetur & cum eâ expellitur agente naturâ. Croceæ vrinæ videntur ferè esse nigricantes, sed in circulo ac coronâ insignis illa flauedo maximè relucet. Vrina fusca causatur vel ab admixtis humoribus biliosis adustis, qui à naturâ expelluntur, vel à calore febrili in corpore agitantur, vel à solo febrili calore nimis aucto, vt dixi: si ab admixtis humoribus, tunc simul est crassa & obscura, non aliter, quàm si fuliginis aliquid in eâ esset dissolutum: si à solo calore febrili nimis aucto talis euaserit, tunc est splendens & ignea cum perspicuitate & minimè crassa. Vrina itaque spicea, flaua, perspicua splendens indicat bonitatem caloris natiui, bonam coctionem & sanitatem. Flauo cum obscuritate, præcipuè si sit tinctiua flauedo, significat humorem biliosum à naturâ expelli, & sic indicat vel multitudinem eius & abundantiam in corpore naturam ad expulsionem irritantem, vel febrium biliosarum

sarum declinationem, in quâ bilis criticè expellitur; vel bilem in corpore agitari & turgere, vel Ictcrum adesse, vel mox futurum esse, vel si nihil istorum fiat, si alia signa non correspondeant, saltem bilem casualiter à naturâ expelli. Rubræ vrinæ etiam duæ sunt causæ; vel calor excedens vel sanguis admixtus; etenim præ nimio calore in febribus vrinæ aliquando sunt ita rubræ, vt æquirant, ferè colorem sanguinis; tales sunt perspicuæ & claræ; nam si non essent claræ, non haberent tantam rubedinem. Aliæ sunt rubræ à sanguine admixto: etsi autem vrinæ, quæ rubræ sunt ab excedente calore, sunt valde rubræ, est tamen alia rubedo quàm sit sanguinea, & quisque poterit facilè dignoscere visu, an sit rubedo ab admixto sanguine nec ne: nam quæ est à calore, est rubedo perspicua, & splendens cum quadam fuscitudine coniuncta: at rubedo à sanguine est cum opacitate & crassitie & sine splendore, estque rubedo absoluta. Est & alia distinctio: quia rubra à calore, etsi aliquo tempore sit quieta, tamen manet & in partibus supernis & infernis æquè rubra; quæ verò rubra est, à sanguine admixto, si aliquantum temporis succedat, euadit dilucidioris coloris in parte supernâ, intensioris verò in infernis, eò quòd in illa rubrâ substantia sanguinis subsidat & fundum petat; in rubrâ verò à calore nihil est quod possit subsidere. Hæc rubedo à sanguine dicitur sanguinea: sanguinea ergo rubedo est à sanguine admixto: talis sanguinea vrina est dilutissima rubra, ac si magnæ aquarum quantitati aliquot guttæ sanguinæ admiscerentur; alia est manifestissima rubra, & manifestum sanguinis colorem repræsentans, & talis dicitur cruenta. Sanguis admiscetur vrinæ vel propter debilitatem facultatis retentricis, vel debilitatem serium à sanguine separantis, vel debilitatem renum, vel anastomosim venarum; vel si est planè rubra, ab vlcere vulnere aut rupturâ, quæ facta sunt à præuio nimio motu, vel casu, vel calculo vel magno renum calore sanguinem attenuante & fundente. Vrina rubra, quæ non est sanguinea, indicat febrim & excessum caloris. Sanguinea per se non indicat super temperamentum ac bonam malámve coctionem, sed primò & per se indicat admixtum sanguinem & consecutiuè omnes causas, ob quas talis sanguis potest esse permictus. Si vrina est subrubra & diluti coloris, indicat debilitatem renum & imbecillitatem retentricis seu separatricis: potest etiam indicare malam sanguificationem factam, adeóque sanguinem esse valde serosum. Si est cruenta vel indicat casum aut rupturam à nimio motu, vel vulnus, vel vlcus, vel calculum, qui asperitate suâ venas atterit & sanguinem exire facit, vel magnam laxitatem venarum ad renes tendentium, vel sanguinis acrimoniam, quæ venas exedat. Notand. quòd admixtus vrinæ sanguis non semper faciat vrinam rubram & cruentam, sed aliquando facit ipsam nigram, sicut est fuligo camini; & hoc est quando sanguis vrinæ permixtus diu hæsit extra venas & computruit, tunc enim redditur niger.

Sub nigrâ vrinâ comprehendo reliquos colores, viridem, liuidum, &c. hæc vrina causatur tantùm ab vnâ causâ synecticâ, nempe admixtione humoris;

humoris; temperamentum aut color per se sola tales vrinas causare non possunt, & idcò tales vrinæ etiam nunquam sunt perspicuæ, sed semper crassæ, turbatæ, obscuræ; quia sc. tales fiunt ab humoribus crassis ac nigricantibus admixtis, qui vt crassam ita & obscuram necessariò reddunt vrinam. Aliqui dicunt vrinam posse euadere nigram sine admixtione humoris nigri per solam caloris natiui extinctionem; nam sicut externa membra à frigore, & reliqua omnia à gangrænâ liuida & nigra euadunt, eò quod spiritus & calor qui partibus illis splendorem tribuunt, extinguantur, ita putant fieri, vt etiam vrina euadat nigra per solam spirituum ac caloris natiui extinctionem. Verùm ita mihi non videtur; nam quæ extra corpus nigrescunt non possunt nigrescere nisi à summo frigore; quare etiam vrina non possit nigrescere nisi à summo & actuali frigore; at in homine viuente non potest dari illud summum & actuale frigus; quare nec vrina in ipso nigro esse potest. 2. quia in ipsis mortuis vrina, quæ in vesicâ remansit, non est nigra; in eis tamen & spiritus omninò sunt extincti. 3. quia quæ sunt euaporabilia, quando à frigore condensantur, non fiunt nigra sed alba, vt patet in aquâ; cùm ergo vrina aquea & euaporabilis, potiùs à nimio frigore deberet fieri alba. 4. quia nunquam videmus vrinam, quæ à frigore extra corpus est incrassata, aut tam diu stetit, donec omnis calor & spiritus exhalauerint, videmus nigram euadere. Aliqui contra putant vrinam posse nigram euadere à solo caloris excessu vrinam comburente; sicut carbones & pix fiunt nigra à summâ vstione: Verùm hoc etiam est falsum; nam quando calor denigrat tantùm facit id in iis, in quibus omne humidum exiccatur, vt in carbonibus; aqua autem & humida nunquam sic denigrat: cùm ergo vrina sit tota aquea, & calor in corpore viuente nunquam sit tantus, vt posset carbonisare, non potest dici vrinam ab eo fieri nigram: adde quòd sic in omnibus febribus ardentibus vrina deberet euadere nigra, quod tamen est falsum. Quapropter concludere possumus semper vrinæ nigredinem fieri ab admixtione materiæ alicuius tingentis; quod admixtum vrinæ eam nigram facit, vel sunt externa assumpta vel interni humores: externa, quia si niger aliquis potus assumeretur posset vrina exinde euadere nigra: sic scribit Mercurialis se esse expertum, quòd cum clysteres ex solâ sapâ ægris præscripsisset, vrinas exinde nigras factas fuisse; sic scribunt Auicennas & Rhases, si quis oblinat corpus fructu Alcannæ, id est, ligustri albi, quod flores & fructus nigros fert, vrinas reddi nigras. Interni humores nigram facientes vrinam sunt varij: quia autem sub vrinâ nigrâ, vt supra, etiam viridem comprehendimus; dico, quòd viridis vrina, quæ habet viriditatem nigricantem & obscuram, contingat ab admixtâ bile porracea, Isatode & æruginosa; tales enim vrinæ admixtæ faciunt eam crassam, viridem, & nigricantem; dico viridem nigram, quia aliquando vrina alba seu aquea & cruda videtur aliquid habere viriditatis, sicut vinum Rhenanum, sed de tali viriditate hic non loquimur; nam illa est viriditas aquea, & continetur

non

non sub colore nigro, sed albo & aqueo, nos verò hîc loquimur de vrinâ crassâ nigricante, quæ in circumferentiâ sui seu coronâ ostendat viriditatem, quæ est sicut ius caulium rubrorum. Humores qui liuidam & nigram faciunt vrinam, sunt sanguis, melancholia naturalis, & melancholia ac bilis adusta: sanguis qui vrinam nigram facit, est, qui intus diu fuit extrauenatus, & in grumum concretus & incepit putrescere; talis cùm vrinæ admiscetur, reddit eam nigram; nam alioqui sanguis qui recens est, & adhuc liquidus, facit rubram. Melancholia naturalis aliquando potest vrinæ admisceri, & in iis qui valde melancholicum sanguinem habent, aut laborant obstructione lienis, propter quam contingit Melancholicam non recipi in lienem, sed ad renes regurgitare, & cum vrinâ expelli; sicut contingit in æquato nigro, aut suppressione hæmorrhoidum, aut in habentibus lienem tumidum ac plenum melancholiâ; vel etiam in declinationibus quartanarum, quando natura causam morbificam, id est, melancholicum humorem expellit; in iis enim contingit & alui fæces & vrinas aliquando nigras euadere. Adusti humores & flaua bilis superassata, & adusta ac nigra miscentur vrinæ in acutis & ardentibus febribus, carbunculis, &c. Vrinæ omnes virides, liuidæ, nigræ sunt suspectæ & rarò bonæ. Dico, *rarò*, quia aliquando possunt esse bonæ, vt in declinationibus quartanarum, quando natura causam morbificam criticè expellit, & sic in declinationibus talibus vrinæ nigræ sunt morbi solutio: aliàs vrina nigra malum significat; nam si est nigra à sanguine admixto, vt post ictum, casum ex alto, &c. indicat internam læsionem, sanguinem intus collectum esse & putrescere, quod est malum; periculum enim adfert inflammationis, abscessus, vlceris, febris, & mortis; non est tamen talis vrina necessariò lætalis, vt aliqui scribunt: si est nigra ab admixtione melancholiæ naturalis, si talis est in declinatione febrium quartanarum, mala non est, sed si est nigra ab admixtâ bile adustâ aut atra, & ab intenso calore; vt si talis appareat in febribus acutis, in carbunculo, in causo, febribus pestilentialibus, tunc est signum lætale; indicat enim immensum calorem febrilem, & nullam fieri coctionem; sed naturam à causâ morbificâ superari, & tum præcipuè pessima est, si nigra facta est per commutationem ex rubrâ & viridi; quia tunc certò talis maximum incendium significat. Vrina viridis etiam est mala, sicut nigra, indicat enim etiam incendium magnum, acutam febrem, & abundare in corpore; morbiqúe causam esse bilem æruginosam, porraceam & Isatodem, quæ pessimæ humorum species sunt.

§. IV.

De differentiis vrinarum ab odore.

Sumptâ ab odoribus differentiâ, vrina interdum est inodora, interdum

dum fœtida, interd im odorata, id eſt, hab ns b num odorem, ſuauiorem ſaltem odorem, quàm vrina ordinaria aut hominis ſani: alia eſt odorata odore naturali vrinæ; talis enim odor etſi non ſit bonus, non eſt tamen ingratus aut fœtidus. Vrinæ inodoræ cauſa eſt caloris natiui imbecillitas & mala concoctio, quæ cùm non perfectè concoquit vrinam, non dat etiam ei eam qualitatem, quæ ſequitur eſſentiam & perfectionem naturalem eius, ſed relinquat eam in ſuo eſſe aquæ, quæ caret omni odore, & tunc vrina non tantùm eſt inodora, ſed etiam ſine colore ob eandem cauſam. Odorata vrina fit vel ab externis aſſumptis vel à principio interno ab externis, quia experientia docet, quòd ſi therebinthina aſſumatur, vrina ab eâ reddatur odorata odore violæ. Quæ eſt odorata odore naturali vrinæ, cauſatur à bonâ ſanitate, calore natiuo vegeto & faciente optimam concoctionem ac ſanguinem, & à ſanguine non habente in ſe prauos corruptos ac putridos humores. Fœtidæ vrinæ eſt vna tantùm cauſa ſynectica, ſc. materia fœtida admixta, quæ fit vel ab externis cauſis vel humoribus internis. Dico, tantùm eſſe vnam cauſam ſynecticam eius; nam calor ſiue excedens ſiue deficiens per ſe & vt cauſa ſynectica non facit vrinam fœtidam, ſed tantùm quat. quaquâ ratione cauſa eſſe poteſt, vt vel fœtidi humores in corpore generentur, vel vrinæ miſceantur. Eſt tamen inter fœtidas vrinas diſtinguendum: nam aliæ ſunt verè & multùm fœtidæ, aliæ ſolùm malè olentes. Verè fœtidæ tantùm fiunt ab admixtis fœtidis humoribus; malè verò olentes poſſunt etiam fieri vitio caloris; & tum meo iudicio magis fiunt à calore excedente. Aliqui dicunt poſſe etiam fieri à calore imbecillo, quat. ſc. ipſe cauſa eſt, vt cruditates generentur, quæ cùm fœteant admixtæ vrinæ reddunt eam malè olentem, ſicut experientia docet, quòd fæces alui, quo magis ſunt cocti, eò minùs fœtent; cùm verò ſunt crudæ & liquidæ fœtent magis. Verùm id mihi non placet; videtur enim mihi oppoſitum in vrinâ contingere, nec puto calorem imbecillum aut humores ſimpliciter crudos (niſi putruerint) fœtidam vrinam facere poſſe; nam vt ſupra diximus & experientia docet, vrina incocta & quæ à debili mutata eſt calore eſt inodora, & infra odorē medium ac naturalem; ergo ab eodē calore non poteſt fieri fœtida. 2. quia humores qui ſunt crudi ſimpliciter, non fœtent; imò etiam ſunt inodori; vt patet in pituitâ albugineâ, quam ſæpe euomunt debilem ventriculum habentes, & in muccis, qui per nares emunguntur, qui quò ſunt liquidiores & crudiores magis ſunt inodori; cùm verò diutiùs retenti & excocti & craſſiores facti fuerint, ſunt fœtentiores. Verùm à calore excedente poteſt vrina fieri malè olens, quod probo: quia quando vrina nimis diu fuit in veſicâ retenta, fit craſſa, & prauum acquirit odorem; hoc autem fit, quia per longam retentionem calor fuit nimis diu in eam operatus, & ſic ratione caloris poteſt vrina eſſe malè olens. At vrina, quæ verè fœtida eſt, non fit niſi ab admixtâ materiâ. Externa aſſumpta, quæ vrinam reddunt fœtentem, ſunt aniſum, allia, aſparagus, &c. Interni humores ſunt pus & putridi

putridi humores: sic in febribus putridis ac pestilentibus, in quibus in venis humores putrescunt, percipiuntur vrinæ esse fœtidæ; sic etiam in vlceribus internis cùm praua sanies vrinæ permiscetur. Sed quæri potest, an semper pus vrinæ permixtum eam debeat semper reddere fœtentem, hoc enim scitu est maximi momenti; nam sæpe vrinæ innatat materia quædam alba, pultacea, de quâ sæpe dubitant Medici, an sit pus, an tantùm pituita: vt autem hoc distinguant, dicunt si vrina fœteat esse pus, si non fœteat, solùm esse pituitam, supponentes omnem vrinam, cui est admixtum pus, necessariò debere fœtere; quòd si verò pus admisceri posset sine eo, quòd vrina fieret fœtida, sequeretur quòd Medici illi in suo iudicio multùm abberrarent. In hâc dubitatione ego dico, pus vrinæ admixtum eam non necessariò reddere fœtidam, sed aliquando solùm grauiùs olentem; nam si pus est bene coctum album & æquale, & proueniens à partibus sanguineis sine ipsarum corruptelâ, tum vrina non fœtebit, etenim experientia docet pus optimum ab vlcere exiens atque apostematibus suppuratis erumpens non notabiliter fœtere; quomodo ergo fœtebit vrinæ permixtum: proinde dico, si pus prodeat ab hepate, thorace, abscessibus suppuratis, à renibus, non necessariò fœtere; facit quidem ipsum in vrinâ odorem fortem, sed non valde fœtidum: accedit, quòd si quantitas puris est parua, non necessariò debet vrinam reddere fœtentem, quia multa aquositas permixta fœtorem delet; sic res fœtentes aquæ impositæ fœtorem perdunt: sic in putridis febribus rarò vrina fœtet, etsi aliquid putridi humoris ei sit admixtum. Sed pus procedens à vesicâ, fœtidum est & valde fœtentem reddit vrinam, & per hoc dignoscitur, an pus in vrinâ existens prodeat à renibus, an à vesica, quòd illud, quod prodit à renibus, non fœteat; quòd verò à vesicâ quàm maximè. Quoad iudicium itaque ab odore: Vrina inodora significat cruditatem & malam coctionem; sed quia contingit vrinam esse crudam & vitio caloris aut stomachi, & vitio potus, qui vel valde crudus ac frigidus est, vel nimia quantitate ingurgitatus, ideò talis inodora & aquea vrina vel indicat caloris debilitatem, vel vitium facultatis retentricis, quòd vrina non potuerit tam diu retineri, quousque potus esset exactè coctus, vel nimiam potus ingurgitationem: cùm nec crapula præcessit, nec vitium vllum retentricis, nec assumptus sit antea potus thermalis, tunc verò debilitatem caloris indicat. Vrina optimè olens indicat præassumptum aliquid, quod illam à proprietate talem reddere possit; vel peculiarem aliquam ægroti proprietatem: non enim credo illam indicare posse super corporis aut humorum dispositionem; nam non puto vllam posse humorum bonitatem tantam, quæ possit vrinam reddere odoratam; cùm etiam maximè sani nunquam ægrotantes, habeant vrinam semper olentem odore communi vrinæ, qui non est odoratus sed fortis. Vrina odorata odore naturali indicat bonam concoctionem, vegetum calorem, nuspiam in viis vrinæ esse humores putridos, & massam sanguineam bene esse constitu-

tam. Vrina putrida indicat putredinem humorum, vel sordidum vlcus, vel semiputridum sanguinem admixtum, vel cancrosum seu vesicæ seu colli vteri humorem. Si fœtida est vrina cum sedimento albo puri simili, indicat pus esse & saniem in vrinâ, eamque prauam & à putrido & sordido vlcere aut abscessu; si enim pus optimum esset, vrina non fœteret; etsi autem fœtida cum tali sedimento pus indicet, non tamen è contra non fœtida indicat pus non esse.

De differentiis à sapore nihil tracto, quia eas Medicus non cognoscit; sufficiat dicere vrinam naturalem esse salsam, morbosam verò posse habere diuersos sapores; nam quæ est insipida, sicut & inodora, à debili calore & mala coctione causatur, & illa indicat; quæ amara est, indicat admixtam bilem, acida melancholiam.

§. V.

Differentiæ à sono.

Vrina sonora, quæ quassata vel micta sonum clarum & acutum edit & strepitum sicut aqua, causatur ab vrinæ tenuitate & aqueâ naturâ; quia aqua concussa acutum sonum edit. Talis vrina per se primò nihil indicat nisi substantiæ suæ tenuitatem; quia autem illa tenuitas fit vel ab imbecillo calore, vel moderato, vel etiam intenso; ideò talis vrina nihil indicat super statum caloris aut coctionis; & quia tenuitas non est nisi cum absentiâ humorum, ideò talis vrina indicat nullos humores crassos vrinæ esse permixtos. Vrina verò soni expers, quæ quassata vix sonum aut non nisi grauem edit sicut puls aut oleum, causatur, vel quia ipsa est crassa in substantiâ suâ; vel quia crassi & viscidi humores ei admiscentur, vel pinguedo aliqua aut partium colliquamentum. Talis enim vrina indicat crassitiem suæ substantiæ: si simul est obscura indicat humorem admixtum: si pinguedo innatat & colorem habet fuscum, & crassa sit cum aliquali perspicuitate vt lixiuium, & quassata percipiatur grauis, quæque difficulter moueatur & sine sono, indicat colliquationem totius vel renum.

§. VI.

Differentiæ à Quantitate.

Multa vrina causatur non primò aut per se à calore & temperamento vt causâ synecticâ, sed tantùm ab admixtione multæ materiæ; caloris status potest quidem causa esse, vt vrina fiat vel multa vel pauca, sed tantùm per accidens, & vt causa mediata, quat. sc. est causa vt vel plus vel minus materiæ serosæ ei adiungatur. Quod igitur admixtum vrinæ eam copiosam reddit, est vel potus externus assumptus, vel multæ res liquidæ,

liquidæ, aut crudi fructus, aliaque quæ multam aquosam generant humiditatem; vel est admixtum serum sanguineum; si enim vnâ vice plus seri à venis secedat ac vrinæ misceatur, quàm altera, fiet vrina solito copiosior: vel est materia pituitosa, quæ à calore funditur & cum vrinâ expellitur; vel est colliquatio: pinguedo enim partium colliquata sæpe cum vrinâ exit, & sic facit eam copiosiorem. Et hæ sunt causæ synecticæ. Causæ remotæ sunt, quæ quaquâ ratione sunt causæ, vt illæ humiditates cum vrinâ permisceantur, tales sunt medicamenta diurectica assumpta, quæ serum à sanguine separant, & ad vias vrinarias deducendi vim habent: est quoque tempus morbi; sic in declinationibus contingit vrinam fieri multam, præcipuè in declinationibus febrium quotidianarum, quat. tum natura criticè materiam morbificam expellit & ad vias vrinarias transmittit; & tales vrinæ vocantur criticæ: sunt quoque inter illas causas retentæ aliæ euacuationes, & præcipuè aluo suppressâ: tum enim omnis humiditas quæ est in deiectionibus conuertitur ad vias vrinæ, vnde & Hippocrates multam mictionem noctu factam paruam deiectionem indicare. Certi etiam morbi sunt causa eius differentiæ, vt renum caliditas, quæ magnam seri quantitatem ad se trahit; obstructionem quoque quatenus fit vt per eas vrina, quæ antea diu fuit suppressa, obstructione solutâ impetu prorumpat & copiosiorem reddat vrinam: febres etiam acutæ & ardentes, quat. causant interdum membrorum colliquationem: hydrops, quat. interdum contingit, vt serosa & pituitosa substantia, antea in membris vel cauitate abdominis retenta, viâ factâ, impetu ad vrinarios ductus prorumpat. Causa vrinæ paucæ synectica est contraria, sc. absentia seri & humiditatum aliarum ab vrinâ: eius variæ etiam sunt causæ; interdum est renum & vreterum obstructio, ob quam vrina retinetur; hinc in calculosis ac nephriticis pauca redditur vrina. Prægressi etiam magni sudores & alui fluxus; tunc enim serosa materia, quæ aliàs ad renes conuerteretur, deriuatur ad habitum corporis & intestina. Hydropes etiam; nam hydropici plerumque valde parum vrinæ reddunt; quod fit quia serum antequam à renibus trahatur, per oscula venarum, per fissum iecur, aut renes, aut per aliquod in viis vrinæ vulnusculum seu foramen in corporis habitum aut cauitatem ventris influit. Labores etiam & inedia & febres ardentes prægressæ, quat. serum sanguinis consumunt & exiccant. Huc referri etiam potest delirium, quia phrenitici sæpe parum mingunt, quòd præ delirio mingere obliuiscantur; si etiam vis vesicæ expultrix lædatur, aut vesica præ paralysi sensu priuata non sentiat se copiâ vrinæ grauari, retinetur vrina & fit pauca. Verùm quæ sint causæ suppressæ vrinæ latiùs patet apud Practicos, qui de Ischuriâ tractant. Multa ergo vrina omnes illas causas indicat; à quibus potest causari. In declinationibus febrium, si vrinæ procedant multæ & crassæ, præsertim quotidianarum, bonum signum est; indicium enim est illas criticas esse, & per eas morbum solutum iri. Dico, si simul sint crassæ; quia hoc arguit humores morbifi-

cos ei esse admixtos, & sic ipsam verè esse criticam. Si vrinæ ante fuerint paucæ, & posteà subitò fiant multæ, bonum est, indicium enim est fuisse antea obstructionem & ab illa vrinam fuisse retentam, iam verò cum copiosis vrinis solui : in febribus ardentibus multas reddi vrinas, malum est, nisi hoc sit in declinatione & sint criticæ; nam aliàs indicant præ nimio calore sanguinem colliquari, vnde serum cum vrinâ secernatur; vel ipsamet etiam membra colliquari, & hoc tunc si vrina simul sit rubra & pinguedinem habeat innatantem, & sit oleosa. Interdum vrinæ multæ arguunt calorem renum; & tunc vrinæ erunt tinctæ, & dolor & calor circa renes sentietur, & vrina erit mordax, & cum arenulis: si vrina est multa, alba & tenuis indicat vel crapulam vel vsum aquarum thermalium, aliàs vel diureticum assumptum, vel alias suas causas. Vrina pauca indicat vel magnum calorem eam consumentem, vt si adsint ardentes febres; vel adesse obstructionem in renibus aut vesicâ, ob quem retineatur, si sc. suspicio adsit calculi, aut dolor in renibus vel vesicâ sentiatur; vel indicat vrinam aliò conuerti, vt si venter & pedes incipiant tumere, & tunc est indicium futuri hydropis; vel aliter indicat aut diarrhæam aut prægressos sudores. Vnde patet, quòd omnis vrina longè infra quantitatem assumpti potus micta, semper malum indicat.

§. VII.

De differentiâ vrinarum à Contentis.

Contenta, quæ apparent in vrinis, alia sunt secundum naturam, alia tota genere contra naturam : secundum naturam sunt nubecula, suspensum & hypostasis. Contra naturam sunt crassamentum, pus, pinguedo, sanguis, pili, vermes, carunculæ, squammæ, furfures, bullæ, corona, &c. primùm agemus de contento naturali, quod siue natitet in summo, & sit nubecula; siue in medio & sit suspensum; siue in fundo, & sit hypostasis; omnia vocabo generali nomine sedimenti. Vt autem sciatur, quid tale vrinæ contentum indicet, necessarium primò est scire, quid illud contentum seu sedimentum sit, vbi generetur, & à quâ causâ fiat. Quæritur itaque primò quid sit, & vbi generetur. Circa hanc rem variæ sunt Medicorum opiniones. Sciendum itaque, quòd sedimentum appareat in vrinis & sanorum & ægrorum. Est autem magna dubitatio, an vtrumque illud sedimentum sit vnum; & an ex eadem materiâ & in eodem loco generetur, & an vtrumque sit essentialiter vnum, an verò differat : aliqui enim dicunt esse vnum, aliqui diuersa. Nos pro maiori claritate primò inquiramus, quid sit sedimentum sanorum, deinde quid sit sedimentum ægrorum. Aliqui dixerunt sedimentum ægrorum esse partem humoris putridi, quæ sit concocta, & à naturâ cum vrinâ expulsa. Sit itaque primò hoc certum, quòd sedimentum sanorum non

possit

possit esse pars humoris alicuius putridi ; nam in optimè sanis apparet; in talibus autem nulla subest causa morbifica, aut humor putridus , sed sedimentum sanorum debet esse aliquid secundum naturam, quod in ordinariâ coctione naturali generatur & vrinæ miscetur,eo quòd in omni vrinâ sanâ inueniatur , & quouis tempore & post omnem coctionem cum vrinâ excernitur. Quid autem illud sit est dubium: Aliqui putauerunt sedimentum hoc esse quandam partem sanguinis tenuiorem & subtiliorem, quæ incepit à partibus solidis conuerti ; & quia solidæ partes dealbant , incepta sit dealbari , & cuius pars aliqua sic cum vrinâ abluatur:sed hæc sententia paucos habet sectatores. Aliqui putant esse partem seri crassiorem contractam ex mictione seri cum aliis alimentis tempore coctionis ; sic vt in ventriculo aliquid chyli, in hepate & venis aliquid pituitæ , bilis &c. remanserit ei permixtum , quod non potuit tam exactè ab eâ separari : Verùm hæc opinio habet difficultatem,quia si hoc ita esset , videtur quòd sedimentum deberet potiùs esse rubrum, aut nigrum , aut flauum , quàm album ; quia vrinæ debuisset tam bene imò magis remansisse permixta portio aliqua humoris colorati , vt sanguinis, quàm humoris albi ; sed dici posset,quòd vrinæ remanserint permixtæ diuersæ diuersorum humorum portiones , sed quòd vrina posteà perficiatur in renibus , vreteribus , & vesicæ, & ab iis portiones illæ diuersi coloris coquantur , attenuentur & conuertantur in eiusmodi albam substantiam sedimenti ; quod videtur etiam confirmari , quia serum quod separatur in pelui ab abstracto sanguine , & quod è ventre asciticorum educitur , non est ita plane clarum & coctum , sed habet adhuc obscurum colorem , & si subsederit,habet crassamentum rubrum nigricans , &c. Hæc opinio non videtur mihi à ratione valde aliena,sed patitur difficultates ; quia tunc sedimentum in vrinâ non posset indicare super bonam aut malam coctionem aut cruditatem ; atqui tam longâ omnium ætate est compertum sedimentum indicare cruditates, & in otiosis , frigidis , crassos crudosque cibos comedentibus , in crapulosis debilem stomachum habentibus, plus crassiusque reperiri;ex qua videtur ipsum debere esse aliquod crudum, indigestum , superabundans , ab imperfectâ coctione relictum , quod non potuit à calore coquente superari. Sit ergo concluſum sedimentum sanorum esse aliquam reliquiam alimenti crudam , quæ non potuit à calore coquente superari , quæ est excrementum crudum coctionum , quæ cum vrinâ eluitur , & cum eadem expellitur. *Probatur* 1. quia in corporibus absolutè sanis, in quibus non est succus crudus , non reperitur ; in omnibus verò in quibus viget aliqua cruditas reperitur. 2. in calidis & siccis corporibus , in inediâ, laboribus, vsu optimorum ciborum non multum crudi aut superflui generantium non reperitur. 3. multum sedimentum in sanis semper omni æuo ab omnibus medicis fuit habitum indicium cruditatis , & cum præcedens victus ratio fuit immoderata , aut ciborum superantium vim caloris naturalis, seu quando non est facta perfecta concoctio,tunc semper

in

in vrina est multum sedimenti, eo quòd tum multum productum sit cruditatis. 4. in morbis pituitosis, in hominibus phlegmaticis semper in vrinis reperitur copia sedimenti, in bilioſis verò febribus, hominibus cholericis, calidis siccis, quàm minimum. *Dicet* aliquis; sedimentum in vrinis indicat coctionem & est signum bonum; ergo non potest esse excrementum crudum indigestum; quia quod est crudum & excrementosum debet indicare cruditatem, & non potest indicare bonam coctionem; quod enim est malum non potest indicare nisi malam causam. *Resp.* Sedimentum, cùm sit quid crudum, indicare esse aliquid quod non est superatum à coctione; sed tale aliquid esse contingere potest vel vitio alimenti, quod naturâ suâ est insuperabile, & tunc sedimentum non indicat nisi fuisse in alimento aliquas partes crudas & insuperabiles, & tunc non indicare simpliciter cruditatem, aut defectum concoctionis, indicare autem è contrà per hoc bonam coctionem; quod illud, quod naturâ suâ est crudum sit à calore adhuc coctum & attenuatum, quantum concoquibile & attenuabile est. Posito ergo quod sedimentum sit aliqua cruditas, quæri potest, qualis cruditas sit, & cuius alimenti & coctionis, an chyli, an sanguinis, an verò humorum secundariorum, id est, an sit excrementum crudum primæ, secundæ aut tertiæ coctionis. Aliqui dixerunt esse quid crudum tertiæ coctionis fientis in singulis membris, id est, esse aliquid quod fuit in tertiâ coctione alteratum, sed quia fuit nimis crudum, non potuit in eâ perfectè digeri, aut in membri substantiam conuerti. Et hoc probant ex eo, quòd si esset excrementum crudum & indigestum chyli aut sanguinis, & non tertiæ coctionis, deberet esse multò copiosius, quàm sit; quia chyli & massæ sanguineæ magna est moles, à quâ si decideret tale crudum, & vrinæ permisceretur, deberet esse longè copiosius; quia in tam magna massâ deberet esse multo plus crudi. 2. quia sedimentum habet colorem album, atqui eum non habet à primâ coctione, vt pars chyli: nam etsi stomachus dealbet & chylus sit albus, tamen quia debet priùs transire in hepar & subire coctionem eius, priusquam vrinæ misceatur, deberet in hepate necessariò fieri rubrum: non etiam habet à secundâ coctione, quæ fit in hepate, nam, vt iam dixi, hepar non dealbat sed rubefacit. Si dicas tunc rubefacere, quando superat alimentum & conuertit illud, hoc autem sedimentum esse crudum, & non conuerti, & ita manere album. *Resp.* debere nihilominus necessariò aliquam acquisisse rubedinem; atqui illam non habet; ergo. Solidæ partes quia constant membranis, venis, neruis, arteriis, &c. habent naturam dealbandi alimentum. Ergo cum sedimentum quoque sit album, est verisimile ipsum esse portionem quandam crudam alimenti tertiæ coctionis, seu esse partem sanguinis crudam, non membrificatam: porrò qui dixerunt ipsum esse crudum excrementum tertiæ coctionis adhuc variant: nam aliqui dixerunt ipsum esse cruditatem tertiæ concoctionis generalis fientis in omnibus membris seu in habitu corporis:

corporis : sed hoc non videtur verum , quia tunc sedimentum deberet esse multò copiosius. 2.quia tunc hoc excrementum crudum deberet esse extra venas ; nam extra venas fit tertia concoctio ; at si esset extra venas , non posset cum vrinâ exire , sed deberet per habitum corporis excerni : nam quomodo illud crassum indigestum posset per insensibilia foramina venarum iterum ingredi ? hoc animaduertentes aliqui dicunt esse excrementum coctionis fientis in venis capillaribus : nam ibi,inquiunt, iam incipit alimentum dealbari & persentiscere aliquam, actionem partium solidarum , & aliquam recipere impressionem ab eis. At euasio est vana 3. quia natura non remittit crudum per eandem viam, per quam attrahit bonum alimentum ; at attrahit bonum alimentum per venas capillares in habitum corporis ; ergo per easdem venas capillares non remittit excrementum versus venas magnas ; quod fieri tamen deberet vt illud excrementum cum vrinâ misceri possit. Aliqui vt hasce difficultates effugerent , dixerunt esse excrementum nutritionis alicuius particularis fientis in vno aliquo membro tantùm , & non in toto ; & sic aliqui putarunt esse excrementum coctionis ipsiusmet venæ cauæ & arteriarum ; aliqui renum ; coctio enim quæ fit in substantiâ venæ cauæ ac renum, quaque venæ & renes nutriuntur , est coctio tertia , & sic probant : hoc excrementum cùm sit album debet dealbari à partibus solidis & membranosis in tertiâ coctione ; at non à toto propter argumenta iam allata ; ergo à venâ cauâ vel à renibus. Probatur, quia venæ & arteriæ debent nutriri ; at de alimento earum debet restare aliquod reliquum indigesti ; nam in coctione est excrementum; hoc autem non videtur per insensibilem exspirationem posse expelli: ergo verisimile est elui & expelli sensibiliter per vrinas in ipsis venis & arteriis contentas ; & hoc ipsum excrementum esse illud sedimentum quod in vrinis apparet. Idem alij de renibus sic asserunt.

Verùm sedimentum vniuersaliter non est excrementum tertiæ concoctionis nec generalis nec particularis ; quapropter nec est excrementi venarum nec renum, nec etiam coctionis fientis in toto. Hoc probatur: quia sedimentum quod est in vrinis sanorum compertum est iam tot seculis indicare concoctionem bonam aut malam, illam sc. quâ toti corpori concoquitur alimentum ; nempe quæ in stomacho, hepate & magnis venis fit, hoc supra est probatum, quia quando concoctio alimenti est adhuc in fieri in hepate aut ventriculo plus est in vrinâ sedimenti, perfectâ verò minùs. 2. Qui se sentiunt cibo grauari , nec eum bene concoqui , plus habent sedimenti ; sic in frigidis crapulosis , otiosis, somno deditis , plura apparent sedimenta non aliâ ratione , quam quia in talibus vniuersalis alimenti coctio , sc. chylificatio & sanguificatio non perfectè fiunt ; Ergo sedimentum debet esse aliquod reliquum crudum illarum coctionum & non tertiæ , quæ fit vel in toto vel venis aut renibus. Probatur consequentia ; nam coctio peculiaris renum , venarum,

rum, aut quæ fit in habitu, quid habet commune cum generali coctione alimenti vniuersalis? nunquid enim potest alimentum generale malè coqui,& peculiarè illud venarum,renum,&c.benè? si quis hodie se nimio aut nimis crasso cibo repleuerit, cur postridie vrina haberet multum sedimentum, si sedimentum generaretur in ipsâ rerum aut venarum substantiâ? non enim quia in hepate fit mala alimenti concoctio, ideò plus crudi generabitur in coctione venarum aut renum; nam hæ partes non attrahunt mox illud crudum, sed aliam partem optimam sanguinis sibi conuenientem: itaque si sedimentum esset excrementum tertiæ concoctionis, non posset indicare super coctionem generalis alimenti fientis in stomacho vel hepate; atqui indicat, vt iam omnium medicorum huius seculi est sententia. Sit ergo Conclusio: Sedimentum est excrementum secundæ coctionis fientis in hepate & venis; seu quod idem est, est portio chyli crudior in sanguificata, seu crudior pars chyli quæ non potuit in hepate superari & in sanguinem conuerti. *Probatur*: quia cùm sedimentum sit aliquid ordinariè apparens in vrinâ omni tempore, & in vrina omnium humorum, indicans super bonitate coctionis fientis in stomacho & hepate, sequitur ipsum esse aliquid, quod ordinariè & quotidie in coctione alimenti in omni homine naturaliter generatur. 2. Apparet ipsum esse quoddam excrementum, eo quòd à naturâ semper expellatur. Denique esse aliquod crudum & indigestum, vt supra est probatum: ergo necessum est ipsum esse aliquid crudum, indigestum relictum ex cibo, quod non potuit in illis coctionibus, sc. stomachi & hepatis, superari; cùm ergo ipsum sit album & ex eo pateat, ad minimum esse chylificatum, & non rubrum, adeoque non sanguificatum, sequitur ipsum esse aliquid chyli insanguificati. Vlteriùs hoc crudum tam diuturna experientiâ comprobatum est indicare super bona aut malâ coctione stomachi aut hepatis; & experientiâ quoque probatur in exquisitissimè sanis, & exquisitissimo victu vtentibus,& debitos labores subeuntibus, nullâ cacochymiâ laborantibus nullum repetiri; & cum eo tamen stare absolutissimam sanitatem;& in quibus mediocre apparet, primam & secundam coctionem bene fieri; in quibus verò nimis multum aut nimis crassum apparet, illas coctiones fieri malè; & quandocunque aut cruditas sentitur in stomacho aut nimis cibi crassioris est ingestum, qui superet facultatem coctricem, sic vt concoctio non perfectè fiat, tunc ipsum in vrinâ abundare; sequitur & est manifestum ipsum esse quid crudum,indigestum illarum coctionum. Sed quæret aliquis, si est portio chyli insanguificata, in quâ ergo coctione generatur sedimentum, primâne an secundâ, nam si est portio chyli,ergo fit in stomacho, nam chylus fit in eo. Dico itaque non fieri in stomacho, & non esse excrementum crudum indigestum stomachi; nam sedimentum est aliquid proprium vrinæ; ergo ibi generatur, vbi generatur vrina; at vrina generatur in hepate, & est excrementum eius;ergo & sedimentum debet ibi generari. Nota itaque dupliciter posse intelligi, quòd sit portio chyli insanguificata: Vel quòd sit portio chyli

quæ

huæ nullam ampliùs alt rationem aut formæ suæ permutationem in qepate aut secundâ coctione acquisiuit ; vel quòd in hepate adhuc sit alterata & permutata in aliam formam supra formam chyli, sic vt formam chyli deposuerit,& in hepate per coctionem eius acquisierit aliam formam, etiamsi quidem formam sanguinis acquirere non potuerit ; si sedimentum sic esset portio chyli insanguificata , quòd hepar eam non permutasset, sed reliquisset in formâ chyli,tunc sedimentum esset excrementum primæ coctionis, & deberet dici generari in stomacho;at contra est , nam antequam potuit vrinæ permisceri , debuit transire in hepar ; ergo debuit subire eius concoctionem, & debuit ab hepate alterari , & perduci necessariò ad aliam formam : nam si stomachus potuit eam conuertere in chylum etsi crudiorem , hepar quoque potuit eam vertere in aliam substantiam etsi non in substantiam sanguinis,& sic cùm ab hepate sit alteratum meritò est excrementum hepatis , & debet dici fieri in secundâ coctione, & dici esse portio chyli insanguificata ; non quòd ferè permaneat chylus , aut quòd sit materia eius permanens , sed solùm quòd sit materia transiens , quat. illud crudum in secundâ coctione generatum non ex chyli parte crudiore , quæ quidem bene potuit in hepate alterari , sed non sanguificari. *Obijcies* , non esse excrementum hepatis crudum, indigestum ; nam sic non posset indicare super coctione stomachi , sed tantùm hepatis : Contrarium est verum , vt supra dictum est ; Er. Verùm *nego sequelam maior*. Pro quo Notand. quòd etsi hepar & venæ & secunda coctio propriè producant sedimentum,& debent ei essentiam sedimenti, quia non est priùs sedimentum, quàm sit hepatis coctionem perpessum, & ibi diuersam à chylo essentiam adeptum, tamen etiam ventriculus ex parte est causa efficiens & causa per accidens sedimenti , in quantum subministrat talem crudam & indigestibilem chyli portionem ipsi hepati , & in quantum est occasio , quòd hepar non possit illam conuertere in sanguinem , sed tantùm in naturam sedimenti ; etenim etsi sedimentum in stomacho transitiuè non producatur, quia tamen producitur dispositiuè , ideò potest sedimentum meritò indicare super coctione stomachi & chylificatione ; & eadem ratione etsi sedimentum substantialiter in venis & hepate generetur , tamen postquam ibi est genitum adhuc vlteriùs perficitur in renibus & vesicâ ; aliàs enim non esset tam album , læue & æquale , sicut esse in vrinis animaduertitur , & sic quia in iis adhuc aliquam perfectionem acquirit , ideò potest etiam de renum & vesicæ ac vreterum statim aliquod iudicium facere. *Obij.* 2. In sanis hominibus apparet sedimentum; at si sedimentum esset portio cruda insanguificata, sequeretur quòd in omnibus sanis deberet semper esse aliqua cruditas ; & consequenter quòd sic sani omnes semper essent ægri , & semper laborarent aliquo vitio coctionis. *Respond.* Hæc cruditas est interdum ex parte chyli non digestibilis, interdum ex parte caloris non bene digerentis. In sanis verò est ratione cibi non digestibilis;& hoc est vitium externum , & sic in iis

non indicat vitium indigestionis, sed solùm defectum ex parte obiecti. *Obi.* 3. Si esset pars chyli insanguificata, videtur quòd longè plus sedimenti deberet apparere in omnibus vrinis; videtur enim quòd in toto chylo debeant esse plures partes indigestibiles, insanguificabiles, quàm illa exigua portio sedimenti. *Respond.* Verum esse, sed magnam partem illius portionis indigestibilis conuerti in pituitam & alios humores, imò eius magnam partem adhuc in venis concoqui, aliam è venis in habitum corporis transire. *Obij.* 4. Quomodo posset hæc portio esse tam cruda, quòd remansisset alba? ex hoc enim videtur, quòd potiùs alibi generetur, & in partibus aliquibus spermaticis membranosis ac frigidis quæ vim & naturam habent alimenti dealbandi. *Resp.* non esse mirum post operationem hepatis adhuc album remanere; nam & idem in pituitâ cõtingit. *Obij.* 5. Si est portio chyli insãguificata, est crudior portio eius; ergo debet portio eius esse magis crassa & terrestris; at sedimentum non est portio terrestris, sed videtur esse substantia admodùm tenuis; Er. Minor patet: nam in vrinis secernit & volitat per modum nubis, & constat partibus tenuissimis & minimis, quæ tandem coagmentantur & lege naturæ paulatim fundum petunt, interdum tantùm volitant in altum, quod est indicium tenuitatis. *Respond.* sedimentum esse partem chyli & insanguificabilem, exinde tamen non sequi esse terrestriorem & crassiorem; dico tamen nihilominus etiam esse terrestrem, sed postmodum in hepate, venis, renibus, vesicâ, & per multas illas alterationes attenuari; quomodocunque tamen alteretur, adhuc in sanguinem verti non posse propter nimiam suæ substantiæ ineptitudinem. *Obij.* 6. Si est pars chyli insanguificata est cruda; Er. est pituita. Probatur: quia & ipsa est pars chyli frigida, cruda, insanguificata, & alba sicut sedimentum; nam si differunt, in quo differunt? Prob. alij humores excrementitij hepatis recipiuntur in sua receptacula; at pituita non habet receptaculum, sed manet in venis; idem est de sedimento. Er. 2. Si illud sedimentum non est pituita; ergo essent eiusdem coctionis duæ partes crudæ, indigestæ, eiusdem generis. 3. in morbis biliosis & in omnibus tum corporibus, tum temporibus, tum locis, vbi non generatur multa pituita, non est multum in vrinâ sedimenti; contrà vbi multa generatur pituita, ibi multum est sedimentum: Sic in laborantibus inediâ, exercitatis, biliosis, calidis parum est sedimenti; contra in quibus generatur multa pituita, vt in quibus mala fit digestio, in crapulosis, otiosis, somno deditis, mulieribus, senibus est plurimum; ergo sedimentum non est aliud quàm pituita. Hanc sententiam tenet Argenterius & alij nonnulli, dicentes sedimentum esse pituitam, quæ generetur in secundâ coctione. Et certè hoc argumentum est difficile; & si dicatur sedimentum esse cruditatem secundæ coctionis, difficile est explicare, quomodo possit esse aliud quàm pituita. Dicunt quidam in eo differre, quòd pituita sit talis cruditas, quæ possit adhuc in sanguinem conuerti; sedimentum, quæ non possit. Verùm hoc non satisfacit; nam quomodo

sciunt,

sciunt ; an non aliqua sedimenti pars in sanguinem conuertatur: vel fortè dici potest, quòd sedimentum sit illud pituitæ, quod in sanguinem conuerti non potest. Adde, quòd est incertum, an verum sit, quod medici dicunt, pituitam aliquando in sanguinem conuerti posse. Notand. tamen, quòd etsi sedimentum dici possit esse pituita quædam valde excocta, & attenuata, & in renibus, vreteribus, vesica adhuc elaborata.

Modò videndum est, quid sit sedimentum ægrorum, an sit idem quod sedimentum sanorum, de quo dictum est, seu an sit etiam portio chyli insanguificata, an verò quid aliud, & distinctum ab illo. Pro quo Notand. communem Medicorum sententiam esse ipsum esse portionē humoris morbifici ac putridi in venis contenti, & à naturâ concocti, & cum sero expulsi. Notand. ergo Medicos dicere, in febribus putridis & acutis morbis, salutaribus sc. & curabilibus, naturam se conuertere ad illos morbificios & malignos humores coquendum, priusquam eos expellat, & perducendam ad quandam benignitatem, sicque eos faciliùs & sine nocumento partium intermediarum, per quas transire debent, expellere; & sic dicunt naturam priùs humores in venis coquere & maturare, ac maturatos tum demum criticè in statu expellere; & sic dicunt in illis morbis fieri quid simile ei, quod fit in phlegmonibus; nam sicut in illis sanguis inflammatus & putrefactus per quandam maturationem conuertitur in benigniorem, quantum possibile est, materiam, quæ dicitur pus; ita dicunt, quod in venis causam quoque morbificam, siue sit bilis, siue alius quicunque humor conuertat per similem maturationem & quandam speciem coctionis in quandam substantiam similem puri & albam, & quòd illam sic maturatam paulatim è venis cum vrinis expellat; & quòd hoc sit sedimentum: & quòd illa sit ratio, cur sit album: & sic tenet sedimentum esse quid sanioſum, medium inter putridum & pus, genitum per quandam actionem quæ dicitur maturatio, quæ nec est putrefactio nec concoctio, sed actio quædam inter illas media. Hanc doctinam tenet Galen. vbique, Auicenna & vniuersa schola Medicorum: vnde Galen. 1. *de febribus in apostematibus*, inquit, *pus quidem fit suppurante naturâ, in venis autem & arteriis, dum humores coquuntur, quiddam puri proportione respondens in vrinis:* ibique addit, sedimentum esse partem humoris putridi morbifici iam per coctionem meliorati: & Auicenna 2. 1. *doctr.* 3. *summâ* 2. *cap.* 6. *quid*, inquit, *est sedimentum nisi humor, qui febrem facit, qui iam coctionem est assecutus.* Et doctrina sic probatur; hoc sedimentum quod in eiusmodi febribus putridis apparet, non est cruditas ex alimento reliqua, aut alimenti portio insanguificata, producta per coctionem naturalem ciborum; ergo quid potest esse aliud, quàm portio humoris putridi febrem facientis, qui à naturâ coquatur, & sic cum vrinâ expellatur? *Anteced. probatur*: quia quando concoctio peiùs fieret, deberet plus apparere sedimenti; at in principiis morborum facultas & coctio læduntur; ergo

tum deberet plus apparere sedimenti, quàm in sanitate : atqui contra fit ; tum enim vel vrinæ sunt tenues, vel crassæ & turbatæ ; in neutro statu habent sedimentum ; ergo. Sic etiam in vigore non est vlla cruditas alimenti reliqua à concoctione, quia tunc non fit concoctio, & non exhibentur alimenta, ex quibus tale crudum indigestum possit generari, tunc enim ægris imperatur tenuissimus victus, imò sæpe exactè tenuis, & non exhibetur nisi cibus euchymus, qui minimum habeat partium crudarum & indigestibilium ; at tunc sedimentum incipit crescere & copiosè apparere in vrinis : ergo ipsum non est portio cruda alimenti, sed humoris morbifici, qui in morbi principio est crudus, in augmento coctus. 2. ex hypostasi iam tot seculis est notatum in prædictis morbis posse salutem & mortem prædici ; hoc autem fieri non potest, nisi quat. ex hypostasi indicatur de statu & bonitate ac malitiâ causæ morbificæ, qui est humor putridus ; ergo sedimentum iudicat de statu eius: at non videtur, quomodo aliâ ratione de eo possit iudicare, quàm quat. est pars eius ; portio enim exiens indicat, quale sit reliquum quod in venis continetur: ergo sedimentum est pars illius humoris putridi morbifici in venis contenti ; si enim solùm esset portio crudior alimenti, ex illâ non posset iudicari, nisi de coctione stomachi, hepatis, & alimenti, & non de statu humoris morbifici putridi existentis in venis. *Probatur* : ex sedimento iudicatur de salute & morte, cognoscuntur tempora morborum, scitur an causa morbifica coquatur nec ne ; hoc sciri non posset, si sedimentum esset solùm portio cruda alimenti, quid enim commune habet modicum aut multum effugere coctionem primam aut secundam fientis in stomacho aut hepate cum morbi constitutione. Plusquam commentator tenet sedimentum in ægris esse etiam partem alimenti crudam. *Respond.* eâ ratione ipsum de statu humorum putridorum in venis & de causâ morbificâ posse ferre, quòd illa cruditas alimenti non rectà mox è venis ad emulgentes feratur, sed adhuc diu in venis cum humoribus putridis & causâ morbificâ remaneat & volutetur, in quâ volutatione acquirit aliquam impressionem & similitudinem ab ipsâ causâ morbificâ & humore putrido, ratione cuius nata est de statu eius indicare, etiamsi non sit pars eius : non potest benè intelligi, quâ ratione possit affici tantâ similitudine cum humore putrido, vt omnem morbi constitutionem, quæ ex humoris illius putridi alteratione pendet conspicuè valeat declarare. 4. In sanis sedimentum multum est signum cruditatis & signum malum ; in ægris sedimentum multum est signum cruditatis & malum signum ; in ægris sedimentum multum est signum salutis & bonum ; ergo illa sedimenta non possunt esse eadem, sed debent inter se naturâ & essentiâ differre; vnum enim & idem non posset indicare contrarium ; si sedimentum ægrorum esset cruditas alimenti indigesta, cum tale sedimentum in morbis apparet copiosum, deberet esse malum signum ; nam in omnibus morbis cruditas est malum signum ; sed contra est optimum;

nullum

nullum verò apparere est pessimum. Er. 5. sedimentum habet similitudinem cum pure : ergo est factum per quandam maturationem seu coctionem putridi humoris conuersi in meliorem statum sicut fit pus. Probatur : pus maximè fit phlegmonibus circa statum morbi, ac circa idem tempus fit sedimentum in febribus : ergo sunt eiusdem naturæ & sibi inuicem proportionata, fiuntque eodem modo per quandam humoris maturationem. 6. Aliquæ febres acutæ iudicantur seu soluuntur ; per vrinas ; at in febribus quod expellitur debet necessariò esse illud ipsum quod morbum fecit, aliàs non esset ratio, quare per eius expulsionem morbus iudicaretur : atqui quod tantùm expellitur, non est nisi serum & sedimentum : Ergo sedimentum est ille humor putridus morbum faciens ; atqui ille humor morbum faciens & sic expulsus non est in suâ formâ naturali. Ergo est humor putridus iam alteratus, à naturâ coctus & ad benigniorem statum perductus. Pro hâc difficultate sit *Conclusio* : Communis ab omni seculo Galeni & Auicennæ sententia est, sedimentum ægrorum esse specie distinctum à sedimento sanorum, & non esse partem alimenti crudam relictam ex coctione cibi ab portionem chyli insanguificatam, sed esse partem humoris putridi ac morbifici facientis febrem iam coctam & maturatam plus vel minùs pro ratione temporis morbi. Hanc doctrinam nolumus inuertere quia est communis,& ideò secundùm eam postea in iudicio & præsagio, quod à sedimento desumetur, procedemus. Sit tamen animi gratiâ secunda conclusio ; non est improbabile dicere sedimentum ægrorum esse idem specie cum sedimento sanorum, & vtrumque esse eiusdem substantiæ, & esse eadem : & sicut sedimentum sanorum est portio alimenti cruda insanguificata, ita etiam esse sedimentum ægrorum : & sedimentum ægrorum non esse portionem humoris morbifici facientis febrem, nec esse quid sanioſum puri simile, vt Medici putant, factum per maturationem suppurationi similem. Quod videtur posse probari variis argumentis : 1. nos cognoscimus essentias rerum ex accidentibus ; vnde quæ habent eadem accidentia, iudicamus inter se quoque non differre substantiâ. Atqui accidentia sedimenti ægrorum sunt eadem cum accidentibus sedimenti sanorum ; Ergo. *Minor prob.* quia vtrumque se habet eodem modo ad vrinam, nec vnum videtur aliter vrinæ permixtum quàm alterum. 1. vtrumque sic vrinæ est permixtum vt seorsim non possint discerni, nec à sedimento separari ; paulo pòst separantur, & quidem eodem modo subsidunt vel natant in vrinâ, eandem habent consistentiam, colorem, figuram ; quomodo ergo poterimus dicere, illa inter se esse diuersa & specie differre, quæ sensus indicat planè esse eadem, maximè cùm nihil absurdi sequatur, si eadem esse dicantur ? omnia enim phænomena in vrinis apparentia tam bene possunt saluari, si dicantur esse eadem, quàm si dicantur esse diuersa ; & posito, quòd saluari non possint, propterea tamen non est aliud asserendum, quod ratione & sensu videtur esse falsum, sed defectui artis & nostræ

noſtræ ignorantiæ adſcribendum, quòd omnium phænomenorum rationem dare non poſſimus. 2. Illa ſententia, quòd ſc. ſedimentum ſit portio humoris morbifici, ſupponit in acutis febribus humores morbificos in venis à naturâ decurſu temporum morbi coqui & maturari quâdam ſpecie concoctionis, quæ redoleat naturam ſuppurationis,& vocetur maturatio, quâ humor morbificus conuertatur in quandam ſubſtantiam ſimilem puri, &c. cuius pars ſit ipſum ſedimentum. At contrâ non fit talis maturatio humoris morbifici in venis. Ergo. *Anteced. Prob.* talem coctionem fieri in venis non poſſunt Medici alio argumento probare quàm ex ſedimento, & ſic argumentantur: In principiis morborum non videtur ſedimentum, in ſtatu & in incremento incipit apparere, & apparendo eſt ſignum ſalutis; hoc non videtur eſſe poſſe, niſi quat. ſedimentum illud ſit pars humoris morbifici, qui in incremento incipit cum vrinâ elui & expelli, cuius expulſione morbus tandem ceſſat: Er. Atqui non eſt pars humoris morbifici exiſtentis in ſuâ naturali conſtitutione; quia humores non ſunt albi, ſedimentum autem eſt album; ergo ſedimentum eſt pars ipſius humoris à naturâ iam alterati, immutati & concocti; & cùm ſedimentum ſit album & ſimile puri, ergo illa alteratio, quâ ſedimentum ſic mutatur, eſt quædam actio ſimilis ſuppurationi. Sed hæc argumentatio non valet; nam ex ſedimenti albedine in ægris malè & inſufficienter colligitur talem aliquam maturationem fieri in venis, & talem, quæ ſit ſuppurationi ſimilis; proinde cùm nullo alio argumento probetur talem maturationē humoris morbifici in venis fieri,& illud argumētum ſit inefficax;ideò dico ego, non fieri, & ſi non fiat, ergo malè Medici ex eo colligunt, ſedimentum ægrorum eſſe illius humoris morbifici ſic concocti & naturati portionem;quòd autem talis maturatio in venis non fiat,& quòd ſedimentum ægrorum non ſit portio humoris morbifici ſic maturati, probatur: quotidianum enim eſt videre in tertianis acutis in ſtatu apparere ſedimentum læue, album & æquale, eſt poſtmodùm illas iudicatas per vomitum multæ bilis finitum iri; in illo caſu certum eſt, quòd bilis illa eiecta fuerit cauſa morbi, quod patet, quia ſi ejecta ſoluit morbum & eius eiectio eſt ipſa criſis, quòd non eſſet,niſi ipſa eſſet cauſa morbi: Atqui cùm morbus ſit ſalubris, & in vrinâ ſit ſedimentum album, quo tempore dicunt Medici illam maturationem fieri in venis, illa bilis quæ eſt cauſa morbi, deberet etiam ſic eſſe maturata; proinde deberet eſſe alba, ſicut ſedimentum vrinæ; ſicut enim eſt pars, ita deberet eſſe & totum, & ſi ſedimentum ſit portio eius & ſit album, reliquus totus humor morbificus deberet tum etiam eſſe dealbatus: ſed non eſt;nam in illo comitu critico, quo morbus ſoluitur, apparet eſſe flauus, & minimè ſimilis ſedimento: Ergo non fit talis maturatio in venis; ergo ſedimentum quod tempore talis criſeos & ſtatus apparet in vrinis, non eſt pars hominis morbifici. Eodem modo per deiectiones ſæpe humor morbificus expellitur; quod autem eiuſmodi deiectioni-

bus

bus expellitur non apparet ita maturatum sicut pus, neque album, læue, æquale sicut sedimentum, sed nigrum, flauum, viscosum, mordax. Ergo sedimentum non est pars illius. Denique febres acutæ sæpius soluuntur per hæmorrhagiam narium; atqui cum illâ hæmorrhagiâ nunquam videtur excerni sanguis albus, maturatus, & suppuratus vt pus aut sedimentum. Er. taliter quoque febres iudicantur per sudores; at cum sudoribus nihil videtur expelli album sic maturatum, & sedimentum quod illo eodem tempore in vrinis apparet, non habet similitudinem cum illo humore morbifico, qui sudoribus excernitur: ergo non est pars illius. Denique acutæ febres per cutaneas affectiones vt exanthemata, parotides, &c. iudicantur; atqui quod versus illos tumores expellitur, non est simile sedimento aut puri. Ergo sedimentum non est pars humoris morbifici, neque humor morbificus in venis sic coquitur aut suppuratur. 3. aliquando contingit ægros vsque ad statum habere signa concoctionis & adesse spem salutis; ab externo verò errore incidente, mori; quis tunc sanguinem in venis vidit sic maturatum? quis simile quippiam sedimento ibi vidit, aut quis in vllo morbo acuto laborante vidit sanguinem è venâ eductum continentem eiusmodi materiam albam suppurari aut maturari inceptam aut sedimento similem. 4. Quomodo acutissimæ febres, quæ sine dubio fiunt ex multitudine causæ morbificæ, possunt criticè iudicari per illud pauculum sedimenti, quod in vrinis apparet, & cum eis excernitur; non est ergo sedimentum ipse putridus humor expulsus, qui morbum soluit. 5. cùm plures sint in sanguine humores, qui in febribus seorsim putrescunt & morbum faciunt, sedimentum in singulis partibus deberet esse diuersum; nam à tam diuersis humoribus quomodo potest vnum idemque sedimentum generari; at sedimentum in omnibus febribus est vniusmodi. Ergo non fit à diuersis humoribus morbificis: Adde quòd si sedimentum fiat per maturationem, quæ proportionetur suppurationi, non videatur quomodo in febribus biliosis, pituitosis & melancholicis possit apparere sedimentum; nam bilis, melancholia & pituita non suppurantur, vt patet in œdemate, scirrho, quæ sunt apostemata ab illis humoribus fientia, quæ nunquam suppurantur. 6. In pestilentibus morbis, etiam cùm homines moriuntur, sæpe tamen apparet sedimentum; at eiusmodi sedimentum in talibus non est factum per quandam maturationem causæ morbificæ, sed necessariò est quid aliud ex alimento genitum: si hoc sic est in febribus pestilentibus, ergo verisimile est quòd sic etiam sit in omnibus aliis febribus & morbis venosi generis. 7. aliquando iudicantur seu criticè soluuntur morbi per vrinas, iudicium autem sequitur bonam maturationem; itaque tunc deberent humores morbifici esse maturati, alioqui non fieret crisis; si essent maturati deberet in vrinis apparere optimum sedimentum & optimè coctum, at in illis vrinis, per quas illa crisis fit, non apparet tale sedimentum, album, coctum, læue, & æquale, quæ sunt optimè sedimenti notæ; sed vrinæ solùm sunt turbidæ, confusæ, crassæ, nigræ, &

in eis solùm apparet crassamentum humorum incoctum & crudum: Ergo sedimentum non est pars humoris morbifici concocti. 8. Medici dicunt in febribus intermittentibus humores putrescere extra vasa. Atqui in talibus febribus etiam apparet tale sedimentum, sicut in acutis. E. illud sedimentum non est pars humoris putridi concocti. *Sequela Probatur*: quia sedimentum non potest esse pars nisi eius quod est in venis, vel quod venit ad eas. Itaque cum in intermittentibus videatur esse idem sedimentum cum eo, quod est in acutis; si quod apparet in intermittentibus non est portio humoris morbifici, ergo neque quod in acutis. 9. In phlegmone & tempore principij & incrementi & status fit pus, sed in principio parum & crudum & ferè adhuc sanguineum & rubrum; in augmento magis incipit albescere; in statu & cùm fit exitura, perfectè album, & tamen tum exit eius partibus perfectè albis & adhuc multæ partes rubri sanguinis nondum perfectè maturatæ ei permixtæ videntur; natura enim per gradus incedit: & ab oppositis qualitatibus ad oppositas transit per inedias; itaque si generatio sedimenti fieret per quandam speciem coctionis similem suppurationi, in principio febrium cùm coctio adhuc est imperfecta deberet sedimentum appare vel semialbum vel semirubrum, vel semiflauum vel seminigrum, provt febris ab hoc vel illo humore causatur, & paulatim deberet fieri albius albiusque remissâ paulatim seu rubedine, seu flauedine, seu nigredine: at non apparet; Er. non fit sedimentum ex illis humoribus per talem transmutationem. 10. In vrinis ægrorum potest esse sedimentum sanorum, & negari bene non potest, quin sit, & quid impediret, quò minùs esset; quia etiam febrientebus comedunt & alimentum coquunt; quare ergo non poterimus dicere, quòd eorum sedimentum sit illud idem sedimentum, quod est in sanis; cur insuper comminiscimur adhuc aliud sedimentum peculiare ægrotantibus specie distinctum ab illo sedimento sanorum, quod in omnibus hominibus mundi apparet? Etsi in vrinis ægrotantium sunt duo sedimenta; si sunt duo, quomodo ergo poterunt Medici iudicare de sedimento vrinarum in morbis? quomodo enim scient distinctè, an illud sedimentum quod est in vrinis ægrorum totum sit sedimentum sanorum, an totum ægrorum? an verò mixtum ex vno & altero; & quantum insit de vno, & quantum de altero? Quum enim illa duo sedimenta significent diuersissima, quomodo poterunt ex illis bene iudicare? quòd autem in ægris etiam sit sedimentum sanorum, infra dicetur.

Si quis verò obiiciat huic conclusioni duo argumenta supra pro contraria à communi sententiâ seu conclusione primâ adducta, posset ad illa sic responderi.

Ad primum. Quòd sedimentum ægrorum verè sit portio alimenti crudior insanguificata. Ad probationem Respond. in principiis morborum non apparere sedimentum propter alias causas. 1. quia in morborum principiis humores agitantur & totum corpus turbatur, hinc

vrinæ

vrinæ fiunt craſſæ & turbidæ, ideò non apparet ſedimentum in eis, eò quòd obfuſcetur ab admixtis prauis vrinæ humoribus; ita fortè eſt in vrinâ ſedimentum, ſed non videtur: non enim ſequitur in principiis non apparet in vrinâ ſedimentum, ergo non eſt; poteſt enim eſſe & non apparere, & hoc eſt rationi maximè conſentaneum. 2. ideò etiam in principiis morborum facultates naturales læduntur: propter hoc autem duo eueniunt; & quòd vrina non ſit perfectè cocta, tunc autem contingit ſedimentum ab vrinâ non benè ſeparari, ſed manere cum vrinâ permixtum, & ideò tum non videri, & putatur non eſſe, eo quòd non ſeparetur; ideò autem non ſeparatur, quia ad exactam ſeparationem requiritur, vt partes heterogeneæ ſint bene elaboratæ; quæ enim ſunt perfectè heterogenea, qualia ſunt quando vnumquodque per coctionem abſolutè ſuam diuerſam eſſentiam acquiſiuit, illa optimè à ſe mutuò ſeparantur. Secundum quod euenit, eſt, quod propter læſum calorem naturalem & factum igneum, & læſam coctionem alimenti non generetur ſedimentum; ſic videmus & diximus ſupra, quòd quando vrinæ ſunt valde crudæ, tunc ſunt tenues & ſine ſedimento. Itaque non ſequitur, in principiis coctio alimenti malè fit propter morbum, Er. deberet plus ſedimenti apparere, ſi ſedimentum eſſet pars cruda chyli; poteſt enim fieri quòd nihil generetur; imò cùm vitio facultatis vrinæ ſunt crudæ, tunc potiùs non fit ſedimentum; cum fit vitio alimenti, tunc potiùs fit multum; etſi enim ſedimentum ſit crudum, eſt tamen cruditas ſummè cocta & attenuata, ideò ad eius generationem requiritur bona coctio & calor naturalis; quia autem in morborum principiis omnia turbantur, ideò tunc tam bona coctio non fit, quâ poſſet generari ſedimentum, quòd autem in ſtatu appareat, quo tempore videtur quòd non deberet apparere, eo quod tunc non coquitur multum alimenti, eo quòd ægri tunc parum comedant; ratio eſt, quia tum morbus ſuperatur, & natura redit ad priſtinum ſuum ſtatum, & ideo tunc incipit facere illa eadem, quæ facit in ſanitate, & ideo tunc incipit iterum facere vrinam cum ſedimento ſicut in ſanitate.

Dices; at ex quo alimento? tum enim ægri alimento non vtuntur. *Reſpond.* illud ſedimentum eſſe non ex cibo tantùm, quo ægri tempore ſtatus vtuntur, ſed etiam quo ante ægritudinem vſi fuerunt, cuius ſuperfluum adhuc in venis hæret; non enim ſemper ſedimentum quod hodie excernitur eſt ex alimento quod hodie aut heri eſt aſſumptum, ſed etiam ex eo quod multis ante diebus.

Ad ſecundum. Medicos ex ſedimento multa minuta vanè & nugaciter prognoſticare, & ideò ſæpe in indiciis ſuis errare, quia ex falſo procedunt fundamento, ex quo fit, quòd multi ægri habentes vrinas cum ſedimento nihilominùs moriantur, & non habentes adhuc conualeſcant. Fateor tamen ſedimentum in vrinis, quãtum ex ſe eſt, ferè ſemper bonum eſſe, & ideò ex ſedimento ſemper optimè eſſe prognoſticandum. Dico ferè, quia aliquando potiùs expedit vrinas eſſe craſſas, turbidas, ac criti-

cas; At hoc ideò non est bonum, quòd sedimentum sit pars humoris putridi concocti, sed quia quando sedimentum apparet in vrinâ, indicium est, quòd calor natiuus & facultates naturales incipiant bene habere, vtpote quæ incipiant redire ad statum sanitatis, & ea iterum facere, quæ faciunt in sanitate; & quia cùm apparet sedimentum vrina debet necessariò esse clara & boni coloris, quod ipsum bonum est; nam in turbidâ, nigrâ, liuidâ, &c. non apparet. Denique quando est sedimentum, indicium est, quòd facultas naturalis bene se habet; sedimentum enim, etsi sit cruditas optimè attenuata & cocta, & ideò indicat bonam coctionem, quod est bonum: & hâc ratione ex sedimento iudicatur de morbi celeritate, de salute & morte, &c. & non quat. sedimentum est pars pars humoris putridi, & sic falsum est, quòd sedimentum per se indicet super maturatione & statu putridi ac morbifici humoris; tantùm enim indicat reditum ad statum naturalem,& calorem & facultates naturales non esse valde læsas sed facere officium pristinum, nec ampliùs tantam humorum perturbationem esse, eò quòd tunc sint clariores, sicut ante cùm essent crassæ & turbatæ;& sic omnibus illis bene esse sperandum. Vos itaque eligatis opinionem, quæ vobis magis arridet. Nos deinceps procedamus secundum opinionem, communem quâ suppositâ quæruntur: an in vrinis ægrorum præter sedimentum illud ægrorum sit insuper etiam sanorum. Dico itaque suppositò quòd sedimentum ægrorum sit pars hominis putridi,debere etiam insuper in vrinis ipsorum, aut saltem posse etiam esse sedimentum sanorum, seu illud sedimentum quod est cruditas alimenti insanguificati; & qui tenent illam primam opinionem, debent hoc etiam fateri nec possunt negare: & ideò Capiuaccius & alij tenentes primam opinionem ac communem, concedunt in vrinis febricitantium aliquando etiam esse illud sedimentum, quod est portio chyli insanguificati, & ponunt signa, per quæ distingui possit vtrumque sedimentum quod in vrinâ apparet, quod ita debet distingui:nam in principiis morborum si apparet sedimentum, quia tunc natura causam morbificam adhuc non coxit, non potest adhuc esse illud sedimentum ægrorum, seu illa portio humoris morbifici iam cocti; ideò quod in vrinâ apparet necessariò debet esse sedimentum sanorum. 2. in malignis & pestilentibus febribus si apparet aliquod sedimentum, illud necessariò debet esse sanorum & non ægrorum; quia in pestilentibus morbis natura non concoxit causam morbificam. 3. Si æger in febrem incidat & vrina adhuc non fuerit permutata, sed adhuc sit sicut illa in sanitate, clara sc. & spicei coloris, & habeat sedimentum sicut semper habuit in sanitate, est indicium illud sedimentum esse sedimentum sanorum & non ægrorum. 4. Si æger deliquerit in victu, est indicium esse sedimentum sanorum; si non deliquerit, esse sedimentum ægrorum. Porrò quòd in vrinis ægrorum possit etiam esse sedimentum sanorum, *probatur* 1. ex Rhase 31. *continentis cap.* 1. vbi dicit: *in ægrotis obseruari quòd otiosi & pingues*

pingues plus habeant in vrinis suis, cùm ægrotant, sedimenti. 2. ex Galen. 1. *de Crisi*, vbi dicit, *eos qui laborant febribus propter otium & plenitudinem, cùm incipiunt conualescere, habent valde multum sedimentum; ratio est, quia tales sani existentes habent multum sedimenti, eo quòd illis multum insit crudi*; ex quo patet ipsorum iam ægrotantium sedimentum multiplicari ab illo sedimento, quod habent existentes sani, seu ab illo crudo chyli insanguificato. Denique & Galen. sicut in sanis & cholericis modicum aut nihil est sedimenti, ita in iisdem febricitantibus à bile exiguum quoque esse. Et *probatur etiam ratione*, quia quid impedit quò minùs in febribus esset tam bene aliqua cruditas alimenti & aliquid chyli insanguificatum quàm in sanis, multò magis debet esse in ægris: nam sedimentum sanorum fit, cum coctio alimenti est diminuta; at in ægris magis est diminuta, quàm in sanis. Er. sedimentum sanorum magis debet esse in ægris quàm in sanis. Doctissimus Valesius videns hanc difficultatem dicit in vrinis febricitantium tantùm esse sedimentum ægrorum & non sanorum, quia, inquit, *etsi nihil impediat, quo minùs sanorum sedimentum possit in ægris generari, tamen*, inquit, *non excernitur, & sic non apparet; & ideò*, inquit, *quod in vrinâ apparet est tantùm sedimentum ægrorum, ideò autem*, inquit, *non excernitur, quia natura omnia retinet ad concoctionem.* Sed euasio non valet, quia si sedimentum in sanis exiret per expulsionem à naturâ factam, fortè responsio esset alicuius momenti, sed videtur quòd potiùs exeat in sanis per ablutionem; in tali autem casu Responsio non habet locum. Denique supponit illa responsio humorum maturationem in venis fieri, quod supra tum multis argumentis falsum esse satis videtur esse probatum. 3. Aliquid illa in principiis morborum, sed in incremento & magis in statu multum locum habet; nam tunc natura non ampliùs retinet ad coctionem, sed incipit excernere, quia tum coctio est facta; itaque tunc tam bene deberet excernere sedimentum sanorum quàm ægrorum; aut quæ esset ratio cur non tam æquè excerneret vnum ac alterum? ex eo itaque sequitur in vrinis febricitantium seu laborantium illis morbis venosi generis, qui coquuntur, posse esse duo specie distincta sedimenta; & consequenter dico sedimentum, quod in eorum vrinis apparet, interdum posse totaliter esse sedimentum ægrorum, interdum totaliter sedimentum sanorum, interdum mixtum ex vtroque: quia in febribus, quæ non sunt salutares, & in quibus non fit illa maturatio humoris morbifici non potest esse sedimentum ægrorum, quia humor putridus non coquitur, & tamen non impedit sedimentum sanorum vnà cum vrinâ abluti; ergo quod tunc in vrinâ apparebit, erit totum sedimentum sanorum: Er. contra potest fieri, vt coctio alimenti nulla fiat propter inediam, aut quia alimentum est valde euchymum, & natura optimè concoquat humorem morbificum; in illo casu in vrinâ non erit sedimentum sanorum, sed totum erit sedimentum ægrorum: & sic etiam potest medio modo fieri, vt etiam ex alimento relinquatur alia cruditas, &

humor quoque morbificus bene coquatur, & eo casu sedimentum erit mixtum. Ex hoc autem patet, debere esse magnam difficultatem in iudicando ex sedimento: nam cùm vnumquodque sedimentum habeat diuersam generationem, & diuersam materiam ex quâ debet indicare diuersissima, ideò vt sciatur quid indicet sedimentum, primò cognoscendum est cuius generis sit illud sedimentum, quod in vrinâ apparet, an sanorum an ægrorum. Hoc autem difficile est distinctu, eò quòd hæc sedimenta nullis notis sensibilibus à se mutuò possint dignosci; quâ autem ratione aliquo modo dignosci possint, supra dictum est.

Quæritur nunc, quæ sit causa efficiens separationis sedimenti per hoc enim quæritur, quid sit causa faciens substantiam sedimenti, seu quid sit illud, quod facit sedimentum iam generatum in venis in vrinis in matulâ permixtum separari à substantiâ seri, & seorsim ac in distincto peculiari vrinæ loco apparere, & quid faciat illa duo à se mutuò secedere, serum sc. & sedimentum. Potest itaque dubitari, an illa separatio fiat ab aliquâ facultate animæ separatrice, sicut separantur excrementa & humores in corpore à se inuicem; an verò à calore, an à frigore. Et dico in primis, non fieri illam separationem ab aliquâ facultate animæ, eò quòd illa separatio non sit motus vitalis; nam vbi non est anima non est potentia animę; in vrinâ autẽ non est anima; ergo nec animæ potentia. Communis medicorum sententia est causam illius separationis esse calorem, qui est in vrinâ: quo concesso adhuc est difficultas, quis calor ibi sit, an natiuus, an elementaris, an calor actualis vrinæ, an aliquis potentialis; & an calor vrinæ, an calor sedimenti. Aliqui dicunt causam facientem separationis esse in ipso calore, seu esse calorem sedimenti; & secundum hoc dicunt, nubeculam non ita perfectè separari ad fundum sicut hypostasis, eò quòd nubecula cum sit facta per imperfectionem coctionis, non habeat tam fortem calorem sicut hypostasis. At hoc non valet, quia si calor sedimenti esset causa separationis, sedimentum deberet sursum ferri, eò quòd id quod plus habeat caloris, magis debeat sursum ferri, quàm id quod habet minus: Et sic sequeretur quòd nubecula plus haberet caloris, quàm hypostasis; quod est falsum & omnium Medicorum doctrinæ contrarium. Etenim calor est causa motus sursum: & Aristoteles causam cur vapor ascendat, cum sit crassior aëre, dicit esse calorem ei inexistentem, quapropter notand. aliam posse esse causam separationis sedimenti; at descensus ad fundum aut ascensus causa est calor, sed vel flatuositas aut leuitas eiusdẽ maior vel minor, vel vrinæ, vel grauitas aut leuitas eiusdem; calor verò qui separat, non potest esse in sedimento tantùm, sed est in totâ vrinâ. Quo posito dubium est, an calor sit illud, quod separat; & videtur quòd sic: hypostasis quæ primò apparuit in vrinâ, postquam vrina diu sub dio stetit, euanescit; at hoc non fieri potest aliâ ratione, quàm quia calor euanescit. Er. *Probatur*: nam si frigus esset causa, quo magis vrina

esset

esset frigida, eo maior esset separatio; at experientiâ constat, quod sedimentum, quod ante fuit turbatum, propter frigus turbetur & separatio cesset; Er. frigus non est causa separationis. 2. in optimâ concoctione, in quâ calor est validissimus, fit optima & citissima sedimenti separatio; contra in vrinis crudis, & cum malè facta est concococtio, sedimentum non tam citò separatur, Er. calor est causa separationis. 3. omnes actiones quæ fiunt in corpore fiunt à calore, hic motus in vrinâ est quidam motus, qui naturaliter fit in vrinâ, & in vrinâ est calor: ergo videtur quòd calor illius motus sit causa. Sed dubitatur, quis calor hanc separationem faciat, natiuúsne an elementaris: videtur quòd etiam elementaris possit illam separationem facere quia calor qui vrinæ participatur est à corpore, at ille calor interdum est natiuus interdum igneus & elementaris: *anteced. prob.* nam in febribus calor est igneus; est enim febris caloris natiui conuersio in igneum; ergo calor vrinæ cùm sit participatus, erit similis participanti qui est in corpore; adeoque etiam igneus & elementaris; at in vrinis febricitantium fit etiam talis sedimenti separatio; ergo à calore illo elementari.

Pro resolutione dico, calorem elementarem non esse causam huius separationis, quod *Probatur:* quia calor ignis non facit hanc separationẽ; at iste est elementaris. Er. *Maior probatur.* Quia si vrina incalescat ab igne, peruertitur hypostasis & vrina corrũpitur, & nõ fit illa separatio; & ideò prohibent Medici ne vrina clara ponatur ad ignem. 2. quia cùm sæpe vrina fuit à frigore coagula, sic vt calor natiuus eius expirauerit, & si postmodum iterum calorem ab igne aut calidâ aquâ acquirat, non ampliùs deponet vrina veram hypostasim. Itaque separationis causa est calor natiuus, quem vrina à corpore participauit. Nihilominùs posset aliquis non abs re dubitare, an omninò hæc separatio fiat à calore; aliqua enim sunt, quæ videntur ostendere potiùs fieri à frigore; nam communis schola Medicorum dicit hanc separationem fieri à calore natiuo, sc. ab illo calore qui est participatus à corpore; at calor ille natiuus participatus est calor actu, & actualiter in corpore sensibilis: ergo talis deberet esse etiam ille calor participatus, qui est in vrinâ, nam quòd actualiter ille calor participatus sit in vrinâ & sensibilis, docet experientia; quia vrina micta percipitur calida; ergo si vrina separatur ab illo calore participato deberet separari ab illo calore, qui est in eâ actualiter & perceptibilis ad sensum: at cùm sedimentum incipit separari & apparere, tunc iam nullus ampliùs calor actualis est in vrinâ; ergo videtur, quòd nullus calor illam separationem faciat. *Probatur* nam scribunt Rhases & Nicolaus, quòd in corporũ gracilium & exercitatorũ vrinis sedimẽtum valde serò, sc. 4. aut 5. primùm horis post factam vrinam incipiat apparere; atqui tunc nullus ampliùs calor actualis est in vrinâ, nec vllus calor in eâ percipitur, imò ipsa percipitur frigida. Er. Denique aliquæ vrinæ etiam in hyeme & in matula stanneâ aut vitreâ non condensantur, & acquirunt hypostasim; in talibus autem propter frigus aëris debuit calor mox euanuisse. Er. in

tali

tali hypostasis non fuit separata à calore. 2. Si sedimentum separaretur à calore, deberet tum separari, quando calor ferè est maximus & vegetissimus, & sic deberet separari mox vt vrina est reddita; sed ita non fit, sed solùm dici post. Er. 3. videtur quòd calor potiùs fundet hypostasim & miscebit cum vrinâ, & sic faciet non videri; sicut cùm pinguedo humido aqueo miscetur, cum pingue est refrigeratum secedit ab aqueo & separatur, & cum aduenit calor funditur, & non ampliùs videtur separatum. 4. Sic videmus alia etiam, quæ in corpore vnita sunt, extra corpus disiungi & separari per frigus; vt patet in sanguine extracto, cuius partes separantur propter frigus. Er. forte idem fiet in vrinâ. 5. dicunt. Rhases & Nicolaus excrcitatis & macilentis serò sedimentum separari, ex quo colligitur sedimentum maximè separari ob densitatem & grauitatem: quod etiam videtur sensus docere, quia sedimentum sensibiliùs separatur & discedit, cùm est crassius quàm cùm est valde tenue; at grauitatis & densitatis causa non est calor sed frigus; E. potiùs frigus videtur esse causa huiusmodi separationis. Et notand. quòd in rebus separatio possit fieri multis modis: aliqua separantur à quadam facultate vel virtute internâ separante, aliqua separantur per hoc, quòd partes diuersæ sibi fiunt dissimiles, & aliæ incrassentur aliæ non. Vnde seorsim fiunt visibiles; sic aqua & pinguedo, cùm sunt fusa, apparent vnum; cùm pinguedo est incrassata, apparent separata. Aliqua separantur per hoc, quòd differant in grauitate & leuitate, quat. leue tendit sursum, graue deorsum; & sic interdum realis separatio est prior, & postea succedit iam separatorum motio & collectio in diuersa loca. Interdum contra, prior est motio ad diuersa loca, & ex hâc consequenter sequitur separatio. Quapropter potest dubitari, an priùs calor virtute suâ faciat separationem sedimenti ab vrinâ, & illa iam separata secedant ad diuersa loca; an verò non calor sed partes crassæ petant deorsum, aqueæ remaneant sursum, & sic per hoc separentur. Si primo modo separetur sedimentum, tum calor esset causa separationis; si secundo modo, tum non calor, sed grauitas aut leuitas sedimenti. Videtur itaque dici posse, in vrinâ esse dissimiles partes; aquam quæ est leuis & tenuis; & sedimentum quod est crassius & graue. Primò non apparet sedimentum, quia vrina est adhuc calida; calor autem fundit sedimentum & seruat vnitum cum vrinâ, & non seorsim visibile; at cum calor expirat, sedimentum quod est crassius, incipit à frigore coagulari, coagulatum fit densius & sic fit seorsum visibile; & fit grauius, & sic petit fundum, & hâc ratione fit ipsius separatio; quod si ita fieret, tunc separatio fieret non à calore sed à frigore. Hanc dubitationem vobis propono, vt eam ipsi examinetis & diiudicetis, & videatis quàm sint omnia hæc dubia & incerta. Ergo, vt breuis sim, relinquo eam indecisam; hoc breuiter addo, veritati magis consentaneum videri, separationem hypostasis partim fieri à calore, partim à frigore; primò calorem natiuum; qui est in vrina actu, dum adhuc actu est, virtute suâ

quâ

quâ calor, natus est heterogenea separare, separare substantialiter partes crassas à tenuibus & substantialiter separatis postea superuenire frigus, & sedimentum illud, quod crassius est, condensare; condensatum & factum grauius grauitate suâ vlteriùs separari cum distantiâ loci, sic vt ipsum feratur vel ad imum vel ad alium locum. Itaque prima separatio simplex seu separatio secundum substantiam fit à calore. Secunda & vltima seu localis, quâ sedimentum vergit ad certum locum, non fit à certo loco, sed à tenuitate & crassitie; & ita principium separationis seu separatio substantialis est à calore, & nullo modo à frigore; at consummata separatio & localis, seu separatio cum distantiâ loci fit à grauitate, & per accidens quoque à frigiditate & ideò prima separatio, seu separatio substantialis fit necessariò, cum vrina adhuc habet calorem; vltima seu localis potest fieri etiam, cùm vrina incipit refrigerari: & hoc ita de facto fieri apparet; nam primò cùm vrina est adhuc tepida, cernitur per totam vrinam sedimentum per minimas nubeculas dispersum; posteà cùm refrigescit, tum primùm euidenter cernitur cum distantiâ loci.

His de naturâ sedimenti prælibatis, quæritur in generali quid sedimentum significet; pro quo sciendum, vt dictum est, duplex esse sedimentum, sanorum sc. & ægrorum; sanorum sedimentum est portio chyli seu alimenti crudior insanguificati; sed tum ægrorum est portio humoris morbifici putridi in venis concocti & maturati; quo posito dico inprimis omne sedimentum sanorum indicare aliquam concoctionem; quia quando vrina est omninò cruda & aquea, tunc nullùm aut saltem exiguum apparet sedimentum; interim etsi omne sedimentum indicet aliquam coctionem, non omne tamen sedimentum indicat bonam coctionem; sed aliquando indicat bonam, aliquando malam, id est, non valde-bonam. Itaque optimum sedimentum indicat optimam concoctionem: malum, cruditatem. Optimum sedimentum est, quod non est nimis paucum neque nimis multum, sed mediocre, quodque optimè est exterminatum, acuminatum seu formam pyramidis gerens, album, æquale, non planum contra fundum matulæ iacens, sed quasi in fundo matulæ volitans ac suspensum. Malum est, quod est nimis multum, nimis crassum, diuulsum non album, non acuminatum sed planum sedimentum. Ergo per se neque indicat concoctionem neque cruditatem absolutè, sed tale vel tale, nempe malum, cruditatem; bonum, optimam sanitatem & coctionem; nam etsi sedimentum sit cruditas insanguificata, quat. tamen est cruditas optimè attenuata indicat optimam concoctionem; mala enim coctio non posset illud crudum sic attenuare, præcipuè si illud crudum sit paucum; nam tum illud crudum arguit vitium alimenti, seu fuisse partes crudas in alimento, quod non est vitio caloris aut concoctionis adscribendum; sed si illud crudum est multum & crassum, tunc non tantùm indicat vitium alimenti, sed etiam caloris; quia si calor esset validus & concoctio optima, non tam multum

crudi ex alimento relinqueretur, sed in sanguinem bonum conuerteretur. Verùm quæritur: si sedimentum multum est signum cruditatis, paucum sanitatis, quale signum sit sedimentum nullum? an est melior vrina cum sedimento nullo, an cum aliquo; si ideò non est in vrinâ sedimentum quod non potest videri, eò sc. quòd vrina sit crassa, turbata; alba, nigra, rubra, tunc nullum esse sedimentum est malum signum, non quidem per se sed per accidens, quat. sc. est malum signum vrinam esse crassam & prauis coloribus præditam, quæ faciunt sedimentum, quod forsan est in vrinâ, non apparere: si verò vrina est talis, quòd in sedimentum possibile est videri, vt si tenuis sit & clara, tunc est distinguendum: nam si est tenuis alba & aquea, tunc nullum apparere sedimentum est malum, & tunc est signum magnæ cruditatis vel obstructionis; quòd sc. propter obstructionem nihil potuerit transire, nisi mera & tenuissima aquositas. At si vrina est pulchra tum colore tum substantiâ, tunc quò paucius est sedimentum eò meliùs; imò nullum esse omnium optimum. Et hæc de sedimento sanorum. Quoad sedimentum ægrorum dico, quòd in morbis acutis & venosi generis & in iis qui concoquuntur, & in quibus sedimentum solet esse pars humoris morbifici & putridi, sedimentum quod in vrinâ apparet, non est necessariò semper sedimentum ægrorum, sed potest esse sedimentum sanorum, seu potest esse ex vtroque mixtum: & propterea ex tali sedimento est fallax & incertum iudicium; nam illa duo sedimenta diuersissima indicant; & ideò oportet primò scire dignoscere, an sedimentum illud, quod in vrinis talium morborum apparet, sit sedimentum sanorum an verò ægrorum: nam si est sedimentum sanorum, tunc nihil super statu causæ morbificæ indicat, nec super humore putrido morbum faciente, neque potest indicare morbi cruditatem aut concoctionem, neque crisim, neque salutem neque mortem, tantùm indicat super concoctione alimenti, & tum indicat statum partium naturalium, & parum aut multum pituitosi & crudi humoris esse in venis. At si est verum sedimentum ægrorum, in quantum tale sedimentum, tunc est, pars humoris morbifici concocti & superati à naturâ, in tantum indicat super statu eius, sc. an causa morbifica concoquatur, & à naturâ superetur, nec ne, & an natura eam concoquat sufficienter nec ne, an nimis tardè, an celeriter; & consequenter indicat, an morbus curabitur nec ne; an crisis fiet nec ne, bona an mala, breui an serò.

Si sedimentum est mixtum ex vtroque, sc. ex sedimento sanorum & sedimento ægrorum, tunc mixtum indicat, & tunc est indicium incertum; quia est difficile iudicare, quâ proportione illa sedimenta coiverint. Itaque sedimentum ægrorum apparens in vrinis talium acutorum morborum est bonum signum, præcipuè apparens in incremento & statu, sc. eo tempore, quo potest natura iam causam morbi concoxisse; sed si aliquod sedimentum appareat in principiis talium morborum, tunc verisimilius est illud non esse sedimentum ægrorum, sed sedimen-

tum

tum sanorum ; Itaque in incremento apparens sedimentum indicat causam morbificam concoqui : & si illud sedimentum insuper habeat bonas aliquas qualitates, est indicium causam morbificam coqui ; & insuper est indicium, quod facultas expultrix sit adhuc valida, quæ causam morbificam non tantùm coquat, sed & expellat : est etiam insuper indicium, quòd calor natiuus sit adhuc validus, & quòd non tantùm cum vrinâ expellatur sedimentum, sed quòd expulsum & vrinæ permixtum virtute caloris naturalis insuper etiam separetur ab ipsâ vrinæ substantiâ, & seorsim etiam visibile fiat ; indicat etiam vrinæ substantiam mediocriter esse elaboratam, & non nimis crassam, nec admixtis aliis humoribus crudis turbatam ; ex eo quòd sedimentum sit visibile : nam si vrina esset crassa, turbida, referta crudis humoribus, sedimentum non esset in eâ visibile : & quat. sedimentum hæc omnia indicat, eatenus indicat naturam esse superiorem, & domituram esse ac expulsuram causam morbificam, & morbum salutariter finitum iri.

Porrò sedimenti variæ sunt differentiæ : quarum aliæ desumuntur ab ipsâ sedimenti essentiâ, aliæ à quantitate, aliæ à qualitate. Substantiæ modo & situ. A quibus singulis propria signa desumuntur.

Quòd ad diffentiam à sedimenti essentiâ, notand. sedimentum aliud esse naturale, legitimum & verum, & sedimentum propriè dictum; aliud non verum, falsum, nothum seu non naturale. Sedimentum verum est illud quod natat seu potiùs volitat in vrina instar nubis, albi coloris, simile illi nubeculæ, quæ volitat in vrinis sanorum ; & vtrumque sedimentum, tam illud quod volitat in vrinis sanorum, quàm quòd in vrinis ægrorum ac febribus laborantium; Vtrumque, inquã, dico esse verum & legitimum sedimentũ, siue natet in summo, quod dicitur nubecula, siue in medio quod vocatur suspensum seu eneorema ; siue in imo, quod vocatur hypostasis, & illud sedimentum adhuc habet terminos latitudinis; nam aliud est crassius, læuius, albiusque altero, & tamen quamdiu terminos iustos suæ latitudinis seu mediocritatis non excedit, est verum & legitimum sedimentum. Est insuper aliud sedimentum, quod non est verum & legitimum, quod apparet quidem in fundo vrinæ, sed non fluitat aut volitat, nec vnquam volitauit per modum nubis, sicut verum sedimentum, sed statim subsidit ad fundum, & non apparet in vrinâ acuminatum aut pyramidale, sicut verum sedimentum, sed habet vndique æqualem & horizontalem altitudinem, & iacet in fundo planum, crassum & coagmentatum, sicut quidam mucus, & hoc est quid diuersum à sedimento, & alterius naturæ ; & est vel pus vel mucus quidam & pituita cum vrinâ à naturâ expulsa ; & debet potiùs dici crassamentum quàm sedimentum, & est sedimentum non naturale ; & hoc crassamentum differt à sedimento, quod sit quædam substantia cruda, minimè cocta ac pituitosa; cum è contra sedimentum verum sit valdè coctum & attenuatum. Est equidem verum quòd sedimentum sanorum sit etiam substantia quædam cruda, insanguificata, & sic quoque

quædam cruditas; sed est tamen cruditas valde excocta & extenuata instar nubis cuiusdam ac tenuis vaporis; & sic saltem est signum coctionis: Hoc verò crassamentum est quædam substantia longè crudior, crassior, valde terrestris & grauis ac viscidior; & sic est signum meræ cruditatis vel tum primùm genitæ vel tum saltem à naturâ expulsæ. Vbi notand. equid. est, quòd verum sedimentum, etsi primùm benè volitauerit in vrinâ per modũ tenuis nubis, vel in summo vel medio & tandem in imo, & cum figurâ acuminata & pyramidali; tamen in fine cum vrinâ diu stetit & post longam subsidentiam etiam planè descendit ad fundum & ibi etiam condensatur per modum iam dicti crassamenti, & perdit suam figuram acuminatam & pyramidalem, & iacet planè in fundo sicut dictum crassamentum: sed distinguitur tamen à crassamento, quòd crassamentum statim & primò sic ad fundum descendat, & nunquam ante aut in principio volitarit in vrinâ per modum nubis acuminatæ: sed verum & legitimum sedimentum sic: Hoc ergo sedimentum seu crassamentum non est sanorum sedimentum, nec est quid naturale vrinæ sicut sedimentum sanorum, sed est quid non naturale; neque est sedimentum ægrorum aut portio humoris morbifici putridi febrem facientis cocti ac maturati; & ideo non potest ex eo sumi signum conueniens super statu morbi & causæ morbificæ; sed vel est pus, vel quidam mucus crudus pituitosus, qui nihil aliud indicat, quam cruditatem & humoris pituitosi in venis copiam, & casualem eius expulsionem.

A Quantitate etiam sumuntur differentiæ sedimenti; quia sedimentum vel est paucum, vel est multum. Pauci vel nullius sedimenti causæ sunt, vel quòd reuerà nullum in vrinâ sit sedimentum, vel quòd, etsi sit, tamen non apparet; potest enim esse, quòd in vrinâ actualiter sit verum & bonum sedimentum, & tamen non videatur. Hoc fieri potest vel propter vrinæ colorem vel crassam substantiam, vel admixtos crassos & viscidos humores. Propter colorem; quia si color sedimenti sit similis colori vrinæ, vel si vrina habeat aliquem excessum coloris à sanguine, bile, vel melancholiâ, quæ tingat sedimentum, ita vt appareat quid vnum cum vrinâ, tunc non bene distinguitur ab eâ; vt si vrina sit cruenta, nigra, liuida. Propter substantiam, si vrina habeat substantiam valde crassam & sit obscura, tunc non potest bene videri sedimentum in eâ. Propter admixtam aliquam materiam crassam; quia si vel crassæ sordes melancholicæ; vel pituita, pus, semen vel aliquid sanguinis vrinæ sit permixtum, inuoluitur sedimento & permiscetur cum eo, & trahit ipsum ad fundum, ita vt non appareat seorsim in formâ sedimenti aut nubis, sed appareat tantùm veluti crassamentum seu sedimentum falsum. Si vrina est tenuis cum claritate sine multis sordibus, aut crassamento, & non appareat sedimentum ibi non est; sed si vrina habeat crassamentum, aut si turbata, aut valde crassa, tunc fortè in eâ est sedimentum & non videtur, & fortè non est; cùm enim

enim non videatur, non poteit iudicari an sit nec ne. Porrò sedimentum quod videtur, si est paucum, vel est sedimentum ægrorum vel sanorum. Paucum sedimentum sanorum fit vel ob magnam cruditatem, vel optimam concoctionem & perfectam sanitatem. Si vrina est tenuis alba, cruda, æger stomachi dolore, vel debilitate, vel frigidâ intemperie laborer, & non appareat sedimentum in vrinâ, est signum malum & malæ coctionis; sed si æger videatur valere omnibus functionibus, & vrina sit spicei coloris, clara splendida, & habeat pauciſſimum sedimentum, tunc hoc è contra est signum perfectæ sanitatis. Porrò qui temperamento sunt frigido, sexu fœmineo, tempore verno, in otio degentes, cibis frigidis & crassis vtentes, crapulosi, plus comedentes, quàm ventriculus possit concoquere, pueri quia sunt voraces, pingues, &c. hi omnes multum & crassum habent sedimentum. Bilioſi, exercitati, calidi & sicci, graciles tenue, &c. paucum. In sanis paucum sedimentum cum optimâ vrinâ semper est bonum signum; quò plus est & crassius, eò maiorem indicat cruditatem & est peius. At sedimentum ægrorum seu in iis, qui laborant acutis morbis, seu morbis, qui concoquuntur, quò plus est sedimenti, præcipuè eo tempore, quo causa morbifica coquitur, eo est meliùs. Quoad ergo sedimentum ægrorum in morbis acutis, sedimenti absentia indicat cruditatem; ideò in principiis morborum non apparet sedimentum, aut si apparet, est tantum sedimentum sanorum & non ægrorum, indicat causam morbificam à naturâ concoqui & maturari, & futuram bonam crisim & salutem. Ità cum morbus non coquitur, & causa morbi est nimis multa & maligna tunc non apparet sedimentum; & ideò si sedimentum non apparet in augmento aut in statu aut valde paucum, est malum signum; nullius scilicet aut imperfectè criseos futuræ, adeoque futuræ mortis.

A qualitate etiam sumitur differentia: & primùm à visibili; nam sedimentum interdum est album, interdum flauum, liuidum, rubrum. Album sedimentum fit ab optimâ coctione; ideò tale, modò habeat reliqua accidentia bonitatis, est semper bonum; nam si sit simul graue crassum & tenax, tunc est potiùs pituitosum crassamentum. Reliqui colores fiunt ab humore, à quo sedimentum deciditur seu cuius est pars; citrinum ab abundantiâ bilis, vel cùm causa morbi est bilis, vt in tertianâ: liuidum cum causa morbi est melancholia: rubrum, cùm sanguis est admixtus. Hinc sedimentum citrinum indicat fieri morbum à bile; liuidum à melancholiâ; rubrum indicat admixtionem sanguinis, qui, quia admiscetur, vel debilitatem renum, vel malam seri à sanguine separationem, vel cruditatem, ideò aliquod istorum indicat. Præterea in vniuersum eiusmodi sedimenta in acutis morbis apparentia sunt mala & lethalia; indicant enim cruditatem, & naturam illas causas morbificas non bene concoxisse; quia si bene vel exactè coxisset, sedimentum quod est portio eorum deberet habere colorem album, & non illos colores prauos.

Ab olfactu etiam sumuntur differentiæ: quia aliquando sedimentum fœtidum est, aliquando non: si est fœtidum summam indicat malignitatem & mortem.

A substantiæ modo; quia sedimentum aliud est crassum, aliud tenue. Crassum fit vel ratione materiæ ex quâ est genitum, vel ratione humorum crassorum, qui cum vrinâ excernuntur, & sedimentum inuoluunt; vel ratione coctionis bonæ vel malæ: Ratione materiæ, *ex quâ*; nam cum in morbis acutis sedimentum sit portio humoris morbifici, & sic humor morbificus sit materia eius, si humor morbificus sit bilis, sedimentum est tenue; quia bilis est humor tenuissimus; si melancholia, pituita, &c. sedimentum erit crassum. Ratione humoris admixti; nam potest fieri, vt bonum quidem generetur sedimentum, & tamen à naturâ simul cum eo aliqui humores crudi & crassi per vrinam excernantur, qui sedimento permixti, ipsum reddunt crassum, cùm tamen ipsum per se & per generationem sit tenue. Ratione coctionis potest dubitari, ab bona coctio faciat sedimentum tenue an crassum; aliqui enim tenue habent pro optimo, & dicunt illud sedimentum esse optimum quod à calore maximè est attenuatum. Alij è contra dicunt sedimentum crassum esse optimum, eò quòd concoctio procedat incrassando, quod probatur: quia pus quod est mediocriter crassum, est optimum, quod verò tenue est & aquosum, est malum; sic semen, quod est crassum, est optimum & maximè concoctum. Etsi hæc omnia plena sint difficultatibus, dico tamen breuiter: sedimentum illud esse optimum, quod est mediocriter crassum, tali sc. crassitie, qualis potest per coctionem induci; At quod est supra modum crassum, est malum; quia tale non potest esse factum à validâ coctione, sed solùm à materiâ admixtâ: Vlteriùs in statu sanitatis quod est tenue est melius; in statu ægritudinis melius quod est crassum.

A situ sumuntur differentiæ: nam aliquando sedimentum natat in summo, & tunc dicitur nubecula; aliquando in medio, & tunc dicitur suspensum seù eneorema; aliquando in imo & vocatur hypostasis. Vt autem sciatur quodnam horum sit meliùs, & quid vnumquodque indicet, oportet scire causam, cur aliquando sedimentum natet in summo, aliquando in medio, aliquando in imo. Causæ autem diuersis diuersæ ponuntur. Aliqui dicunt flatus permixtos esse causam, quòd sedimentum petat locum summum: quod videtur rationi consentaneum esse; quia flatus cùm sunt leues sursum petunt & volunt esse super aquam & vrinam, & ita secum eleuant sedimentum: & hoc voluit Hippoc. quando dixit suspensum indicare delirium, quat. sc. suspensum indicat flatum esse in vrinâ, & consequenter etiam in corpore; qui caput petunt & eâ ratione possunt facere delirium: & hâc ratione dicunt multi Medici nubeculam & suspensum indicare magnam humorum in capite agitationem à flatu; vbi autem talis agitatio est, multi etiam vapores ad caput feruntur, & fit delirium; &

sic

sic hâc ratione dicunt nubeculam esse malam, quia indicat flatus, qui multorum malorum possunt esse causæ. Alij fatentes etiam nubeculam fieri à flatu eleuante, dicunt eatenus nubeculam esse malam, quat. flatus generatur à debili calore, & sic nubecula indicet caloris debilitatem & imperfectam coctionem. Hypostasim verò dicunt longè esse meliorem, & signum bonæ coctionis & validi caloris, quat. indicat nullos flatus in corpore generari. Porrò posito quòd flatus sint causa situs sedimenti in alto, quæri potest, quis flatus hoc faciat, an ille qui est in sedimento, an ille qui est vrinâ. Videtur autem quòd ille flatus possit esse in vtroque; nam siue sit in vno siue in altero, necessariò debebit sedimentum eleuare: posito ergo, quòd tales flatus sint in vrinâ, dicunt consequenter Medici pro maiore aut minore copiâ flatuum sedimentum vel in magis vel in minùs altum locum eleuari; à pluribus flatibus fieri nubeculam, à paucioribus suspensum; & sic dicunt ideò nubeculam indicare plures flatus & maiorem cruditatem & maiorem debilitatem caloris quàm suspensum. Sed primùm hæc doctrina mihi displicet; nam in primis videtur vanum esse dicere multos flatus eleuare sedimentum vsque ad summum, paucos autem vsque ad medium; quia tam bene pauci flatus summum petunt quàm multi, & ideò pauci flatus tam bene eleuabunt sedimentum vsque ad summum quàm multi: nam tam altè paucus ignis ascendit quàm multus, & tam bene ad centrum vsque descendit paruus lapis quàm magnus; si enim vnquam est flatus in vrinâ, ille cum sit aërius, est multò leuior totâ vrinâ; ergo semper debebit supra totam vrinam ascendere, & consequenter sedimentum semper vsque ad summum vrinæ eleuare; qui enim flatus, sua leuitate vsque ad medium vrinæ ascendit, debet continuando motum necessariò etiam ascendere vsque ad summum; & tam bene videtur pauciſsimus aër per aquam ascendere, & exire in paruâ bulla, quàm multus in magnâ.

Dicet aliquis: multum aut paucum flatum non esse causam, cur sedimentum ascendat vel ad summum vel ad medium, sed flatum tenuem & crassum esse causam, dicetque sic flatum, cùm sit leuior & altiora petat, eleuare sedimentum vsque ad summum, crassiorem verò cùm grauior sit & non tam altè feratur, non posse etiam eleuare sedimentum vsque ad summum: crassiorem verò, cùm grauior sit & non tam altè feratur, non posse etiam eleuare sedimentum vsque ad medium. Verùm hoc etiam non valet; quia quantumcunque flatus est crassus, semper est leuior aquâ & vrinâ, & ideò qualiscunque sit, semper deberet vsque ad summum vrinæ ascendere, & secum eò vsque sedimentum eleuare. 2. hoc ideò non valet, quia secundum hoc sequeretur, quòd nubecula esset meliùs signum quàm suspensum, quod est communi Medicorum doctrinæ contrarium; quia nubecula fieret à tenuissimo flatu, suspensum verò à crassiore; tenuis autem flatus fit à maiore coctione & validiore calore quàm crassus. Posito ergo quòd aliquando sic sint

flatus

flatus in vrinâ, adhuc tamen hæc doctrina propter illas rationes non videtur valde probabilis; sed insuper posse dici videtur, quòd nunquam tales in vrinâ flatus contineantur. Pro quo dico 1. quòd vbi est calor & humidum, ibi semper est aliqua expiratio & vapor; & ideò concedo & est certum, quòd ex vrinâ quamdiu est calida, semper excitetur aliquis vapor, qui ascendit per corpus vrinæ, & expiret extra eam in aërem. 2. quòd etsi vrina sit excrementum, tamen semper sit aliquis spiritus naturalis vel vitalis in eâ, qui etiam paulatim expirat; ille autem cùm sit in omni vrinâ, non potest esse causa diuersi huius situs sedimenti; præter illum autem non videtur, quòd in vrinâ possit esse vllus alius flatus, qui cum eâ è corpore exeat, primò quia flatus non habitant & non stabulantur in illis partibus, per quas vrina transit. 2 quia illi flatus non possunt cum vrinâ descendere, nec cum eâ miseri, & etsi cum vrinâ miscerentur, deberent illi flatus auolare, cum non sint vrinæ interni aut intrinsecati, sed tantùm per simplicem admixtionem vniti; aut si in vrinâ essent, deberent videri per bullas in vrinâ excitatas exire, sicut aër sub aquâ contentus excitatis bullis effertur. Alia causa, quæ videtur facere posse, quòd sedimentum sit interdum in summo, interdum in imo, &c. est leuitas & grauitas, tenuitas & crassities tum sedimenti tum ipsius vrinæ: sedimenti; quia si sedimentum est tenue & leue, volitabit in alto, nec facilè fundum petet; si est graue & crassum, citò petet fundum. Vrinæ; quia sedimentum quod in vrinâ tenui fundum peteret, in crassa posset manere suspensum; quod enim est leue in medio crasso, est graue in medio tenui, & contrà. Itaque tenuitas vrinæ & grauitas ac crassities sedimenti sunt causa, quòd sedimentum petat fundum; contrà tenuitas sedimenti at crassities vrinæ sunt causa, quòd sedimentum in alto volitet. Ex hoc ergo patet, quod sedimentum esse in summo, non necessariò semper indicet flatus, ac consequenter caloris imbecillitatem & cruditatem; sed sæpè tantum iudicet sedimenti tenuitatem & leuitatem. Porrò est hic quoque sua difficultas: nam non videtur, quòd possit sedimentum vnquam volitare in alto ratione suæ tenuitatis & leuitatis; nam quantumcunque sedimentum sit tenue & leue, semper tamen est grauius vrinâ; quia sedimentum est pars grauior & crassior vrinæ, itaque semper debebit esse in infimâ parte vrinæ, neque vnquam poterit esse supra eam. 2. quia sic iterum sequeretur, quòd nubecula esset melius signum hypostasi; nam nubecula esset tenuior, & consequenter magis cocta quàm hypostasis: nam quod est magis à calore attenuatum, est magis coctum & magis spirituosum. Ex his patent huius materiæ difficultates. Interim nos secundū communem Medicorū sententiam dicamus duas esse causas nubeculæ seu situs in summo; tenuitatem sedimenti & flatus: hypostasis verò grauitatē sedimenti & absentiā flatus; suspensi verò sedimenti mediocrem crassitiem, & flatus aliquos sed non multos. Vt itaq; sciatur quale signū sit nubecula, quale hypostasis, &c. est distinguendum, vtra istarum sit causa sedimenti sursum vel deorsum existentis.

stentis. Si causa sunt flatus, tunc nubecula est mala,& peius signum suspenso vel hypostasi; & indicat multos flatus esse in corpore, & consequenter caloris imbecillitatem & imperfectam coctionem;& indicando flatus potest etiam consequenter indicare humorum in corpore agitationem, propterea quod ea aliquando à flatibus fieri possit; sic hypostasis nisi fiat à crassitie sedimenti, indicat absentiam flatus, perfectam coctionem & fortem calorem natiuum; sed si nubecula aut hypostasis non fiant à flatu, sed à tenuitate, leuitate, aut crassitie sedimenti; tunc non indicat illa, sed tantùm indicat illa, quæ sunt causa sedimenti tenuis vel crassi; & propterea non est vniuersaliter verùm, vt quidam Practici putant, quòd nubecula semper indicet flatus & cruditatem,sed tantùm tunc cùm situs ille sedimenti à flatu in vrinis existente causatur. Causæ autem tenuitatis sedimenti aut crassitiei sunt interdum spirituositas sedimenti, vel spirituum absentia; hinc enim sedimentum est tenuius, leuius, grauius & crassius. Interdum materia ex quâ tenuitas & crassities; sic qui cibis vescuntur tenuibus & facilè digestibilibus, habent potiùs nubeculam aut suspensum in suis vrinis; qui verò crassis, habent potiùs hypostasim; ex iis enim fit leue & tenue sedimentum, ex his crassum. Sic ex humoribus biliosis fit potiùs sedimentum tenue & leue seu nubecula; ex pituitosis & melancholicis potiùs crassum, graue & hypostasis; ex mediis omnibus suspensum. Itaque cum sedimenti situs non fit propter flatus, tunc tantùm indicat materiam *ex quâ* sedimenti esse tenuem & spirituosam; & tunc nubecula non est malum signum; & ita dicunt Medici, quòd in complexionibus biliosis & in iis, qui tenui victu vtuntur, & in morbis qui causantur ab inediâ & laboribus nubecula sit tam bonum signum quàm hypostasis, eò quòd in illis non fiat ab imperfectâ coctione, sed tantùm ab humorum tenuitate: Vnde nubecula in morbis biliosis est tam bonum signum, quàm hypostasis in pituitosis. An autem situs sedimenti causa sint flatus, an tenuitas seu crassities tum sedimenti tum vrinæ, dignosci potest ab ipsâ tum sedimenti tum vrinæ consistentiâ: quia si vrina habeat multas bullas & difficulter dissolubiles, & sedimentum appareat spissum & crassum, & volitet in summo vel in medio, est signum situs illius causam esse flatus; sed si è contra vrina nullas vel paucas bullas habeat, & sedimentum sit tenue & rarum, & præcipuè si cum illâ tenuitate in alto volitet, signum est causam situs ipsius esse tenuitatem. Alij dixerunt causam cur sedimentum aliquando volitet in summo, aliquando in imo, &c. esse, quòd materia *ex quâ* sedimenti veniat à partibus superioribus vel inferioribus corporis, eo quòd sedimentum ex naturali quadam sympathiâ cum illis partibus habeat similem in vrinâ positionem, quam habebunt humores in corpore,ex quibus ipsum est generatum:& sic dicunt, quòd nubecula indicat humores morbosos existere in superioribus partibus corporis, & quòd indicet affectus capitis. Suspensum humores existere in mediâ parte corporis, & indicare affectus thoracis,

stomachi, hepatis, &c. hypostasim verò affectus infimi ventris. Et hanc doctrinam tradidit Actuarius antiquus & celebris Medicus. Sed est falsa & explosa ab omnibus Medicis posterioribus; etenim quod in vrinâ est, non petit locum consimilem loco, vnde prouenit, sed prout eius grauitas & leuitas requirunt. Hoc patet in pinguedine, quæ etiamsi proueniat à colliquatione partium inferiorum, non tamen propterea natitabit in fundo vrinæ, sed semper in summo, quia sc. natura pinguedinis ita exigit, non autem quia venit ex altis aut imis partibus; si pus ex thorace cum vrinâ excernatur, illud non ideò in summo natitabit, quia à superioribus corporis partibus procedit, sed semper fundum petet; quia sc. naturâ suâ est grauis vrina; eodem ergo modo sedimentum non fluitat in summo vel in imo, quòd à summis vel imis partibus corporis procedat, sed quia leue est vel graue, ac à flatibus vel attollitur, vel non attollitur, sunt & aliæ differentiæ sedimenti; nam aliquando sedimentum est læue & æquale, aliquando asperum & inæquale. Læue sedimentum est quod est continuum & vnitum & cuius omnes partes inuicem cohærent vnitæ, sicut vnus paruus continuus monticulus. Asperum seu diuulsum & inæquale est, cùm est dispersum fissum ac disceptum in partes diuersas, non vniformiter ac pyramidaliter sibi mutuò cohærentes. Quid sit sedimentum æquale vel inæquale medici variant: potest enim æqualitas duobus modis considerari, vel quoad substantiam, vel quoad tempus. Æquale quoad substantiam est, cuius omnes partes æqualiter quoad substantiam sunt vnitæ, læues, albæ, æquè tenues aut crassæ, & eodem modo coctæ; & sic æquale comprehendit in se sedimentum læue. Æquale quoad tempus est, quod omnibus horis & pluribus diebus non variat, sed vno tempore est sicut alio. Aliqui dicunt per æquale debere intelligi æquale primo modo, sc. secundum substantiam, alij secundo modo, id est, secundum tempus. Æqualitas à Galen. & ab omnibus medicis commendatur, & semper est bona. Cùm itaque sedimentum malum bene possit esse æquale quoad tempus, & tale tamen sedimentum sit pessimum, imò eò peiùs, quò magis est æquale, videtur quòd per æquale non debeat intelligi æquale secundum tempus, sed æquale secundum substantiam. 2. quia in morbis pro diuersis eius temporibus sedimentum bonum debet variari, & non potest esse vno tempore sicut altero; & sic non potest esse æquale secundum tempus; ideò videtur quòd potiùs per æquale debeat intelligi æquale secundum substantiam quàm secundum tempus. Dico tamen vtrumque intelligendum esse, sc. quòd sedimentum bonum, album, in fundò, læue, acuminatum, &c. si simul sit æquale secundum tempus, tunc est optimum: indicium enim est sanitatis constantis, & bonitatem illam non esse casualem aut fortuitam, sed à solido fundamento, bonâ coctione & valido calore; sed si sedimentum in se sit malum, & tamen sit æquale quoad tempus, tum tantò est peius: & si est malum aut mediocriter bonum, & fiat meliùs, & si eo ipso non sit æquale sed inæquale; quia tamen ex malo fit melius,

debet

debet haberi bonum. Et hæc æqualitas quoad tempus maximè bona est tum in sanis tum in morbis, qui non concoquuntur, neque determinatis temporibus, principio, incremento, &c. distinguuntur; nam in acutis: qui coquuntur, & manifestè sic temporibus distinguuntur, non est necessarium ad sedimenti bonitatem, vt sit omnino æquale secundum tempus, sed sufficit pro ratione temporis esse æquale secundum substantiam: nam gradus concoctionis in venis fientis & morbi temporum non permittunt, vt dixi, sedimentum plane secundum tempus esse æquale. Æqualitas secundum substantiam non est etiam simpliciter bona, nec simpliciter mala: si sedimentum habet omnes bonas conditiones, & simul sit æquale secundum substantiam, sic vt sit læue, vnitum, non diuulsum, omnibus partibus æquè album, æqualiter assurgens in pyramidem eodem loco contentum & æquè tenuè, est optimum: est enim indicium calorem qui coxit, esse naturalem, coctionem esse vniformem & perfectam, & non esse in corpore humorum peccantium diuersitatem. At si sedimentum habeat malas conditiones, & cum illis sit æquale est pessimum; quia indicat malitiam extensiuè esse maiorem, & nihil esse, quod sit bene coctum. Si sedimentum sit aliqua parte bonum, & tamen non æquale sed diuulsum, & aliæ eius partes sint albæ, aliæ praui coloris, aliæ tenues, aliæ crassæ, &c. minus bonum signum est; quia indicat bonitatem illam sedimenti non esse firmam & stabilem neque vniuersalem.

Quæres, quid ergo indicet propriè sedimentum asperum & diuulsum; Dicunt Medici indicare flatus in vrinâ, qui per sedimentum penetrantes illud diuellant, ac eos quidem paucos; quia si essent multi, totum sedimentum vel ad medium vel ad summum locum attollerent. Sed meo iudicio causa est, quòd sedimenti partes omnes non sint vniformiter coctæ, aut vniformiter leues & graues, & ideò non sint vnitæ, sed hæreant in diuersis locis. Hoc autem fit, vel quia humores concoquuntur in diuersis locis, sc. in aliquibus meliùs perfectè; vel quia humores qui coquuntur, inter se sunt diuersi; vt cùm morbus à pluribus diuersis producitur humoribus; & sic meo iudicio sedimentum diuulsum potiùs indicat diuersitatem humorum morbificorum & inæqualem eorum coctionem, quàm flatus in vrinâ contentos. Est tamen hic notand. illud sedimentum verè esse sedimentum diuulsum, quod habuit sufficiens tempus ad sui vnitatem & coagmentationem; nam quod illud non habuit non potest esse æquale, sed necessariò adhuc debet esse diuulsum; quia sedimenti portiunculæ à singulis vrinæ partibus secedunt, & morâ temporis simul descendunt & congregantur. Sedimentum inæquale quoad substantiam dicunt Medici indicare prauitatem concoctionis; quia simul indicat calorem natiuum non vniformiter coxisse alimentum aut morbificos humores. Sed ego non video quare inæqualitas hæc indicet malam coctionem; nam vnus calor, quantum ex se est, vniformiter coquit: nam tam bene potest æqualitas contingere cùm

debilis est calor & mala fit coctio, quàm cum bona, & tam bene inæqualitas cum calor est fortis & bona fit concoctio, quam cùm debilis & mala. Solùm ergo indicat inæqualitatem alimenti aut humoris morbifici qui coquuntur, esse sc. diuersas partes in alimento, aut plures in corpore humores morbificos, qui non potuerunt à calore natiuo vniformiter coqui. Hactenus de contentis naturalibus: nunc de contentis contra naturam.

Contenta contra naturam sunt pinguedo, bullæ, corona, arenulæ, pili, sanguis, pus, semen, carunculæ &c. & primùm de pinguedine; nam aliquando vrinæ innatat quædam pinguedo, & ea vrina vocatur oleosa seu oleaginosa. Vt itaque cognoscatur quid sit vrina oleaginosa, notandum est, quòd non semper vrina, vt vocetur oleaginosa, habeat pinguedinem innatantem; imò sæpe caret eâ, & tamen vocatur oleaginosa. Itaque duplex est vrina oleaginosa: vna quæ tantùm habet innatantem pinguedinem in suâ superficie, etsi reliquâ suâ substantiâ neque colore neque substantiâ sit oleaginosa; talem dari omnes agnoscunt, sed aliqui, inter quos est Aëtius, putant etiam dari aliam oleosam, quæ non solùm habeat aliquas guttas pinguedinis supernatantes, sed quæ sit per totam suam substantiam pinguis & oleosa. Verùm Galen. dicit, se talem nunquam vidisse, reuerâ non potest etiam dari; quia oleum non potest cum sero incorporari, sed debet supernatare. Itaque secunda vrina oleosa est, quæ est oleosa colore & consistentiâ, idest, quæ suo colore & crassitie habet similitudinem olei, & quasi oleum representat. Prima illa habet veram pinguedinem liquatam admixtam, & est verè pinguis & oleosa, hæc non est pinguis nec habet pinguedinem admixtam sed tantùm ad oculum refert similitudinem olei; & hanc etiam vocari oleosam dicit expresè Galen. *comm. tertio tertij de morb. vulgarib. text.* 74. illa fit ex colliquatione, hæc non, sed ex aliâ causâ. Hæc ergo secunda habet quandam crassitiem sicut oleum cum quâdam obscuritate vergens versus colorem viridem, & eam dicit Galen. adhuc esse duplicem: Aliquam quæ vergit versus albedinem, & eam dicit indicare cruditatem; aliam versus flauedinem viridantem, & eam dicit indicare febrem intensam; tamen si reliqua, inquit, bona signa adsint, nihil indicat mali. Et dicit Galen. hanc secundam oleaginosam se sæpe vidisse sine ægri detrimento. Ex quo patet, quod hæc vrina oleaginosa secunda non proueniat ex colliquatione nec sit lætalis, nec indicet tabem. At quæ est primo modo oleaginosa habet pinguedinem innatantem diuerso modo; interdum sic-vt pinguedo supernatat in iure carnium refrigerato, seu veluti crustulæ pinguedinis. 2. vt in superficie tantùm veluti puncta quædam pinguedinis appareant, sicut in iure carnium parùm pingui, quod solùm habet aliquas guttas pinguedinis. 3. vt supernatet sicut tela aranearum. Causa omnis pinguedinis vrinæ innatantis teste Gal. est colliquatio substantiæ alicuius pinguis; ideò omnis vrina cum pinguedine ferè semper est pernicioſa & indicat colliquationem: omnis autem

autem colliquatio victus à calore excedente & liquefaciente & à calore igneo, & ideò talis vrinas indicat hecticas ac ardentes febres, si colliquatio est à toto; aut alicuius partis calidam intemperiem, si colliquatio tantùm promanat ab aliquâ peculiari parte. Plura autem sunt quæ in corpore nostro possunt colliquari interdum pinguedo seu adeps corporis, interdum alimentum substantificum eius; interdum carnosa substantia ac humidum primigeneum eius: & secundum hoc sunt plures colliquationis; & sic inter vrinas oleosas aliæ aliis sunt deteriores, prout hæc vel illa substantia in corpore colliquatur. Porrò etiam sunt diuersa in corpore loca, in quibus prædictæ substantiæ colliquantur; aliquando enim colliquantur in toto corpore vt in febribus ardentibus aut hecticis; interdum tantùm in parte vnâ, & hoc præcipuè in renibus. Quæri potest, quomodo sciri possit, ex cuius rei colliquatione vrina sit oleosa, an habitus, an carnis, &c. Denique vbi illa colliquatio fiat, an in toto, an in renibus. *Respond.* quando pinguedo seu adeps colliquatur, tunc vrinæ sunt valde oleosæ, sicut cùm iuri carnium multa pinguedo supernatat: Quando caro, tunc minùs est pinguedinis, eò quod caro minus sit pinguis quàm adeps: cùm humiditas partium solidarum seu humidum primigenium colliquatur; tunc pinguedo supernatans potiùs est sicut tela subtilis aranearum. Adeps, quia faciliùs liquescit quàm caro, ideò à minore calore liquescit; caro non nisi à fortiore, humidum verò substantificum partium solidarum non nisi à summo; ideò vrina quæ adipis colliquationem indicat, minùs est mala; peior carnis, pessima quæ humidi substantifici partium solidarum.

In vrinis etiam aliquando conspiciuntur bullæ. Vt ergo sciatur, quid illæ indicent, oportet illarum causas inuestigare. Causæ duæ sunt materialis & efficiens. Materia est humor qui distenditur, & contentus aër, vapor, flatus, qui distendunt. Causæ efficientes sunt calor & motus. Calor bullas facit cùm est imbecillus; idque dupliciter, & quia materiam reddit crudam & crassam & sic dilatabilem in bullas; & quia excitat vapores & flatus, qui inflant & extendunt humores. Motus quat. humorem commiscet cum aëre, & sic facit sibi mutuò inuolui. Materia apta ad bullarum generationem est, quæ mediocriter est crassa & viscida; nam si valde tenuis tunc non potest in bullam extendi, sed in extensione finditur & hiscit: si est valde crassa non facilè extenditur; & hinc oleum non facilè admittit bullas, nec puls, quia sunt nimis crassæ. Debet etiam materia esse valde viscida, sic enim non facilè dehiscit. Porrò motus bullas faciens in vrinâ vel est internus vel externus. Internus, nam si humores & spiritus intus in corpore agitentur, cùm illi ad vrinas peruenium, fiunt in iis bullæ, quæ exeunt cum vrinâ vel postea in vrinâ generantur. Externus, quia fiunt etiam bullæ per externam agitationem; nam si fortè vrina excernitur, aut multùm agitetur, motu illo externo contrahit bullas aëre externo per motum vrinæ inuoluto; & sic dicunt bullas aliquando habere causam internam & intra corpus

generari, aliquando externam & causari extra corpus. *Sed dices:* quomodo possunt bullæ intra corpus generari; nam etsi ibi generarentur in exitu vrinæ propter angustiam partis destruerentur & frangerentur. *Respondent* Medici; verum esse & frangi, sed mox vt vrina micta, iterum flatus vrinæ permisceri, & iterum bullas excitari. Docent porrò aliqui, quomodo medici possint dignoscere, an in vrinâ à se dilata bullæ apparentes genitæ sint ab agitatione externâ, an verò à causâ vrinæ intrinseca; nam inquiunt, quæ extra à motu fiunt bullosa, in eâ bullæ citò pereunt; quæ verò à causâ internâ, in eâ non. Porrò vrina crassa ac viscida fit ab admixta pituitâ & crudis humoribus, vel ab admixto colliquamento, vel quia à calore nimis est cocta & incrassata. Quoad causas efficientes, cùm interim calor est imbecillis, qui generet multam substantiam vaporosam; vel cùm est valde validus & igneus, vt faciat humores effervescere in corpore & agitari, tunc dicunt bullas in vrinâ fieri. Denique cùm humores intus turgent & agitantur vel sponte vel à naturâ moti, tunc etiam dicunt bullas in vrinâ fieri. Secundum hanc communem doctrinam dicunt, bullosam vrinam indicare vel imbecillum calorem flatus generantem, vel humorum agitationem; & quia agitatio interdum fit à calore feruefaciente, ideò dicunt bullas interdum indicare excessum caloris humores agitantem, & quia calor humores agitans interdum est naturalis, interdum febrilis, & interdum agit humores criticè interdum symptomaticè, ideò oportet distinguere à quâ agitatione fiant illæ bullæ. Dicunt itaque si in principiis morborum vrina appareat spumosa; indicat agitationem humorum fieri à calore febrili & non naturali, & illam agitationem esse symptomaticam; quippe quæ eo fit tempore, quo fieri non deberet, sc. in principio, cum materia adhuc est cruda, & sic in principiis spumosæ vrinæ sunt malum signum: sed si fiat spumosa in aliquâ parte status vel declinatione cum aliis signis bonis, indicium est illam agitationem fieri à calore naturali & esse criticam, & secuturam esse crisim, & naturam agitare humores in ordine ad futuram crisim, & sic in illis temporibus vrinam reddi spumosam est bonum signum. Interdum etiam in augmento esse spumosam non est malum; nam est indicium naturam aggredi humores & incipere eos coquere, & ex eorum ad concoctionem agitatione spumam in vrinâ fieri. Aliqui porrò etiam dicunt vrinam spumosam etiam indicare colliquationem, & quia spuma indicat agitationem humorum; agitatio autem potest fieri à calore igneo, id est, excedente faciente humores ebullire, à quo calore excedente non fieri potest, quin producantur colliquationes tum etiam quia ex colliquatione vrinæ fiunt crassæ ac viscidæ, tales autem aptæ sunt producere multas bullas. Itaque vrinæ spumosæ, si alia insuper frigiditatis signa adsint, indicant flatus & humores crudos: sed si cum spumositate simul sunt oleaginosæ, è contra indicant caloris agitationem & colliquationem. Porrò Hippoc. *Aphor.* 34. dicit *etiam spumosam vrinam indicare vitium renum*; quòd

Medici

Medici dicant fieri, quia talis vrina indicat crassam pituitam & crudos humores esse vrinæ permixtos, quales facilè solent in viis vrinæ ac renibus esse, ibique vel obstructionem, dolorem ac calculum causare. Actuarius etiam dicit spumosam vrinam indicare destillationem à capite, eò quòd spumositas fiat à vapore vel spiritu vrinæ permixto; sedes autem præcipua spirituum sit in capite, qui defluentibus ex eo humoribus permixti & ad vias vrinarias expulsi reddunt vrinam spumosam. Aliqui dicunt aliâ ratione spumosam vrinam capitis affectum indicare, eò quod spumæ in superiore vrinæ parte natitent; superior autem vrinæ pars superioris corporis affectum significet propter sympathiam quàm loca seu situs vrinæ habent cum locis seu sitibus partium corporis; quæ doctrina supra à nobis est refutata. Verùm tota hæc de causis generationis bullarum in vrinâ doctrina videtur valde esse infirma, & potiùs falsa; & ideo indicia illa, quæ ex illis petuntur, esse vana & friuola. Mea itaque opinio est causam efficientem bullarum non esse vllam agitationem internam humorum, neque etiam calorem siue excedentem, qui faciat humores bullire; siue diminutum qui flatus generet; sed dico vnicam causam efficientem bullarum in vrinâ esse agitationem externam; & quòd omnis vrina tantùm acquirat bullas, quat. extra corpus agitatur vel nimis impetuosâ mictione, vel manuum aut reliqui corporis conquassatione; & dico quòd nulla vrina habeat bullas, quæ non sit sic externè agitata; & quòd si sine vllâ agitatione lentè mingatur, nullo modo habebit bullas, & consequenter, quòd omnes bullæ generentur extra corpus & à causa externâ & non internâ; *Probatur*: quia non generantur bullæ intra corpus; nam si fierent in exitu deberent destrui: ergo quæ sunt in vrinâ extra corpus existente, non sunt intùs generata; quia ibi fit effectus vbi eius causa est; causæ autem internæ iam non adsunt vrinæ cùm est extra corpus: ergo illæ non possunt vrinâ extra corpus existente effectum suum seu illas bullas producere. 2. quia experientia docet, quòd idem vir sanus si contra matulæ parietes mingat, adeoque sic lentè desinat vrinam in matulam descendere; non habebit bullas; si verò impetuosè rectà in matulam mingat, bullas habebit. 3. quia nunquam ostenditur vrina quæ lentè micta & non conquassata sit, habere bullas. *Conseq. prob.* nam si extra corpus bullæ fiunt, internæ causæ non producunt illas: nam agitatio humorum in corpore non potest facere bullas in vrinâ extra corpus existente; nam in eâ vrinâ quæ est extra corpus, illa agitatio ampliùs non est. Denique calor qui in corpore facit ebullire humores, non potest facere bullas in vrinâ iam micta; quia in vrinâ iam mictâ nulla ampliùs apparet talis ebullitio. Dices: etsi bullæ sint fractæ in exitu, tamen mox vt vrina micta est iterum generantur. Dices 2. quòd virtus illarum causarum internarum remaneat in vrinâ mixtâ, & sic quòd cùm vrina micta est, adhuc sint in eâ flatus, qui cum eâ exierunt, illi verò permiscentur cum vrinâ, & faciunt bullas in eâ. Denique calor ille, qui effervescere facit

humore

humores in corpore, adhuc remanet in vrinâ, & in eadem flatus vaporesque & spiritus excitat, quos excitando facit in vrinâ bullas; sic etiam humorum, qui in corpore agitantur pars aliqua cum vrinâ excernitur, qui adhuc in matulâ eundem motum agitationis reseruant, quem habent humores in corpore. Verùm hæc sunt ridicula & falsa, quod probatur; quia nunquam videntur bullæ in vrinâ crescere, aut de nouo fieri; nam si sit micta sine bullis, nunquam in eâ post mictionem bullæ de nouo excitabuntur, quòd tamen deberet fieri si prædicta doctrina esset vera; & nunquam videtur vrina bullas plures acquirere quàm illas, quas primâ mictione per motum acquisierit. Dico porrò vlteriùs bullas etiam non fieri ab aliquo flatu in vrinâ existente, qui vrinæ permisceatur, sed solummodò fieri ab aëre externo, qui per fortem mictionem aut agitationem vrinæ inuoluitur & permiscetur. Hoc fundamento posito quod videtur esse verissimum, sequitur consequenter bullas in vrinâ non indicare vllam agitationem humorum in corpore; nec consequenter indicare dolorem capitis, qui ex illâ agitatione proficiscitur; neque etiam indicare flatus vrinæ admixtos, nec consequenter indicare cruditatem aut malam concoctionem, aut debilem calorem illos flatus generantem; neque indicare calorem excessiuum facientes illos humores ebullire & effervescere, eo quòd, sicut dixi, nec agitatio interna, nec calor corporis, nec flatus in vrinâ sunt causæ; si enim bullæ indicarent illa, facerent hoc in quantum essent effectus illorum, cùm ergo non sint eorum effectus, sequitur quòd illa quoque non indicent. Quæritur ergo quænam bullarum in vrinâ sint causæ, & quid possint indicare. *Respond.* quòd causa efficiens earum est agitatio externa, materialis verò est aër externus & vrinæ liquor, qui per agitationem aërem inuoluunt. Quia autem non omnis liquor æqualiter bullas contrahit, nec æquè citò, nec æquè magnas, nec æquè diu conseruat, ideò quòd de bullis potest considerari est, an vrina per agitationem externam facilè ebullescat nec ne? an bullas contrahat magnas aut paruas? & an iam contractus statim exponat an vltrò diu reseruet? hoc autem pendet præcipuè à materiâ; nam materia tenuis facilè bullescit, crassior difficulter, tenuis enim facilè potest in minima fundi & statim aërem includere, & tenuis bullescit à paruâ agitatione; crassa non nisi à magnâ: viscida potest magnas admittere bullas, & diu retinere; tenuis non nisi paruas, easque statim deponit; aër enim inclusus viscidam bullarum substantiam non ita facilè potest perfringere: quapropter vrinam bullas habere simpliciter nihil indicat quàm externam agitationem; sed facilè & multas bullas acquirere, & quæ statim euanescant, indicat vrinæ tenuitatem: facilè & multùm bullescere & mediocriter diu durare, indicium est vrinæ substantiam esse mediocrem, non nimis tenuem, nec nimis crassam, & non valde lentam: hoc autem est bonum signum, & indicat vrinæ substantiam esse laudabilem, & benè à calore percoctam. At vrinam difficulter bullescere, sed contractas bullas pertinacissimè conseruare, est

indicium

indicium vrinam esse crassam & valde viscidam ; & sic indicat tales causas , quæ crassitiem & visciditatem producere possunt , id est , vel admixtos crudos & pituitosos humores , vel vrinam à nimio calore nimis esse inspissatam vel pinguedinem admixtam. Dixi , bullas in vrinâ præcipuè pendere à materiâ, quia potest etiam ab aliquâ externâ vel internâ causâ pendere , quòd citiùs vel seriùs bullæ pereant; externâ, nempe aëre , quòd est maximè considerandum , si nempe ille sit vel valde calidus vel valde frigidus ; calor enim & rarefaciendo & explicando aërem , qui intra bullas est, facit vt ipse perrumpat , sicque illæ frangantur : frigus densando & cogendo facit , vt aër in iis contentus nequeat capi , sed efferatur. Interna causa etiam potest esse ; calor vrinæ maior vel minor , vel flatus aliqui aut spiritus intercluſi : calor enim vrinæ attenuando incluſum bullis aërem , vel excitando vapores vel flatus, facit vt illæ citiùs pereant. Atque hæc de bullis dicta sufficiant. Nunc de alio contento præternaturali agamus , sc. de arenulis.

Notand. itaque in vrinis duplices esse arenulas: alias tenuissimas splendentes & minimas , quæ vocantur atomi , & istæ non tantùm subsidunt ad fundum , sed & volitant in medio & in summo & per totam vrinam ; & cùm inspicitur vrina in claro aëre , splendent & volitant in eâ sicut atomi. Aliæ sunt crassiores, quæ magis propriè sunt arenulæ, & sunt de materiâ calculi. Atomi illi fiunt à magno calore exurente humores in venis, & exiccantem tales arenulas , & apparent post ardentes febres , & sunt quidem tempore febris genitæ , sed non excretæ ; excernuntur verò postea. Itaque illæ atomi sunt reliquiæ humorum putrescentium , quæ in venis relictæ quotidie magis exiccantur & quodammodo incinerantur. Tales etiam arenulæ aliquando inueniuntur in sanguine leprosorum , sic quòd sanguis elephanticorum digitis comminutus sentiatur habere arenulas ; quod fit in iis ex humorum putrefactione , & partis terrestris torrefactione vel exustione ac incineratione. Quod ad alterum arenularum genus spectat ; earum materia est humor viscidus & crassus, qui à calore coquitur & condensatur , & quodammodo lapidescit , & generantur sicut calculus. Differunt in hoc , quòd materia calculi sit magis viscida : nam si arenularum materia esset valde viscida , cùm torretur à calore, maneret vnita & fieret calculus , & non funderetur nec dehisceret in vrinâ : sic terra sicca vertitur in puluerem cùm torretur à sole , viscida lapidescit.

Locus vbi arenulæ generantur sunt renes & vesica. Vbi tamen notand. aliquid singulare , quod ego primum comperi experientia , postea verò notaui ab alio viro docto esse animaduersum : nimirum quod aliquæ arenulæ in corpore ipso generentur & fiant , ibique generatæ cum vrinâ exeant & expellantur : aliquæ verò in corpore non generentur, sed postquam vrina micta est in matulâ generantur. An autem sint generatæ in corpore an verò in matula sic cognoscitur : quæ in corpore generatæ sunt , semper apparent in fundo matulæ globatim hærere , &

sic non affixæ ei, & apparent paulò postquàm vrina micta est : quæ verò in matulâ generantur non sunt in fundo, sed circumquaque hærent affixæ parietibus matulæ, & non apparent nisi diu post mictam vrinam. Dicunt Medici omnes arenulas indicare temperiem calidam & vesicæ, quia sc. supponunt calorem & exustionem esse causam arenularum, quòd si verò calor non semper sit causa arenularum, sequetur quoque, non semper arenulas illarum partium calorem indicare quidam igitur dicunt non semper arenulas aut calculum à calore immoderato gigni, sed sæpe non laborare calidâ intemperie renum qui calculo corripiuntur, sed calculum à proprietate quadam & facultate lapidificâ illarum partium generari, quod videtur ex eo confirmari, quòd vt supra dixi aliquando generentur in matulâ diu post vrinam mictam ; tunc autem non generantur ab immoderato calore, sed potiùs à frigore ; quia generantur in aëre externo, qui est frigidus, & cùm vrina refrixit, & ad parietes matulæ stanneæ aut vitreæ, qui sunt frigidi. Latiùs agere de causâ generationis calculi non est huius loci, sed in pathologiâ est videndum. Quæri autem potest, an arenulæ apparentes sint semper signum calculi ? Dico in multorum hominum vrinis apparere arenulas, qui nunquam conqueruntur de calculo. Itaque arenulæ solùm indicant adesse causam efficientem calculi, sed non necessariò adesse calculum : etenim bonum est arenulas expelli, & cùm expelluntur, tunc non fit calculus. Indicant ergo arenulæ adesse dispositionem lapidificã, quod est malum ; sed arenulas expelli indicat vias esse latas & facultatẽ expultricẽ esse validâ, & arenulas nõ remanere aut hærere in corpore, & materiã esse nimis friabilem quàm vt ex eâ possit generari calculus, & non satis esse viscidam, sed hiscere & minutim findi, & hinc non futurum, vt calculum valeat coire ; ideò arenulas multas apparere in vrinâ est bonũ signum, sed est mala causa. Vnde cùm apparent semper periculum minantur ; nam quia indicat efficientem saltem causam & illam dispositionem lapidificam adesse, & quia facilè accidere potest, vt vel facultas expultrix debilitetur, vel aliqua copia viscidi humoris aliquando allabatur, etiam indicant facilè fieri posse, vt sic semel arenulæ illæ retineantur, vel à materia aliquâ viscidâ allabante inuoluantur, & sic in calculum coniungantur. Arenulas porrò solitas apparere & posteà supprimi, & tum dolorem sentiri, & vrinas euadere tenues & albas, est indicium arenulas in calculum conuerti. Denique arenulas mingi cum dolore & strangurià est etiam signum calculi. Arenulæ aliquando sunt albæ, aliquando rubræ. Rubræ indicant in renibus esse genitas ; quia renes rubro colore præditi sunt, quod melius : albæ, quòd in vesicâ quæ est alba, quòd peius. Est tamen hoc signum non planè certum ; quia potest arenularum color non à parte, in quâ generantur, sed à materiâ ex quâ esse profectus : & sic arenulæ albæ indicant materiam earum esse pituitam, rubræ bilem aliquam pituitæ permixtam : albæ etiam magis ab occultâ proprietate lapidificâ ; rubræ ab excessu caloris generantur.

Sunt

Sunt & alia contenta non naturalia : quia aliquando apparet aliquid in vrinis quod est sicut farina, aliquando aliquid sicut orobus, aliquando aliquid sicut furfures & squammæ : & hinc aliquod sedimentum vocatur farinaceum, similaceum, pollentaceum, furfuraceum, squammosum lamineum, orobum, &c. horum sedimentorum meminit Hipp. 2. *progn.* 29. quando dicit, *malum, si vrinarum sedimentum tanquam farinam crassiorem repræsentat ; peius si quasi bracteolas ; tenuia atque alba sunt admodùm vitiosa ; omnium pessimum si quod subsidet furfuraceum* est. Actuarius etiam 1. *de different. vrinar. cap.* 15. meminit horum sedimentorum, & ponit etiam sicut Hippoc. 4. eius species & gradus, quæ suis exprimit nominibus : orobeum, furfureum, lamineum, similaceum. Hæc omnia sedimenta dicuntur à Medicis fieri ab excessiuo calore tum humores, tum partes carnosas, tum etiam solidas colliquante & adurente : provt autem vstio & colliquatio maior est vel minor, & provt vel est in humoribus vel partibus carnosis aut solidis & membranosis, secundum hoc modò hoc, modò illud sedimentum in vrinâ apparet. Possunt autem hæc commode ad 3. species referri ; 1. cùm sedimentum est sicut farina, hoc vocatur vel farinaceum, vel similaceum, vel pultaceum, vel crimnodes. Galen. 1. *de crisib. cap.* 12. dicit hoc sedimentum duarum affectionum esse indicium, vel sc. grandis colliquationis, vel caliditatis excedentis, quæ sanguinem adurat. Cùm fit eiusmodi sedimentum per colliquationem, tunc possit dubitari, an fiat per colliquationem partium solidarum, an carnosarum. Medici modò vnum modò alterum dicunt. Galen. dubitationem soluit ; nam *lib. de vrin.* dicit, *cùm calor solida membra corripuerit, facit deteriora sedimenta, quæ vocantur crimnodea, & farinacea, quæ* inquit, *duo significant aut crematìonem sanguinis, aut liquationem solidorum membrorum.* Quod etiam dicit Actuarius *lib.* 1. *de vrinis cap.* 10. & Aëtius. Cùm fit tale sedimentum ex sanguine adusto, tunc fit in quantum sanguis per nimiam adustustionem quasi incineratur : Secunda species est, cùm in vrinâ sunt parua crustula nigricantia similia colore & figura orobo, quod est legumen quoddam paruum, nigrum, Aëtius illud vocat ervinum ; Galen. etiam illud vocat hordaceum, non quòd farinæ hordei simile sit, sed quia est simile granis hordei : huius sedimenti multis locis meminit Galen. *vt* 6. *Epidem. comm.* 5. & 4. *Aphor. comm.* 76. & illud orobeum putat esse illud idem, quod superiùs Hipp. appellauit esse quasi bracteolas. Galen. 2. *Prognost. comm.* 2. & 1. *de Crisib. cap.* 12. dicit etiam, huius sedimenti causam esse excedentem calorem, in quantum ille colliquefacit humores ac partes, & colliquando insuper nimietate caloris adurit, & conuertit in crustulas adustas, quæ à toto receduut, & expelluntur cum vrinis eo modo, quo cùm funditur laridum, aliqua pars glutinosa funditur, alia pars terrestrior torrefit, & fiunt crustulæ seu frustula rotunda præ nimia assatione. Huius sedimenti orobei meminit Hippoc. in vxore Nicostrati 4. *Epid.* quæ patiebatur magnam hepatis inflammationem, in qua erat hoc sedimentum, eò quòd propter

nimium illum calorem sanguis dicto modo vreretur & incrustaretur: hoc sedimentum incipit in vrinâ apparare, quando colliquatâ primùm pinguedine postmodùm carnes incipiunt consumi, torreri & frustulatim secedere. An autem hoc sedimentum fiat ex adustione sanguinis & humorum, an verò partium, docent Medici distinguere: quòd si frustula illa sint rubra, sunt ex adustione sanguinis; si nigricantia, ex adustione carnis & membrorum. Verùm notand. fieri posse, vt ille calor excedens sit aliquando in toto, aliquando in vnâ parte tantùm v.g. renibus & hepate; & sic posse interdum torqueri & liquari totum, interdum tantùm hasce partes; & sic sedimentum orobeum interdum esse à toto, interdum ab vnâ parte: si fiat à toto, indicat totius consumptionem & hecticas ac ardentes febres; si à parte, illius tantùm peculiarem consummationem & calidam intemperiem; hoc autem docet Galen. sic distinguere *lib. 1. de vrin. cap. 36.* vt, si hoc sedimentum appareat in acutâ febre procedat vitio & vstione totius; si est dolor in renibus, vitio & intemperie renum. Tertia species est, cùm sicuti furfures & squammulæ apparent in vrinis, hoc sedimentum vocatur squammosum, furfureum, lamineum. Galen. 2. *prognost. comm.* 29. hoc sedimentum esse testimonium caloris febrilis vrentis & colliquantis: facit autem ille calor teste Galen. 4. *Aphor. comm.* 77. duplici ratione; & per viam adustionis & per viam colliquationis: per viam adustionis, quando sanguis sic vritur, & assatur, vt exiccetur & in furfures ac laminas dehiscat eodem modo quo in leprâ furfures à cute recedunt per vstionem & nimiam exiccationem, quæ squammulæ cùm recedunt à sanguine, abluuntur cum vrinâ, & petunt fundum, & faciunt in eâ sedimentum furfuraceum: per viam colliquationis, quando solidæ partes ab igneo illo calore primùm colliquatæ, tandem vruntur & depascuntur, ita vt de substantiâ eorum procedant portiunculæ, quæ sunt sicut squammulæ & furfures. Fit autem furfuraceum sedimentum per colliquationem potiùs partium solidarum quàm carnosarum; carnosæ enim partes liquatæ potiùs faciunt farinaceum & orobaceum: furfures enim sunt particulæ membrorum solidorum ac spermaticorum, vt membranarum, venarum, neruorum, &c. Quidam dicũt furfures non fieri per liquationem solidarum partium in habitu corporis existentium, sed solùm per adustionem & exiccationem venarum; quando sc. venæ ipsæ sic exiccantur, vt in squammulas dehiscant. Porrò etsi lamineum, squammosum, & furfureum sedimentum sint vnius speciei, differunt tamen inter se secundum magis & minùs: In sedimento squammoso particulæ sunt maiores & crassiores; in furfuraceo verò minores & tenuiores; squammosum fit, cùm calor profundiores partes consumit; furfuraceum cùm tantùm extimam pelliculam, & ideo squammosum est deterius furfureo, profundioremque indicat colliquationem. Verùm notand, quòd furfureo etiam benè fiant ab aliâ causâ, nempe à scabie aut vlcere vesicæ; & ita hi furfures non semper necessariò indicant liquationem, sed interdum tantùm vitium

peculiare

peculiare veſicæ, vt docet Hippoc. 4. *Aphor.* 77. & 81. Dignoſcuntur autem; nam ſi æger non laboret magnâ aliquâ intemperie calidâ, tabe aut ardente febre, ſed potiùs in eo adſint ſigna calculi aut vlceris veſicæ, vt ſi aliquando pus aut ſanguis fuerit in vrinâ, aut doleat æger circa illa loca, ſignum eſt tantùm veſicam eſſe læſam, ſcabioſam verò exulceratam; ſed ſi nulla adſint ſigna veſicæ affectæ, præceſſerit pinguedo in vrinâ aut ſedimentum farinaceum, æger contabeſcat; aut præceſſerint ardentes febres, tum tale ſedimentum eſt ſignum colliquationis. Etſi autem hæc ſit communis doctrina & iudicium Medicorum de his ſedimentis, quam Hipp. Galen. Aëtius, Auicenn. Actuar. &c. tradiderunt, videtur tamen multis dubitationibus eſſe obnoxia; nam inprimis non videtur, quomodo farinaceum ſedimentum poſſit cauſari ab excedente calore adurente vel colliquante humores aut carnem; vel enim hoc deberet fieri per viam colliquationis vel aduſtionis, vt Medici docent: nam non eſt alius modus; non per viam liquationis, quia colliquatur tantùm quod eſt pingue, hoc autem ſupernatat in vrinâ ſicut pinguedo; partes etiam terreſtriores membrorum non poſſunt liquari; at hoc ſedimentum farinaceum debet eſſe pars terreſtrior, quia fundum petit. 2. quia in iis qui hecticâ moriuntur aut phthiſi, poſtquàm apparuit in vrinâ pinguedo, deberet etiam poſtea apparere ſemper hoc ſedimentum farinaceum; & cùm farinaceum apparet, deberet vrinæ oleoſitas ceſſare; cùm enim farinaceum appareret, iam carnoſæ partes deberent liquari; illæ autem non liquantur niſi poſtquam iam primò adipoſa ſubſtantia eſſet colliquata; at ſic non apparet. Er. Non etiam per viam aduſtionis; nam ſi per viam aduſtionis, hoc non poſſet eſſe niſi in quantum calor excedens terreſtriores partes membrorum ac humorum incineraret: farinaceum enim ſedimentum nihil aliud eſt, quàm particulæ corporis incineratæ, & cineres membrorum in vrinâ conglobati; at falſum eſt, quòd vnquam calor in corpore noſtro adeò augeatur, vt poſſit humores aut membra incinerare. Confirmatur: quia quacunque demum colliquatione aut hecticâ ægri ſint mortui, earum nihilominus caro & humores poſt mortem adhuc ſunt humida; ergo non ſunt adeò exiccata, vt in cinerem conuerti potuerit; neque in ſanguine aut carneâ ſubſtantiâ vllæ ſunt notæ incinerationis. Adde quòd hoc farinaceum ſedimentum deberet ſequi in ardentibus febribus, & ſemper in hecticis ac phthiſicis appareret: at non ſemper apparet, imò rariſſimè aut nunquam. Econtrà in multis vrinis videtur ſedimentum album conglobatum inſtar farinæ & pultis, in quibus tamen nulla eſt liquatio aut hectica. 2. non videtur etiam illud ſedimentum orobeum fieri permodum torrefactionis; nam præterquam quòd nunquam meminerim me neque in ardentibus febribus, neque in hecticis tale ſedimentum vidiſſe, non videtur etiam quòd calor in corpore noſtro poſſit eſſe tantus, vt ſic totum humidum ſubſtantificum poſſet liquare, quòd etiam partes carnoſæ torrerentur & aſſarentur. Adde quòd etſi particulæ carnis ſic torrerentur, tamen propterea

adhuc non recederent fruſtulatim à toto; nam neque à carne, neque à larido ab igne toſto talia fruſtula recedunt. Denique etiamſi adhuc talia fruſtula decederent, non poſſent tamen ad vrinam peruenire; cùm enim ſint fruſtula partium carnoſarum exiſtentium in habitu, deberent priùs orificia venarum capillarum ingredi, priuſquam ad vias vrinarias poſſent peruenire at talia fruſtula non poſſent illas venas ingredi. Er. Accedit, quòd in homine viuente non poſſit eouſque calor augeri, vt talem valeat facere torrefactionem. Porrò ſedimentum furfuraceum certum eſt aliquando in vrinis apparere, ſed tale non producitur propter magnam colliquationem, ſed ſolummodò vel propter ſcabiem aut vlcus veſicæ ac vreterum, vel ariditatem & ſcabiem venarum & arteriarum, quibus præ nimiâ ariditate ſquammulæ ſeu furfures ſecedant, quæ cum vrinis excernuntur eo modo, quo in leproſis propter magnam cutis aridalem ejuſmodi furfures ſecedunt.

Porrò & carunculæ aliquando in vrinâ apparent, & pus, & pili, & filamenta & ſanguis. Tunc apparent carunculæ, quando in aliquâ parte fit vlcus aut empyema, à quibus ad vias vrinarias eſt tranſitus aut acceſſus. Hoc ergo fit, cùm vel hepar, vel pulmo vel renes exulcerantur: tunc enim præter pus quod ad vrinas peruenit, aliquando etiam ſimul aliquæ particulæ ipſius partis exulceratæ ſecedunt, & cum vrinâ excernuntur; vnde cùm tales carunculæ in vrinis apparent, ſi ſimul præceſſerit ſanguinis aut puris mictio, vlcus alicuius prædictarum partium indicat; cuiuſnam autem illarum, ex propriis ſignis hanc vel illam partem affectam indicantibus colligi debet.

Pili in vrinis apparent: Hippoc. 4. *Aphor.* 76. dicit eos generari in renibus, ac eorum vitium indicare; ſed doctiſſimus Triuerius prædeceſſor noſter hoc rídet, eò quòd ſubſtantia renum non ſit talis, vt ex eâ aliquid poſſet procedere inſtar pilorum; nam pili illi videntur aliquando longitudine ſeſquipedali, vt Gal. ſcribit, qui non videntur poſſe in ſubſtantiâ renum generari, cùm ibi neque vlli longi ductus ſint, neque febræ longæ, quæ poſſint ad ſimilitudinem pilorum conformari. Itaque Galen. 1. *de loc. affect.* eas generari in venis per aduſtionem ex materiâ craſsâ & viſcidâ. Alij Medici recentiores putant, illos potiùs generari in vreteribus, cùm in iis aliqua viſcida pituita diu hæſit; nam cùm vreteres ſint longi & exili cauitate præditi, ſi in iis aliqua lenta pituita longo tempore hæreat, virtute caloris naturalis exiccantur & condenſantur, & in pili formam conuertitur. Aliquando apparent etiam in vrinâ filamenta; ea autem fiunt vel cùm particulæ membranorum exeſæ cum vrinâ expelluntur, vel pituita viſcida in aliquo loco exiccatur, in filamenta conuertitur, vel quòd etiam aliqua materia ſeminalis: Et ſic poſt vſum veneris notatum fuit à Medicis, eiuſmodi filamenta in vrinâ natare; quapropter ſi talia filamenta appareant, videndum eſt, an æger vlcere alicuius partis laborarit, & an antea ſanguis, pus aut pinguedo in vrina fuerit; aut æger in loco renum aut veſicæ dolorem habuerit:

rit: si sic, tunc eiusmodi filamenta sunt signum vlceris; sin minùs, vel rei venereæ prægressæ, vel pituitæ alicuius in viis vrinariis hærentis.

Aliquando etiam in vrinis apparet pus; hoc fit cùm in aliquâ parte est vlcus, vel abscessus, à quâ ad vias vrinæ est accessus; tales partes sunt vel pulmo, vel thorax, vel hepar, vel renes. In quâ autem istarum partium vlcus sit, aut à quâ pus illud proueniat, necessariò est dignoscendum; prius tamen videndum, ne contingat error, sed certò sciamus, an quod in vrinâ apparet sit verè pus nec ne. Nonnulla alia enim aliquando in vrinâ apparent, quæ puri sunt similia, vt pituita & semen, id dignoscere docent Medici fœtore; nam si fœtet, inquiunt, est pus, sin minus, semen & pituita. Sed illud signum est incertum: nam aliquando etiam fœtet pituita, dum sc. diu in vesicâ fuit retenta. Vt igitur hoc meliùs dignoscatur, sinenda est quiescere vrina, donec perfectam acquisierit subsidentiam; tum apprehensâ matulâ oportet tenuius sorum desuper lentè effundere, sic vt maneat crassamentum in fundo. Illud crassamentum si facilè dissoluitur est pus; si est tenax & viscidum, est pituita; & hoc verum est quando pus prouenit ab aliâ parte quam vesicâ; nam quando prouenit à vesicâ, vt quando illi inest calculus & vlcus, tunc pus est viscidissimum, & simul maximè fœtet; tunc autem cognoscitur à vesicâ procedere, quando nullus dolor & nulla signa vlceris aut inflammationis in vllâ aliâ parte præcesserunt, sed signa calculi vesicæ adsint, & vrina cum maximo dolore reddatur. Sanguis etiam aliquando in vrinâ apparet, sed is rarò à vesicâ promanat, communiter à renibus; & signum est calculi renum, præcipuè quando paruo motu corporis facilè recurrat: A vesicâ procedens communiter est paucus; à renibus copiosus: potest etiam procedere à partibus, vt hepate aut venis, præcipuè si simul sanguinis vomitus adsint.

CAP. VII.

A vermibus exeuntibus.

§. I.

A Vermibus exeuntibus etiam nonnulla signa desumuntur, eaque tum ab eorum substantiâ, tum specie, qualitatibus, numero modo exeundi, ac tempore.

§. II.

A substantiâ vermium.

Vermes è corpore exire malum est; sunt enim res toto genere contra naturam,

naturam, quæ cum in corpore sunt, grauissima symptomata, dolores, febres, vigilias, conuulsiones, epilepsiam, icterum atrophiam, inappetentiam, mortemque non rarò inferunt. Omnes exire bonum quidem esset, sed id rariùs contingit, ideò aliquos exire malum; quia plures alios intus remansisse suspicio est. Vermes exeuntes in primis suam causam indicant, sc. putredinem & pituitosos humores in intestinis haberi. Paulus *lib.* 4. *cap.*57. & Aëtius l. 9. dixerunt nunquam esse bonum exire vermes, nisi in declinatione.

§. III.

A specie vermium.

Alij sunt parui qui vocantur Ascarides, alij rotundi, alij lati. Auicenna *fen.* 10. 3. *tract.*5. *cap.*2. sic inquit: ex vermibus minùs praui sunt parui siue ascarides; quoniam longè absunt à partibus principibus, & quoniam aptiores sunt expulsioni cum ipsis fæcibus; veruntamen inquit, si aliquanto tempore in corpore permaneant fiunt magni, & iam magni facti omnibus aliis sunt deteriores; quoniam ipsi, inquit, fiunt ex deteriori materiâ nimirum stercoribus. Post eos peiores sunt longi siue teretes seu rotundi; quoniam ipsi, inquit, non sunt in malitiâ latorum, quoniam malitia eorum est peioris putrefactionis. Ex quibus patet Auicennam velle latum vermem omnium pessimum esse, inde rotundos, inde ascarides, nisi cùm iam magni euaserunt. Celsus quoque *lib.*4. *cap.*17. dicit latum vermem omnium pessimum esse. Et Galen. *l.*14. *methodi in fine* dicit, latum vermem fortioribus remediis esse curandum quàm rotundos. Sciendum itaque illum omnium pessimum esse tum propter suam magnitudinem, tum etiam quia sæpe homines ad magnam inappetentiam & tabem deducit; est autem pessimus non tam periculo quàm difficultate curandi; nonnulli enim imò plerique totâ vitâ eo laborant. Inueniuntur tales vermes 20. aut 30. pedibus longi. Habui semel religiosum, qui ab assumpto contra vermes remedio latum vermem 16. pedibus longum emisit. Alium iuuenem cùm vermem iam exiturientem non bene parere posset, eum manu extraxit, & relictâ forte intus medietate aut ampliùs, vnam partem 11. pedum extraxit. Itaque latum vermem in malitiâ sequuntur rotundi; minùs autem mali sunt ascarides, quia sunt parui in parte ignobili nempe intestino recto, remoti à partibus nobilibus, inuoluti stercoribus, quibus inuiscati faciliùs excernuntur, neque ita intestina tangunt, neque ita ea mordicant aut dolorem inferunt, sed tantùm pruritum quemdam aut tenesmum in recto intestino, & potiùs molestiam quàm periculum faciunt, neque inferunt magna tormina, neque atrophiam, neque prædicta alia symptomata; quia propter suam paruitatem parùm mordicant, & propter suam distantiam à partibus principibus nec partes sensibiles attingunt. Dixit autem Ascarides

rides fortiora requirere remedia, non per hoc volens indicare, quòd sint periculosiores, sed quia remotiores; remotiores autem causæ & affectus fortiora requirunt remedia, quia virtus eorum in itinere dispergitur, præcipuè cùm per tot excrementa debeant penetrare priusquam ad ascarides perueniant. Dixit Auicen. pessimas esse Ascarides, cùm iam incrementum & magnitudinem acquisiuerunt; quia ex deteriori materiâ nimirum fœcibus fiunt: sed ratio non valet, quia ascarides in magnos vermes numquam excrescunt, sed illa paruitas propria est speciei earum: materia autem ex quâ generantur, etsi sordidior sit, quàm ex qua generantur rotundi, tamen materia ex qua generantur rotundi, cùm putrescit, longè maiorem acquirit malignitatem, quàm stercora.

§. IV.

A qualitate vermium.

Albi vermes minùs sunt periculosi, quia tales ex simplici pituita sunt geniti. Flaui, liuidi, rubri sunt pessimi; quia tales sc. flaui fiunt ex bile pituitæ permixtâ; liuidi ex melancholicis humoribus assatis: rubri pessimi sunt vt causa, quia tales sanguine pasti apparent, ex quo dysenteria proculdubio est timenda; indicium enim est quòd venas corrodant. Pessimi sunt cùm exeuntes de foris sanguine conspersi apparent: hoc enim indicio est, quòd de facto sanguis incipiat extrauenari propter corrosionem eorum.

§. V.

A modo exeundi.

Alij exeunt per os, alij per anum, alij per alias partes, alij cum excrementis, alij sine excrementis, alij viui, alij mortui, à quacunque parte exeunt, ibi putredinem subesse indicant; nam & per nares ex cerebro, & tussi ex pulmone, atque per vlcera exiisse legitur. Peius est per os, quàm per sedem, non quidem peius vt signum sed vt causa; nam qui per os exeunt maiore anxietate, mordicatione ac doloribus exeunt, præcipuè si viui exeant, quàm qui per anum: hoc confirmauit Antiphanes Medicus apud Celium Aurelianum 4. *diuturnor. cap.* 8.

Quæritur 1. an meliùs sit exire cum fœcibus, quàm sine eis. Dicit Antiph. & Auicen. *loc. citat.* meliùs esse, quòd exeant sicci, quàm cum vomitu aut stercore. Sed contrarium est verum; nam qui exeunt cum fœcibus aut humoribus, exeunt maiore facilitate & sine offensa; quia inuiscati humoribus non ita tangunt aut mordicant partes intermedias; & sic exire cum humoribus aut excrementis est melius vt causa: est etiam melius vt signum; quia cùm exeunt cum excrementis non exeunt motu

criticè, præcipuè cùm exeunt in ſtatu : cùm verò exeunt ſoli ac ſicci exeunt virtute propriâ, & ſic non criticè, ſed exeunt fugientes malignitatem humorum aut magnum incendium, quorum vtrumque eſt malum.

Quær. 2. an meliùs ſit exire viuos, an mortuos. Apud Celium Aurelianum dicit Diocles, & poſt eum Paulus & Aëtius, meliùs eſſe exire mortuos. Contra Hippoc. Apollonius, Chryſippus, Raſes, Auicenna dixerunt, meliùs eſſe exire viuos. Sed oportet diſtinguere. Exire mortuos meliùs eſt vt cauſa, quàm exire viuos; quia mortui in exitu non ſunt cauſa vllius mali; viui verò magnas faciunt mordicationes, anxietates, deliquia, &c. In ratione ſigni eſt adhuc diſtinguendum : nam vel exeunt in ſanitate, aut febribus intermittentibus, aut diurnis ac benignis morbis; vel exeunt in acutis, ardentibus, malignis ac peſtiferis febribus. In ſanitate ac benignis morbis, melius ſignum eſt exire viuos; quia in talibus non exeunt fugiendo corporis incendium aut humorum malignitatem, ſed tantùm exeunt propter defectum proprij alimenti, quod eſt bonum ſignum. At in malignis atque ardentibus, etſi malum ſignum quoque ſit, exire viuos, quia ſuſpicio eſt eos exire fugiendo magnum incendium, aut humorum malignitatem, tamen peius eſt exire mortuos; quia hoc ſignum eſt, malitiam humorum ac incendij eſſe tantam, vt etiam eos interimant, priuſquàm exire poſſint.

§. VI.

A tempore exeundi.

Hippocrates 1. *Prognoſt.* 9. agens quales in morbis acutis debeant eſſe deiectiones, dicit, quòd morbo ad iudicationem tendente oporteat deiectiones inſpiſſari : & addit. *Commodum etiam*, inquit, *eſt, & lumbricos rotundos exire.* Idem dicit in *Coac.* & Celſus *lib.* 2. *cap.* 3. loquens de bonis ſignis in febribus, ſic inquit : *At lumbricos quoque aliquos ſub finem morbi deſcendiſſe, nihil nocet.* Et Paulus *lib.* 4. *cap.* 57. & Aëtius dixerunt, *vunquam in acutis eſſe bonum exire vermes, niſi in declinatione.* Cælius Aurelianus *lib. de Acut. paſſ.* dicit, *malum eſſe ſi lumbrici exeunt in augmento, & laxamentum eſſe ſi in declinatione.* Quibus authoritatibus manifeſtè apparet, bonum eſſe vermes exire in ſtatu, vel principio declinationis: malum verò in principio morbi, aut incremento. Quæritur ergo, an hoc ita ſit? Dico itaque, Vermes exire, quocunque morbi tempore eſt malũ vt cauſa: malum enim eſt, præter acutã febrem, tam malã inſuper cauſam in corpore eſſe, quæ etiã per ſe tam grauia ſymptomata & mortem inferre poſſit; nam malum malo additum facit illud maius. Excerni, eſſet quidem bonum, ſi omnes, qui in corpore ſunt, excernerentur; ſed quia vno aut altero excreto, reliqui remanent, ideò eſt malum. At verò in ratione ſigni, eſt melius excerni in declinatione aut fine ſtatus, quàm in principio

cipio vel augmento. Nam si in fine status vel principio declinationis excernuntur, idque cum deiectionibus, præcipuè crebris, est indicium quòd excernantur criticè, & expulsi à natura. Si in principio vel incremento, est indicium quòd excernantur symptomaticè, seu quòd exeant potiùs motu proprio, fugiendo morbi malignitatem, quàm aliâ ratione. Circa quod tamen adhuc est distinguendum: nam si in statu vel declinatione excernantur, vnà cum multis magnisque deiectionibus, est indicium planè, quòd excernantur criticè; in principio verò & potissimùm in augmento, si exeunt cum excrementis, in ratione signi neque est bonum, neque malum, sed signum solummodò, quòd fortuitò excernantur, quatenus sunt excrementis permixti. Dico, quòd non est bonum in ratione signi; quia tum non possunt excerni criticè. Dico quòd etiam non sit malum; quia sic fortuitò tantùm & ex accidenti excernuntur. At si in incremento exeant soli sine excrementis, tum hoc pessimum est: indicat enim, quòd motu proprio exeant, fugientes seu causæ morbificæ malignitatem, seu caloris incendium, seu magnam quæ in corpore est, perturbationem. Si in statu exeant sine excrementis, tum etiam est malum: quia talis exitus eorum non potest esse expulsio critica; nam si critica esset, deberent eam copiosæ deiectiones comitari; nam vnus aut alter vermis sine aliis euacuationibus exiens, non potest existimari criticè expelli. Et ideò Hippoc. non dixit, vermes exire morbo ad iudicationem tendente bonum esse, sed exire cum deiectionibus.

CAP. VII.

A Sputo.

§. I.

SPuti nomen æquiuocum est: nam nomine Sputi intelliguntur & excreationes, sputationes, ac saliuationes, à faucibus, cerebro, vel stomacho procedentes: vel excrementa illa, quæ à pectore emanant. Hîc sermo præcipuè ac principaliter est de sputis seu excrementis procedentibus à pectore seu pulmone: quæ magis propriè sputa vocantur. Quod attinet ad sputationes & excreationes, quæ excreationibus excernuntur, ex cerebro vel palato procedunt. Multum excreare, cerebri frigidam humidamque temperiem ac catarrhum ostendit. Sputatio multa stomachi humiditatem, ac aqueæ pituitæ in eo copiam demonstrat. Sputatio multa sequitur etiam affectus lienis ac morbos melancholicos: hinc melancholiâ hypochondriacâ laborantes non rarò crebras habent sputationes. Alij ex praua consuetudine singulis momentis sputant: quod prauum est; nam hoc corpus exiccat, stomachum debilitat, & facit vt

omnia pituitosa corporis excrementa ad eum trahantur, aluum quoque constipat. Crebra sputatio ab Hippoc. *in Prorrh.* inter signa delirij ponitur. *Sect. 2. Coacar. lib. 2. comm. 2. text. 17. screatus frequens*, inquit, *siquidem aliud signum accesserit, phreniticum.* Quæ sententia *in Prognost.* quoque scripta est. Tum est signum delirij, quando sic spuunt, vt nihil notatu dignum expuant, ac quum spuunt sine causa, & indecorè & inconsideratè, etiam supra vestes, puluinaria, loca mundissima, quæ inhonestum est fœdare. Vidi non raro, quibus delirium instabat, quòd multoties per cubiculum obambularent, & obambulando sæpe spuebant. Ponitur etiam frequens sputatio inter signa futuri vomitus, 3. *Coacar. 3. comm. 2. Quibus*, inquit, *phreniticis frequens sputatio cum refrigeratione accidit, iis nigra vomitio significatur.* Fit autem sputatio multa ante vomitum, propter sympathiam quam habet stomachus cum gula & faucibus, ratione tunicæ seu membranæ ori & ventriculo communis. Etenim pars pituitosi humoris in stomacho existentis imbibitur illi tunicæ, & continuitate quadam redit in os, vnde sputatio. Sputa propriè dicta, seu sputa quæ tussi excernuntur, à thorace ac pulmone procedunt: & sic sicut vrinæ vesicæ, fœces intestinorum, ita sputa pulmonis pectorisque morbos, humorum in iis concoctionem ac cruditatem, morbi tempora, ac futurum euentum demonstrat. Consideratur etiam in sputis, sicut in aliis excrementis, substantia quæ excernitur, quantitas, figura, modus, ac tempus exeundi.

§. II.

A Substantia Sputi.

Si pus excernatur, vel pituita, vel sanguis, vel bilis, aut alius humor. A substantiæ modo, si quod excernitur crassum sit, vel compactum, vel tenue & acre. Quid pus, quid sanguis ex quacunque corporis parte exeuntia significent, suprà dictum est, sed nonnihil tamen mox adhuc dicemus, cùm de coloribus agemus: nam si sanguis expuitur, vrina est rubra, si pus, &c. Sputum tenue cruditatem indicat; crassum, præcipuè si ex tenui crassum factum sit, indicat coctionem; concoctio enim procedit incrassando. Dico, si ex tenui crassum factum sit: nam si mox à principio crassum fuerit, non est signum coctionis, sed est signum viscidæ pituitæ intus contentæ; in principio enim nunquam sunt signa concoctionis. Ergo ex sputi tenuitate indicatur morbi principium: quum morbus ad incrementum ac statum vergit, sputa incrassantur: Et hac ratione morbi tempora ex sputis colliguntur.

§. III.

§. III.

A quantitate ſputi.

Nihil excerni in affectibus pectoris, malum: ſputo enim excerni debet cauſa morbifica. Hippocrates *ſect.2. Coac. comm.1.lib.5.text.20. Sicca*, inquit, *pleuritides, & in quibus nihil expuitur, periculoſum.* Indicium enim eſt, quòd Natura nullam incipiat coctionem: ſi enim inciperet, ſicut concoqueret, ita etiam paulatim per ſpiritum excerneret; in affectibus enim pectoris natura non reſeruat cauſam morbificam ad vnam criticam expulſionem, ſicut in febribus acutis: ſed paulatim vt coquit, ita excernit. Retinentur ſputa à variis cauſis: doloris vehementiâ impedientis validam expirationem, quali opus quidem eſt ad humorum per ſputa excretionem; à facultatis animalis debilitate: muſculorum enim pectoris ope ſputatio fit; à materiæ vel nimia tenuitate, vel craſſitie ac viſciditate; à meatuum anguſtia ac compreſſione membranæ pulmonem cingentis; à denſitate eiuſdem, propter quam nihil è thorace in pulmonem attrahi poteſt.

§. IV.

A Qualitate ſputi.

A qualitate viſibili. *Sputa in principiis flaueſcentia, & rubea ac ſanguini permixta*, inquit Hippoc. *ſunt bona.* Sermo autem eſt de inflammationibus tum pulmonis, quæ vocatur peripneumonia, tum thoracis, quæ vocatur pleuritis.2. *Prognoſt. text.*50. ſic habetur: *Sputum autem flauum ſanguini permixtum non multo, ſi in pulmonis inflammatione mox in principio reijciatur, ſalutare eſt; ſi verò ſeptimo die, aut poſteriùs, minùs ſecurum.* 2. *Coac.comm.*1. *lib.*5. *text.* 25. *in doloribus pleuriticorum vtile* dicit *ſputa colorari, aluum eſſe mollem.* Ratio eſt, quia vtile eſt expui illum humorem, qui eſt pars cauſæ morbificæ; cauſa autem morbifica in pleuritide & peripneumonia eſt bilis & ſanguis: quare eos excerni, bonum. Expui aqueam & crudam pituitam, non eſt bonum: quia pituita illos morbos non facit. Bonum eſt autem bilem non multam ſanguini bene & exactè eſſe permixtam; quia illa exacta permixtio non fit niſi per concoctionem; & ſic illa eſt ſignum coctionis incipientis. Porrò quò citiùs tale ſputum apparet, eò melius: ſignum enim eſt citò coctionem incipere, & breui morbum finitum iri; quò ſeriùs, eò futurum illum difficiliorem, & diuturniorem: quia in diuturnitate ſemper eſt aliquod periculum; nam diu durante morbo poſſunt multi intercidere errores, tum ex parte Medici, tum ægri, tum adſtantium. Dixit Hipp. modicè, ſeu non multam bilem ſanguini permixtam expui, bonum eſſe, idque in principio:

nam si multa aut sincera bilis, vel non bene permixta sanguini aut pituitæ, expuatur, idque seriùs, nempe vel in statu, vel in die critico, pessimum est. *Sect.2. Coac.comm.1. lib.5. text.3.* Sic inquit. *Omnino prauum, quod flauum, sincerum est, & viscosum,* &c. Et in *Prognost. Ex suppurationibus,* inquit, *quicunque dum sputum adhuc est biliosum, suppurantiq́, pernitiosi valde sunt, siue biliosum illud in parte, siue simul cum pure expuatur: & hoc præcipuê, si morbo ad septimum diem progresso, suppuratio ab hoc sputo procedere incipiat: timor est enim,* inquit, *eum qui talia expuit, moriturum die decimaquarta, si non aliquod bonum signum superuenerit.* Ideò malum est, flauam bilem, ac sinceram bilem expui, quia signum est morbum à plurima bile fieri: bilis autem humor pessimus est: & melius est inflammationes à solo sanguine fieri, quàm à multa bile. Et malum est expui bilem multam ac sinceram, id est, natiuo suo fero destitutam, quia hoc indicat eius malignitatem, acrimoniam ac exustionem. Malum verò etiam maximè est, talem bilem expui in statu, & præcipuè die septimo, qui est criticus: nam tali die non deberet iam expui sincera bilis adhuc perseuerans in suo statu ac accidentibus propriis; sed deberet iam expui concocta, purulenta, & iam conuersa per coctionem in alium humorem, spoliata suis qualitatibus naturalibus, amaritudine scilicet & flauedine: expui enim tum sinceram bilem, est signum cruditatis, imbecilli caloris, ac defectûs concoctionis. Porrò sicut in prædictis inflammationibus excernere sputa nonnihil sanguinea, est bonum: ita valde sanguinea excernere, est malum. Indicium enim est, talem expulsionem non criticam, sed symptomaticam esse. Porrò extra casum inflammationum sanguinem spuere, semper est malum. Etenim *post sputum sanguinis,* vt inquit Hippoc. *in Aphor. sequitur sputum puris, post sputum puris phthisis.* Porrò tum maximè est prauum sputum sanguineum, quum à pulmone procedit: aliquando enim per os excernitur, quod à pulmone non venit; & tale non est periculosum. Sic aliquando procedit à cerebro, aliquando à stomacho, aliquando ab vtero, per sanguinis menstrui anarrhopen, quod non est cum magno periculo: aliquando promanat ab hepate, & hoc quoque est valde periculosum. Sic Hippoc.2. *Coac. locis citatis, text.25. Quibus,* inquit, *spumosus sanguis expuitur, & dextro hypochondrio laborant, ab hepate expuitur, atque hi moriuntur.* Quapropter bene animaduertendum est ad securè præsagiendum, à qua parte procedat. Quare si proueniat cum tussi, si sit spumosus, multus, & proueniat cum dolore, ac difficultate respirandi, est signum prouenire à pulmone. Si mulier sit quæ ægrotat, & suppressione menstruorum laborat, & communiter si circa illud tempus, quo fluere deberent, sanguinem spuat, eumque copiosum, & antea dolore lumborum laborauit, signum est quòd ab vtero ascendat, præcipuè si post eius expulsionem, lumborum dolor mitigetur. Si æger capite laborauit, & post sanguinis sputum dolor cessauerit, denique si paulò antè spuitionem, simulque cum ipsa sanguinem per nares emittat, & in palato titillatio

titillatio fuerit percepta, imò polato particulæ sanguinis concreti adhuc adhærere videantur, signum est quòd procedat à capite. Sanguinem tussiendo excernere, etiam crassum & grumosum, non est sufficiens signum ad ostendendum, quòd à pulmone defluat: quia potest etiam talis cum tussi à capite per palatum confertim defluens in faucibus tussim excitare: & talis potest etiam esse crassus & grumosus; quia potest à capite in fauces defluxus ibidem grumescere, & sic grumosus excerni. Sputum album, vel est purulentum, vel pituitosum. Purulentum est periculosum; pituitosum, non item. Purulentum enim vlcus indicat, & futuram phthisin. Pituitosum, solummodò catarrhum, aut frigidam pulmonis intemperiem, nisi fortè pituita percipiatur salsa; talis enim potest periculum adferre futuræ exulcerationis. An autem sputum album sit pus, an pituita, crudúsve humor, non ita bene potest discerni: ideò sæpissime inter Medicos controuersia oritur, an quod ab ægro album sputo tussiqúe excernitur, sit pus an pituita. Sic tamen aliquo modo discerni possunt: quia pus non est ita album sicut pituita, sed vel magis cinerei, vel magis liuidi coloris; denique odor puris ingratus est, pituitæ non item: Dicunt aliqui per hoc distingui, quòd pus fœteat, pituita non; præcipuè si prunis ardentibus imponatur: Sed non est verum, pus à pulmone procedens fœtere: quia tum solùm fœtet, quum prauum est, & à maligna putredine ortum; aliàs solùm grauem odorem habet: talem autem odorem nonnunquam potest etiam pituita habere. Nonnulli dicunt, pus in aquam, præcipuè marinam aut salsam iniectum, fundum petere; pituitam non ita. Hoc videtur indicare Hippoc. 2. *Coac. com.* 1. *lib.* 6. *text.* 10. his verbis. *Quibus tabidis expuentibus in marinam aquam pus ad fundum decidet, lethale:* quasi diceret, tale sputum esse purulentum. Verùm signum non est satis certum: nam non omne pus ad fundum statim descendit; ratio enim subsidendi ad fundum, est quia spiritibus est destitutum: spiritus enim inclusi faciunt supernatare. Non omne autem pus sic spiritu destitutum est, sed solum malignum: & sic ad fundum descendere, non tam essentiæ puris, quàm potius eius malignitatis signum est. Sed & sæpissime phlegmata ad fundum feruntur, præsertim quando diu steterunt, quando scilicet morâ eorum vapor & spiritus exhalarit. Ideò Aretæus solo aspectu pus à pituita distinguendum esse ait: cui & ego assentior. Nec multum iis tribuendum esse dicit, qui sputa igne vel aquâ explorant; nam si in aqua facilè diuidantur, pus, sin minùs pituitam solùm esse asserunt, eo quòd pus non fit tam viscidum, sicut pituita. Porrò sputa nigra, liuida, virida, fœtida, spumosa, rotunda, omnia pernitiosa ac lethalia sunt. Hippoc. 2. *Coac.* de sputis loquens, sic inquit: *Omnino prauum quod flauum, sincerum est, & viscosum, & album, & rotundum, & pallidum valde, & spumosum, & liuidum, & aruginosum: peius autem aliquantò est quod nigrum apparet.* Hæc enim omnia incendium & calorem indicant. Præcipuè autem tum mala est nigredo, quum flauum, viridem aut liuidum colorem fuerit insecuta; nam nigredo

post

post flauedinem, viriditatem, aut æruginosum colorem, est signum incendij; post liuedinem est signum extincti caloris naturalis. Est autem bene attendendum, ne sputa vel à cibo, vel à fumo, vel concreti sanguinis admixtione nigra sint: nam talia non sunt pernitiosa. Spumosa sputa praua dicuntur, quia talia iudicantur esse facta à maximo calore ebullitionem humorum in pulmone faciente, à qua ebullitione spumant. Verùm possunt esse spumosa etiam sine tali ebullitione, à multa scilicet & molesta tussi, cuius agitatione frequenter contingit, aërem expiratum pituitæ permisceri, vnde ipsa sit spumosa, & tum talia sputa non sunt pernitiosa. Rotundum etiam sputum damnat Hippoc. 2. *Prognost.* 46. & Paulus *lib.* 2. *cap.* 14. quia sunt signa caloris vrentis, qui sputa sic exiccat, vt in rotundam quasi formam conglobentur: sic eorum, quibus pulmo à siti, vel magno labore est exiccatus, sputa apparet rotundari. Ponit etiam Hippoc. sputa rotunda esse signum delirij. Sic 6. *Epid.* 3. *in Pleno* scribit, à rotundis sputis delirium portendi. Ratio est, quia cùm rotundum sputum, magnum indicet incendium, facilè fieri potest, vt ex illo incendio acres vapores in caput ferantur, qui delirium causent: sed hoc signum non est magni momenti.

§. V.

A Sapore sputi.

Sputa amara, salsuginosa, sunt mala: vt inquit Hippoc. 2. *Coac.* Ratio est, quia indicant bilem, quæ est prauus humor, vel salsam pituitam. Vtraque qualitas fit à magno calore, & sic est mala vt signum. Mala est etiam vt causa, quia acrimonia & salsugo sunt causa exulcerationis pulmonis, vnde phthisis. Dulcis sapor, si cum albedine est coniunctus, est bonus: quia solùm indicat pituitam ac crudum humorem. In inflammationibus pulmonis aut pectoris, sputa dulcia damnat Hippoc. 2. *Coac.* his verbis: *In doloribus pleuriticorum vtile est aluum mollem esse, sputa colorari, &c.* Et subdit: *At contraria iis difficilia, & sputum dulce factum.* Hoc autem intelligendum de iis sputis, quæ antea fuerunt amara, & post modum, quum iam morbus in summo est, & omnia symptomata ingrauescunt, tamen dulcia fiant: talia enim sunt signa vel extincti, vel deficientis caloris natiui, nec ampliùs humores coquentis; sicut de sordibus aurium mox dicemus.

§. IV.

A Modo exeundi.

Sputa, quæ excernuntur per simplicem expuitionem, ex ore; per screationem, ex faucibus; per tussim, ex thorace aut pulmonibus prodeunt.

deunt. Sputa, quæ cum dolore excernuntur, & cum tussi magna ac molesta, à pectore promanant: quæ verò sine magna tussi, ac faciliter, à pulmone; nisi hoc fiat ratione substantiæ eius quod expuitur. Ratio est, quia cùm pectus multis neruis præditum sit dolorem percipit; pulmo cùm nullis, nullum. Porrò & faciliùs sputa à pulmone exeunt, eo quòd ori vicinior sit, & latos ad ipsum ductus habeat; pectus verò ab ore sit remotum, & ab ipso sputa ad os prouenire non possint, nisi magnâ molestiâ prius à thorace, aut eius cauitate in pulmonis substantiam attrahantur. Sputa difficulter excerni, etiam ab ipsorum sputorum substantiæ modo dependet: nam & quæ valde tenuia, & quæ valde crassa, viscida, atque impacta sunt, difficulter excernuntur: illa, quia aëre expirato in altum attolli non possunt, sed suâ tenuitate finduntur ac deorsum recidunt; hæc, quia vel nimis grauia sunt, vel nimis adhærent. Potest etiam hoc ab ipsa facultate prouenire: Etenim robusta musculorum pectoris facultas, cum facilitate; debilis verò nonnisi cum magna molestia, & iteratis vicibus excrementa excernere potest.

§. VII.

A Tempore exeundi.

In pectoris pulmonisque inflammationibus sputa citò apparere, & securitatem, & morbi breuitatem indicat, modò sputa sint bona & cocta: seriùs apparere, vel periculum, vel saltem morbi diuturnitatem significat. Diebus criticis sputa praua, cruda, inconcocta apparere, pessimum est.

CAP. IX.

A Sordibus aurium.

§. I.

AB iis etiam signa aliqua desumuntur, vt ab quantitate, qualitate, substantiæ modo, &c.

§ .II.

A substantia sordium in auribus.

Crassæ aurium sordes indicant, vel earum diuturnam in auribus moram, quodque à multo tempore non fuerint extersæ; vel quum illa causa

non subest, validam vim concoctricis. Si valde crassæ & duræ sint, sunt malæ : quia indicant cerebri calorem assantem & insi issantem, præcipuè si simul valde amaræ, & valde flavi sunt coloris. Tenues cerebri frigiditatem ac humiditatem, cruditatem ac concoctionis defectum significant; sed tum & albiores, & minùs amaræ erunt. Aliquando ab auribus pus promanat, quòd internum aurium vlcus, vel abscessum indicat. Hippoc. *in Aphor.* sic inquit : *Caput dolenti pus ab auribus fluens, liberat :* id est, quum dolor ab interna phlegmone fuit causatus ; tum enim pus per aures fluens, suppurationem erupisse, indicium est, quâ eruptione factâ dolor cessat. Copiosæ sordes aurium indicant humidam cerebri intemperiem ; paucæ siccam. Aurium sordes vel albæ sunt, vel flavæ, vel viridantes, vel rubræ. Albæ à frigiditate, vel admixta pituita causantur. Flavæ bonam indicant coctionem, & moderatum calorem. Intensè flavæ, ac etiam viridantes, incendium ac magnam assationem. Rubræ sanguinem admixtum. Aurium sordes naturales sunt amaræ. Causam amaritudinis dicit Aristoteles 4. *Probl.* 32. ex eo esse, quòd materia earum sit sudor aurium, qui in auribus detentus incrassatur & amarescit ; sudor enim salsus, & nonnihil amarus est, & morâ amarescit magis. Rhases dicit esse amaras à biliosis vaporibus ad caput ascendentibus. Sed ratio non valet, quia eâdem ratione excrementa narium deberent esse amara. Quidquid sit, naturaliter debent esse amaræ. Aliquando euadunt dulces, & tales dicit Hippoc. esse mortiferas. Et rationem dat Galenus 6. *Epidem. part.* 5. *comm.* 10. quia in moribundis fiunt dulces : tales enim fiunt ex cerebri liquefactione ; nam cerebri substantia est dulcis. Cerebrum autem liquescere, vti per se malum, ita quoque in acutis maximum incendium & calorem colliquantem indicat. Verùm falsum videtur, Cerebrum posse liquescere, atque exinde aurium sordes euadere dulces. Verisimilius autem est, tales euadere à defectu caloris natiui. Hoc prognosticum confirmat Auicenna *Fen.* 2. *tr.* 4. *cap.* 46. vbi etiam dicit, aurium sordes dulcescere, esse malum signum. Verùm non semper dulcedo est tam malum signum, quia potest illa dulcedo aliquando contingere partim à frigidiore cerebri intemperie, partim ab admixta pituita : tum autem non potest esse signum lethale. Fœtidæ necessariò sunt malæ, quia vel vlcus, vel prauam humorum putredinem indicant.

§. III.

A Lachrymis.

De signis à lachrymis superiùs dictum est, vbi de signis ab Oculis desumptis actum fuit : itaque de iis hic nihil.

SECTIO

SECTIO V.

A Simplicibus corporis affectibus.

CAPVT I.

§. I.

A Simplicibus corporis affectibus, seu qualitatibus corporis mutatis, etiam signa desumuntur. Sunt autem illæ in quintuplici differentia : tangibiles, visiles, olfactiles, audibiles, & gustabiles. Ad tangibiles qualitates refero, tum qualitates primas, tum dolorem, tum vitia in quantitate, seu partium tumores : Tumores enim sæpe morbos vt syptomata sequuntur ; tum autem ad nullum symptomatis genus referri possunt, præterquàm ad qualitates tangibiles.

§. II.

A qualitatibus primis.

Si externæ partes valde calidæ sunt, est signum caloris interni ; si frigidæ, frigiditatis, &c. Contingit tamen illud signum aliquando esse fallax : nam sæpe contingit partes externas frigidas percipi, cùm tamen internæ vrantur, & contrà. Vt in febribus malignis, ac lipyriis, internis viscerum inflammationibus in intermittentium febrium accessionibus, ac in moribundis, calore scilicet incipiente in externis partibus deficere, vel ad interna retracto. Calor temperatus & blandus in sanis, est signum validi caloris natiui. Calor mordax & acer, & manum tangentis Medici feriens ac quasi pungens, est signum febris. Differt tamen adhuc calor febrilis : nam in Ephemera non est ita mordax, sed magis blandus ; putridarum autem febrium calor & maximè acer, & mordax est. Calor noctu maior quàm interdiu, & qui augetur post sumptum cibum, est signum febris hecticæ. Hoc docet Galen. *comm. ad lib. 2. Prognost.* 60. Dignum est autem examinatione, quare post assumptum cibum, hecticarum calor intendatur. Dicit Galen. *loco iam citato*, illud fieri eâdem ratione, quâ calx ab imbibita aqua incalescit, sic etiam hecticorum membra quum imbiberunt humiditatem alimenti, magis incalescunt. Quod idem dicit, 1. *de Differ. febr. cap.* 9. Verùm Auerrh. 4. *Collig.* c. 33. dicit illas fabulas, & comparationem membrorum cum calce non valere.

Nam ideò, inquit, calx ab imbibita aqua incaleſcit, quia aqua eſt calci contraria : At alimentum non eſt contrarium laborantibus febre hecticâ, quia alimentum eſt ſimile membris, non contrarium. Tradit autem ipſe aliam rationem, dicitque id fieri, quoniam de natura nutribilis eſt ſibi nutriens aſſimilari : hinc autem neceſſe eſt, vt cibus corpori aduenies extraneum calorem adipiſcatur : quâ ratione febris fortificatur, & accidentia intenduntur ; quod in febribus putridis non fit, eo quòd in eis calor extraneus radicaliter non ſit fixus. Verùm hæc Auerrhois ratio non multum valet : quia ſic hoc etiam deberet fieri tam bene in febribus putridis, quàm in hectica. Nam quòd calor ſit fixus, vel non fixus, id eſt, habituatus, vel non habituatus, non poteſt facere diuerſitatem in hoc, quòd accedente alimento pars magis vel minùs incaleſcat. ¶ Quapropter inſiſtendum rationi Galeni, & tenendum quòd hoc fiat, quia in febre hectica eſt maior membrorum ſiccitas, quàm in putridis : & ſic cùm alimentum ſit naturâ humidum, & humiditas ſit contraria ſiccitati, fit maior pugna, ex qua calor magis in membro efferueſcit. Porrò, quòd ægri nullum calorem percipiant, & interrogati nullum calorem ſe habere aſſerant : quòd primo ægri attactu ſentiatur à Medico calor mitis, mox longiore attactu acrior & mordacior, etiam eſt ſignum hecticæ. Ideò autem hectici calorem ſuum non percipiunt, quia eſt æqualis per totum ; ſola enim inæqualis intemperies dolorem infert, & quia eis quodammodo eſt factus naturalis. Poſt febres continuas, ſi corpus adhuc diu debile manet, ſeu calor remanet, & præcipuè noctu incipiat æger ſudare, eſt etiam ſignum hecticæ. Hoc vult docere Hippoc. 1. *Prorrh.* quum dicit : *Qui relinquuntur in præcordiis ardores, febre perfrigeratâ,* (intellige, remiſsâ) *mali ſunt, tum aliàs, tum in ſudoribus.* 4. *Aphor.* 39. ſic habetur : *Quâ parte calor aut frigus eſt, ibi morbus exiſtit.* Vt ſi magnus calor ſentiatur à dextra hypochondrij parte, eſt inflammatio in hepate ; ſi à ſiniſtra, in liene. Quibus empyema factum eſt à dextra parte mediaſtiani, iis maior calor percipitur in dextra parte thoracis ; quibus à ſiniſtra, in ſiniſtra. Hinc cataplaſmata quæ adhibentur, vnâ parte citiùs quàm alterâ exiccantur. In acutis febribus corpus æqualiter calere, eſt bonum ſignum. Hoc docet Hippoc. *in Prognoſt.* & Aëtius *lib.* 5. *cap.* 3. & Celſus *lib.* 2. *cap.* 3. Contrà, malum ſignum eſt, inquit Rhaſes *lib.* 1. *Rei medicæ, cap.* 21. quando in ægrotantis corpore caloris eſt varietas, vt ſcilicet vna particula frigida ſit, alia calida. Peſſimum eſſe ait, ſi pars ventris ſit calida, cæteræ partes frigeant : nam hoc indicat vel internam viſcerum inflammationem, vel lipyriam, vel febrem malignam. Hoc habuit ex Hippoc. *in Coac.* vbi dicit : *Manus ac pedes contrahi, ac frigida eſſe, malum eſt, vbi & venter & latera calida ſunt.* Porrò & contrarium illius quoque, malum eſt. Sic Celſus *lib.* 2. *cap.* 4. *Mali enim morbi ſignum eſt, caput, manus pedéſque calida habere, ventre & lateribus frigentibus.* Hippoc. 7. *Aphor.* 62. ſic inquit : *In forti dolore ventris, partium externarum frigiditas, malum.* Hoc enim ſignum eſt vel in-

ternæ

ternæ inflammationis, vel assumpti veneni, vel caloris natiui in extremis partibus, propter morbi ac doloris magnitudinem pereuntis. 7. *Coac.* & 4. *Aphor.* 48. sic inquit: *In febre acuta partes exteriores frigere, & interiores calere, accedente siti, malum.* Quod idem quoque Celsus ex ipso transcripsit. Porrò variis locis, tum *in Coacis*, tum *in Prognost.* perfrigerationem cum acuta febre inter lethalia ac pernitiosa signa ponit. Dicit autem, *in acuta febre*: nam in intermittentibus, ac earum accessionibus, non est lethale, sed ordinarium. Notandum autem, tale frigus in externis partibus fieri posse à copia frigidorum ac humidorum humorum calorem opprimentium, & vias per quas calor ad externa deferri debet, occludentium. Et hoc non est lethale, aut pernitiosum. Sic quoque & in critica perturbatione fit extremorum refrigeratio, quæ non est mala, modò postea calor & sudores subsequantur: hoc enim est indicium, Naturam facere caloris concentrationem, & virium collectionem, vt causam morbificam validiùs expellat. At si refrigeratio perseuerat, & calor non redeat, nec sudores subsequantur, lethale. Hoc docet Hippoc. 2. *Coac.* 1. *comm.* 2. his verbis: *Anxietudines in diebus iudicatoriis, si in his sine sudore perfrigerantur, & omnes quæ sine sudore perfrigerantur citra iudicationem, malè habent.* Porrò post sudores criticos iterum de nouo recalescere, & de nouo calorem iterum augeri, malum. Hoc enim signum est, crisim non fuisse bonam aut perfectam: nam si perfecta fuisset, iam non de nouo recalesceret æger, sed febrilis æstus paulatim deferueret. Sic recalescere, vbique malum esse prædicat Hippoc. 1. *Coac.* 36. *comm.* 2. inquit: *Delassati, caliginosi, peruigiles, in somnum inclinati, desudantes, recalescentes:* ac si diceret: post sudores recalescentes, malum. Et 2. *Coac.* 16. *Siquis à refrigeratione sudet, & celeriter recalescat, in malo est.* Quod & 5. *Coac.* 40. *comm.* 2. & 1. *Prorrh.* 7. & aliis locis repetit. Frigus & calor alternantes cum malis symptomatibus in acutis quoque sunt pernitiosi. Hippoc. 5. *Coac.* 32. Sic inquit: *Qui comate oppressi ab initio exsudarunt, leuiter vrinis coctis ardentes, citra iudicium refrigescentes, breuibus interuallis ardore redeunte, torpidi, oppressi comate, conuulsione subinde capti, pernitiosè habent.* 2. *Coac.* 14. *comm.* 2. sic ait: *Extremæ partes si in vtramque conditionem citò & celeriter transmutentur, malum.* Hoc enim indicat, calorem natiuum periclitari, & ancipitem esse pugnam. Accidit hoc in malignis febribus, in quibus internus calor febrilis natiuum ab extra ad intrò trahit, & natiuus aliquando foràs reuertitur: quibus vicibus frequenter alternatis si calor totus foras redeat & permaneat, est bonum signum: indicat enim quòd calor natiuus sit superior. At si intus maneat, ac partes externæ remaneant frigidæ, est indicium mortis, & caloris natiui extincti. Contingit & in crisibus aliquando alterna caloris frigorisque mutatio, naturâ modò vincente, modò victâ: quæ non est ita periculosa, quia potest ad perfectum calorem sudoresque terminari: quod tunc optimum ac salutare signum est. Calor magnus pedum, sic vt æger semper eos velit

denudare, & extra stragula extrudere, est malus : quia est indicium incendij ac maximi ardoris interni. At in declinationibus morborum pedes calere, non malum, sed bonum signum est : indicat enim calorem ad extra ferri. Sic experientia docet in febribus intermittentibus, quòd cùm adest pedum caliditas, sit declinatio febris. Hoc videntur docere Hippoc. & Galen. *lib. de Rat. vict. in acut. 4. text. 39.* cùm dicunt, *agros tunc esse cibandos, quum incalescunt*, eo quòd tum febris remittatur. Maximus calor ventris, magni incendij, & sæpe internæ inflammationis, si alia quoque signa accedant, nota est. Calor spinæ dorsi, ab Hippocrate ponitur inter signa futuri fluxus sanguinis per vterum. 5. *Coac.* 25. Sic ait : *Pulsationes in capite, sonitus aurium, profluuium sanguinis è naribus significant : alioqui mulieribus purgationes vteri deducunt tum aliàs, tum si secundum spinam breuis calor sequitur ; sed fortassis res* (inquit) *in dysenteriam conuertitur.* Ex quibus verbis colligitur, talem calorem non solùm sanguinis per vterum, sed & per sedem fluxum indicare. Colli ac dorsi perfrigerationes malas esse, & conuulsionem minari, docet Hippoc. in Coac. *variis locis, & 3. Prorrh.* Brachiorum aut crurum frigiditas, si aliqua insuper grauitas aut motûs impotentia coniungatur, hemiplegiæ futuræ signum est. Phthisici propter sanguinis defectum ; leucophlegmatiâ, anasarcâ laborantes, propter magnam aqueæ substantiæ in corpore abundantiam, semper frigent. Magnum in capite, aut stomacho dolorem percipi, signum est vitreæ pituitæ ibi collectæ. Qui ante ignem sedentes frequenter obdormiunt capite inclinato, & igni opposito, plerumque de magno in capite frigore conqueruntur. Tumores oborientes in corpore frigidi, à pituita sunt, vel melancholia ; calidi à bile vel sanguine.

Cap. II.

A Dolore.

§. I.

A Dolore maxima signa desumuntur : ab eius differentiis, loco, tempore, modo inuadendi, &c. Omnis dolor malus est, & vel intemperiem, vel continui solutionem indicat. Magni autem dolores sunt periculosi : quia nihil æquè vires prosternit, ac magni dolores. Denique vigilias, febres, inappetentias, spirituum dissolutionem, animi deliquium inferunt. Hinc Celsus inter mala signa in febribus ponit continuos dolores. Dolores cessare, aliquando est bonum, aliquando malum : Est semper bonum vt causa, sed non est semper bonum vt signum: Bonum est, quando à iusta causa cessat ; malum, quando sine causa.

Dolores

Dolores itaque cessare post adhibita conuenientia remedia, quæ merito & virtute suâ dolorem mitigare valeant, post factam materiæ coctionem & expulsionem criticam, vel etiam artificialem, vt purgationem, phlebotomiam, clysteres, fomenta, &c. est bonum, & signum causam dolorem facientem esse euacuatam vel discussam. Cessare etiam dolorem in parte principe, etsi ad ignobiliorem sit transmutatus, pariter bonum est. At si sine tali iusta causa dolor cessat, malum: quia hoc indicat materiam vel ad nobiliorem partem esse transpositam, vnde breui grauissima mala sunt oritura, vel mors subsecutura; vel extinctum sensum vel delirium, aut sensus communis læsionem, sic vt æger dolorem non sentiat. Dolores in inflammationibus, qui maximi fuerunt, & aliquot diebus continuò durauerunt, si subitò cessent, abscessum iam factum, vel pus erupisse significant. Hippoc. 3. *Prorrh.* Sic ait: *Dolores absque iudicatione soluti, inutiles.* Vbi Galenus *in comm.* Sic inquit: *Repentè verò occultari dolorificas affectiones absque hoc, quòd in alia aliqua parte, quæ manifesta sit, abscessus, fiant, humorum transmigrationem ad viscera factam ostendit.* 1. *Prorrh.* 12. Sic ait Hippoc. *Lateris dolor ex sputis biliosis citra rationem si euanuerit, mente mouentur.* Sic Caluo, 3. *Epid.* femoris dolore cessante perturbatio mentis superuenit cum inquietatione: vnde mortuus est die quartâ. Notandum tamen, quòd dolores à flatu subitò cessare sine causa, id est, sine manifesta euacuatione, non sit malum: Hoc enim contingere potest, quòd flatûs, qui alicui angusto intestino antea fuerunt inclusi, moti sint in aliquod intestinum laxius, & quo dolor cessauit.

§. II.

A Loco Doloris.

Dolor affectam partem ostendit: ibi dolor est, ibi malum. Potest tamen dolor aliquando in alia parte sentiri, quàm in illa in qua est affectus: quod accidit propter partium inter se sympathiam, & membranarum neruorumque ad longinquas partes extensionem. Sic calculo vesicæ laborantes in extremitate virgæ sentiunt dolorem, in qua tamen non est affectus. Quibus in humeris causa morbifica continetur, illi aliquando maximum dolorem aut stuporem sentiunt in digitis vel manibus. Pleuritide laborantibus dolor ad hypochondria, modò ad scapulas distenditur. Sic vteri consensu dolor sæpe in occipitio, stomachi in fronte percipitur. Dolores magni ostendunt saltem affectum non esse in parte neruis destituta. Sic cum dolor est in capite, tum circa thoracem: cognoscitur saltem causa morbifica non esse, neque in ipsa substantia cerebri, neque in substantia pulmonis; quia illæ partes dolorem non sentiunt, eo quòd neruis sint destitutæ: sed indicant affectum esse vel in cerebri, vel pectoris membranis, vt meningibus, mediastino,

pleurâ

pleurâ, vel musculis thoracis. Dolores ab infernis partibus ad supernas ascendere, malum. Hippoc.3. *Coac.37. comm.2.* Sic ait : *Quibus in febre dolores, qui circa lumbos & partes infernas fiunt, septum transuersum contingunt, infernas partes relinquentes, pernitiosi sunt, tum aliàs, tum si aliud prauum aliquod signum accedat.* Sic *in Prorrh. Ex lumborum recursione, oculorum peruersio mala.* Et *paulo pòst* iterum inquit : *Ex recursione lumborum ad os ventriculi & caput, deliria, vomitiones lethales.* Melius est dolorem esse in partibus externis : internæ enim externis sunt nobiliores. 9. *Aphor.7.* sic habetur : *Dolores* & tumores *ventris, sublimes, leuiores; non sublimes, fortiores.* Porrò peculiarium partium dolores varia signa præbent. Dolores capitis, si per consensum fiant, cùm in vertice ac occipitio percipiuntur, magis fiunt per consensum vteri ; cùm in fronte, magis per consensum stomachi. Cuius ratio est, quia vterus spinæ dorsi alligatur, per quam quum dolorifica qualitas capiti communicatur, ibi sentitur, maximè vbi spinalis medulla terminatur nempe in occipitio. Dolores dextræ capitis partis, magis per consensum hepatis; sinistræ, per consensum lienis fiunt. Vehemens capitis dolor in acutis est pernitiosus, & vt signum, & vt causa : Vt causa, quia vires deiicit, febrem auget, somnum tollit. Vt signum, magnitudinem morbi indicat, causæ malignitatem, & bilioſum humorem in toto abundantem : cuius vel portio, vel vapor cerebrum lædit, ac in consensum trahit : vnde tum delirium, tum conuulsio sunt expectanda. Aliquando autem dolor capitis significat futuram crisim, vel per hæmorrhagiam, vel per vomitum, præcipuè si, qui antea non fuit, circa tempus criseos cum aliis signis criticis oboriatur, ac coctionis signa præcesserint. Hippoc.5. *Coac.* 20. sic inquit, *Qui in dolore capitis æruginosa vomunt, accedente surditate & vigiliâ, celeriter in vehementem insaniam incidunt.* Et 5. *Aphor.* dolores capitis frequenter inter signa delirij & conuulsionis ponit, si cum aliis affecti cerebri signis, vt sopore, vigiliis, surditate, aluo suppressa, &c. coniungantur. 5. *Coac.25.* Sic inquit : *Dolor capitis soporosus cum grauitate aliquid conuulsionis inuehit.* In *Prognost.* sic ait : *Capitis dolores fortes & continui cum febre, siquidem lethalium signorum quid accesserit, pernitiosi; si verò absque talibus signis dolor viginti dies transmiserit, & febris tenuerit, sanguinis aut puris eruptionem sperare conuenit, tum aliàs, tum si dolor circa tempora & frontem fuerit.* 5. *Coac.* 16. *comm.2. Vehemens*, inquit, *capitis dolor cum acuta febre, alióque difficili signo, lethale; citra verò signum malum, siquidem vigesimum diem superat, fluxum sanguinis : aut puris è nare, vel abscessus in partes inferiores indicat.* Et subdit : *Vbi dolor frontem & tempora sollicitat, isque vehemens, fluorem sanguinis expectare oportet.* Quæ eadem dicit 5. *Coac.*10. *In Progn.* verò sic habet : *Quicunque in febre non lethali, dixerit sibi caput dolere, aut etiam præ oculis obscurum quid apparere, si & oculi ventris morsus huc accesserit, ei bilioſus vomitus erit; si verò etiam rigor accesserit, & partes circa præcordium frigidas habet, adhuc citiùs vomet.* Ex quibus locis colligitur, dolorem capitis in

febribus

febribus acutis, esse malum signum ; & delirium ac conuulsionem minari ; citra verò signa lethalia , & cùm iam critica signa apparuerunt, vel hæmorrhagiam, vel vomitum , vel abscessum futurum prænuntiare. Sed mirum, cur dixerit Hippoc. minari abscessum ad *inferiores partes:* potiùs dicendum esset, minari abscessum ad *partes supernas*, nempe circa collum, aut post aures, minari parotides : id enim rationi consentaneum est. Aurium dolor magnus in acutis febribus, est quoque malum signum: indicat enim in aure , vel circa cerebri membranas inflammationem. Hippoc. *in Prognost.* sic inquit : *Auris dolor acutus cum febre continua & forti, horrendus est : periculum enim est deliraturum esse hominem , aut moriturum.* Et 2. *Coac. lib.*1.*comm.*1. dicit , quòd aurium dolor pertinax cum febre acuta, sit signum lethale : *nisi*, inquit, *pus ex aure , aut sanguis è naribus effluat* ; his enim euacuationibus dolor mitigatur , ac phlegmonem erupisse indicatur. Dolor lumborum in mulieribus frequenter vteri affectionem indicat. Ratio est , quia vterus mediantibus vinculis & vasis multùm consentit lumbis : inde enim ad vterum venæ deducuntur. Hippoc. *in Coac.* à dolore lumborum profluuij mensium seu hæmorrhoidum signa desumit : Etenim suppressis mensibus, eisque ad superna recurrentibus , aut mensibus iam instantibus , cùm vterus est iam repletus , & præ grauitate vincula tenduntur ; fit dolor in lumbis. Hippoc. *sect.*2. *Coac. comm.*2. *lib.*3. Sic inquit : *Dolores in lumbis eruptionem sanguinis significant.* Et alibi : *Inhorrescentes* , inquit, *anxij lassitudine pressi , lumbis dolentes , in profluuium albi incidunt*, nempe hæmorrhoides, vel in fluxum menstruorum: talis enim dolor plenitudinem sanguinis in illis partibus indicat : præcipuè autem tum lumborum dolor id indicat , cùm nullius alterius affectûs signa adsunt, atque à nulla alia causa, vel calculo, vel molesto decubitu , vel nimio exercitio, is fuerit causatus, cumque iam menstrua sunt suppressa , vel fluendi tempus instat , vel præ manibus crisis est. Porrò albis menstruis laborantes plerumque magno lumborum dolore infestantur. Indicat etiam lòborum dolor calculum renum, præcipuè si is loco sit nonnihil altiori, aliaque calculi signa concurrant; vt si vrina aliquando rubra, aut nigra sit , vel æger lapillos aliquos aut multas arenulas excernere soleat , si etiam vomitus ac nausea illi dolori coniungantur. Fit etiam aliquando in febribus lũborum dolor, idque vel à decubitu in dorsum, vnde lassitudo contingit , ac adipis circa renes existentis feruor & inflammatio; vel cùtingit à lassitudine multo plegmonode id est sanguine & calido in vena caua aut arteria aorta, quæ per lùbos decurrit, redundante: tunc autem talis dolor cum magna inquietudine est coniunctus, adeoque vt æger modò in hanc , modò in aliam partem se vertere cogatur. Hipp. etiam ex lumborum dolore conuulsionem prænuntiari scribit. Sic *sect.*2. *Coac. comm.*2. *lib.*3. *text.*50. *lumborum* (inquit) *dolor in eo cui os ventriculi dolet cum excretione violenta , habet aliquid quod conuulsionem denuntiat.* Quod ferè iisdem verbis dicit, 3. *Prorrh.* 4. Quod quâ ratione sit fundatum , non video : nisi fortè lumborum dolor à renum

inflammatione contingat, vt non rarò contingit; talem enim inflammationem comitatur vomitus, propter renum ac stomachi consensum, & acuta febris, quam potest delirium, & aliquando conuulsio sequi. Sic ergo lumborum dolor etiam aliquando renum inflammationem, & ex accidenti conuulsionem futuram indicat: sed hoc præsagium est valde remotum. Dolores extremarum partium, manuum ac pedum, in acutis febribus, non sunt etiam valde boni. Hippoc. 1. *Coac.* 31. *comm.* 2. Sic inquit: *Conuulsio in febre, manuum ac pedum dolores, maligni sunt. Malignus est & doloris ex femore progressus, neque genuum dolor bonus: sed & suarum dolores maligni sunt, mentémque emouent, tum si vrinæ subsidentia in medio innatet.* Dolores artuum in acutis febribus non sunt boni, primò vt causa, quia ægro molestiam & inquietudinem adferunt: secundò vt signum, quia contingunt ex magnitudine febris: & tales sunt sicut lassitudines vlceroſæ & inflammatoriæ, multum delirij inferentes. Contingit enim talis dolor à multitudine acrium humorum, qui ita totum corpus occupant, vt etiam ad externas partes proueniant, & internas externasque simul occupent. Potest talis dolor aliquando contingere à conuulsione præuia: & tum talis est malus, sicut & ipsa conuulsio. Aliquando tamen dolores tales non sunt mali: aliquando enim contingunt à molesto decubitu, & tunc nihil indicant. Aliquando fiunt ex eo, quòd morbus ad exteriora vergat: & tum sunt boni. Sic in Herophonte surditas, delirium, omnia acerba, dolore facto in cruribus leuata sunt. In Clazomenio, cruribus & coxâ dolentibus, mitiora erant deliria, & alia cerebri mala; non dolentibus, grauiora. Porrò extremarum partium dolor in febribus, si contingat circa tempus crisεos, aliquando est signum futuræ crisεos per abscessum ad externas partes dolentes. Talis crisis in febribus diuturnis & minùs acutis, potest esse bona, sed in acutis est insufficiens: & sic signum, à quo ea indicatur, illic bonum, hîc malum est. Dolores in extremis partibus obortos statim cessare, non est bonum signum: indicat enim materiam ad supernas vel internas partes, adeoque vel ad caput, vel ad viscera conuerti, quod est malum.

§. III.

A Dolorum speciebus ac differentiis.

Dolorum præcipuæ species sunt: tensiuus, punctorius, grauatiuus, pruriginosus, & pulsatorius, &c. Tensiuus dolor est, in quo æger sentit aliquid extendi adeò, ac si rumperetur. Talis dolor fit in omnibus partibus, quæ possunt affluxum humorum, aut flatuum tensionem contrahere: & fit ab illis causis quæ tendere possunt, nimirum copiâ humorum & flatibus: Et fit præcipuè in partibus membranosis, quæ tendi possunt, vel partibus habentibus cauitatem. Talem ergo causam, & talem partem

affectam

affectam indicat dolor tensiuus. Si tensiuus coniunctus est cum grauatiuo, indicat copiam humorum tendentium; humores enim possunt & tendere, & grauare. At si est sine grauatiuo, tum solùm indicat flatûs; flatûs enim non possunt grauare. Talis dolor tensiuus percipitur in stomacho cibo potúque pleno; in vesica copiâ vrinæ repleta. Talis percipitur in mulieribus grauidis à fœtu vterum tendente; in tympaniticis à flatu; in asciticis ab aqua abdomen distendente. Fit etiam & in toto corpore dolor tensiuus à plethora venas omnes tendente, quæ tensiua lassitudo vocatur. Talis dolor sequitur omnia magna apostemata, ac inflammationes in pulmone, hepate, liene, glandulis, &c. quæ cùm magna sunt, etiam tensio ad alias & inguina vsque extenditur. Fit etiam dolor tensiuus in conuulsione, cùm nerui ipsi vel à nimia siccitate vel repletione tenduntur. Fit etiam in musculis, stomacho, intestinis, vtero, & partibus omnibus cauitatem, quæ extendi possit, habentibus. Tensiuo coniungitur perforans seu fodicans dolor, cùm flatus inter duas partes sine membranis continentur. Coniungitur grauatiuus, cùm tensio est à multo humore. Coniungitur punctorius, cùm materia tendens simul est acris. Pulsatorius, cùm humor tendens arterias tangit, ac simul suppurari incipit. Ex his colligitur, quid dolor tensiuus indicet, quam morbi causam, quam partem affectam. Si est solus, indicat causam esse flatus. Si cum grauatiuo, vel esse lapidem, vel scirrhum, vel aquam, vel frigidum humorem, humorumque abundantiam: si cum punctorio vel pulsatorio, humores calidos. Tensiuus dolor in toto indicat plethoram; in hypochondriis obstructiones; in stomacho cibi nimietatem, & crudorum humorum repletionem. Partem affectam indicat vel esse membranas, vel intestina, vel stomachum, vel vterum, aliasve partes tendi aptas.

Punctorius dolor est, cùm ceu acu seu palo impacto pars diuelli ac perforari videtur. Talis dolor percipitur in colico dolore à vitrea pituita, in aliquibus cephalæis, in calculo aspero renum seu vreterum, in pleuritide, & aliis omnibus ad sensibiles membranas inflammationibus existentibus, præcipuè à bile factis. Potest etiam dolor punctorius fieri à flatu: sed non quando flatus in magnis cauitatibus continetur, easque distendit; tum enim simplex tensiuus producitur: sed quando inter tunicas partium existit; tum enim illas non tam tendendo quàm diuellendo afficit, & sic non tensiuum, sed diuulsiuum adfert dolorem qui eodem modo percipitur, sicut punctorius stimulans ac perforatorius. Talis dolor fit, cùm flatus inter tunicas ventriculi, intestinorum, in colico dolore, inter membranas ossa vel nonnulla alia membra inuestientes ab ipsis diuellit ac separat. Tunc autem maximè fit à flatu punctorius dolor, cùm ille se inter ossa & periostium insinuat: nam in hepate, corde, pulmone non fit dolor punctorius; & ideò etsi flatûs inter membranas membra illa cingentes, ipsorumque membrorum carnem insinuent, non ideò tamen dolor punctorius solet contingere, fortè quòd

membranæ partes illas vestientes non sint ita sensibiles ; vel quòd flatus inter illas & viscerum internorum carnem non ita sese insinuare possint, eo quòd sibi mutuò nimis arctè adhæreant. Dolor punctorius, cùm præcipuè ab acribus, calidis, mordacibus, ac bilioſis humoribus fiat, potissimùm indicat inflammationes ad membranas. Hinc in pleuritide, phrenitide, renum ac orificij stomachi inflammatione, maximè contingit. Maximè autem tum dolor punctorius inflammationes indicat, cùm simul ei & tensiuus & pulsatorius est coniunctus : nam si solus sit punctorius sine tensiuo aut pulsatorio, tum potiùs materiæ alicuius acris in parte aliqua sensibili simplicem collectionem indicat.

Grauatiuus dolor est, cùm quasi pondus aliquod parti alicui incumbit, vel pondus aliquod graue à parte aliqua dependere percipitur. Grauem dolorem faciunt humores præcipuè frigidi copiosè collecti in parte aliqua à vinculis dependente, vel alteri parti mediantibus vinculis adhærente : & talis dolor fit in partibus non ita sensibilibus ; & sic talis dolor contingit in ipsis visceribus, cùm scilicet carni viscerum multi humores crudi sunt impacti, vt in liene, cerebro, hepate, pulmone : in partibus quoque cauis, cùm implentur multo & crasso humore. Sic à multa pituita cerebro impacta, grauatiuus dolor in cerebro ; à multis crudis humoribus ; à magno & graui calculo in stomacho & vesica existente, grauatiuus in illis partibus dolor percipitur. In obstructionibus partium à crassis frigidisque humoribus, à scirrho in hepate aut liene existente, à fœtu vno vel pluribus in vtero existentibus, aut multo pure, aut sanguine extrauenato diaphragmati incumbente, talis dolor causatur. Eiusmodi ergo causas grauatiuus dolor indicat, nempe obstructiones, calculum, frigidorum humorum in visceribus abundantiam crudos tumores, scirrhos, frigida apostemata, præcipuè si nec continua febris, nec punctorius dolor adsit ; nam si illorum vnum adesset, non frigidos, sed potiùs calidos humores indicaret. Indicat etiam hic dolor malum esse in partibus non magno sensu præditis, vt viscerum ipsorum parenchymatibus, glandulis, stomacho, vesica, aliisque partibus cauitatem habentibus.

Pulsatorius dolor, est dolor in quo percipitur molestus pulsus arteriarum. Talis dolor non potest contingere, nisi in partibus habentibus sensum, & consequenter in partibus habentibus neruos, & simul in partibus habentibus arterias : quia ad dolorem pulsatorium duo concurrunt, Dolor, qui non fit sine sensu & neruis, & pulsatio, quæ non fit sine arteriis. Hinc ergo dolor pulsatorius neque contingit in pulmone, neque in cerebro, neque in pleura, neque hepate, nec renibus ; quia illæ partes vel neruis, vel arteriis carent. Hinc in phrenitide, pleuritide, hepatis renumque inflammationibus, non contingit dolor pulsatorius : & si in iis aliquando dolor ille contingat, hoc tantùm contingit, quatenus inflammatio se extendit vsque ad membranas viscerum, & alias partes circumiectas sensu & arteriis præditas. In inflammatione autem ipsius

substantiæ

substantiæ parenchymaticæ viscerum non contingit dolor pulsatorius. Sic in vera pleuritide dolor non fit pulsatorius, quia in pleura non sunt arteriæ, sed tantùm contingit in pleuritide notha, quando inflammatio musculos occupat intercostales; illi enim arteriis præditi sunt. Et sic dolor pulsatorius rariùs contingit in inflammationibus partium internarum, quia illæ sæpe arteriis destitutæ sunt. Porrò dolor pulsatorius contingit, cùm partem arteriis præditam gravis læsio occupat, vt cùm pars est vulnerata, vel compressa, vel magnâ intemperie affecta. Præcipuè autem tum dolor pulsatorius contingit, cùm in parte est inflammatio seu phlegmone, & maximè cùm phlegmone suppuratur: & ita talis dolor est proprium signum inflammationis ac suppurationis in parte sensibili arteriis præditâ. Ex quibus manifestè colligitur, quid dolor pulsatorius significet, quam partem affectam, quem affectum, & quam morbi causam: Nimirum esse inflammationem, vel suppurationem, non esse in viscerum parenchymatibus, non esse in partibus sensu, neruis ac arteriis destitutis: & causam esse calidam, sanguinem scilicet aut bilem. Dico, hunc dolorem etiam esse signum suppurationis: ideó cùm inflammationes diu durauerunt, & dolor ac febris perseuerant, & sequitur dolor pulsatorius qui antè non fuit, signum est inflammationem suppuratum iri. Ab arteriarum pulsatione varia signa prognostica desumuntur. Celsus *lib.2.c.7.* sic ait: *Vbi vehementer venæ super vlcera mouentur, sanguinis profluuium erit.* Talis enim magna arteriarum in vlcere pulsatio indicat multi calidique sanguinis in venis præsentiam, quæ vehementiùs arterias ibidem existentes pulsare facit: vnde illius ab vlcere profluuium est expectandum. Similiter pulsationes in capite hæmorrhagiam, vel fluxura menstrua demonstrant. 5. *Coac.26. comm.2.* sic habetur: *Pulsationes in capite, sonitus aurium, profluuium sanguinis è naribus significant: alioqui mulieribus vteri purgationes educunt, tum aliàs, tum si secundùm spinam vrens calor sequitur.* Temporum tamen pulsationes etiam alios affectus, nempe capitis dolores, & pallidam virginum febrem sequuntur, & acres in capite vapores, & spirituosum sanguinem indicant, & futurum delirium prænuntiant. Porrò etiam in infernis partibus, secundùm Hippoc. pulsationes deliria minantur. Hipp.2. *Epid. sect.5.* & Galenus 6. *de Placitis, cap.9.* dicunt: *Si in cubito vena pulsat, maniam significat & furorem.* Ratio est, quia talis pulsatio indicat magnum in illa arteria sanguinis, vaporum spirituumque feruorem, qui vt facilè per venas & arterias iugulares ascendere potest, ita facilè quoque potest delirium causare. Idem de vmbilico dicit Hipp. *Sect.2. Coac.comm.2. lib.3. text.3.* his verbis: *Circa vmbilicum dolores palpitantes aliquid habent quod mentem turbet.* Idem quoque asserit de hypochondriis, *Sect.2. Coac.comm.2. text.13. Pulsus*, inquit, *in hypochondriis cum perturbatione, delirium portendit, magis quoque si oculi crebriùs mouentur.* Et *alio loco in Coac.* dicit: *Ventris palpitationes cum febre, insanias mouent.* Et 1. *Progn.* idem de iliis dicit. *Si pulsus*, inquit, *in iliis sit, perturbationem significat atque delirium.* Idem asserit Celsus *lib.2. cap.6.*

his verbis : *Ergo protinus insania timenda est , vbi expeditior alicuius quàm sani fuerit sermo, subitâque loquacitas , & vbi quis rarò vehementérque spirat,venáque concitatas habet , præcordiis duris & tumentibus.* Ex quibus Celsi verbis potest colligi horum omnium ratio: nimirum quia talis ventris præcordiorumque pulsatio indicat ibidem subesse vel diaphragmatis,vel hepatis,vel orificij stomachi magnam inflammationem,talemque quæ ad suppurationem tendat : ex qua meritò timeri ac prædici potest delirium , præcipuè si alia simul imminentis delirij signa , vt insolita loquacitas,rara respiratio,oculi præter solitum mobiles adsint.Etenim vbi viscerum magna est inflammatio, continua statim febris comitatur:continuam autem febrem sequitur delirium.

Dolor pruriginosus est, qui cum aliqua voluptate est coniunctus , & prouocat hominem ad scalpendum , & scalpendo mitigatur. Hic dolor non excitatur in partibus internis,sed tantùm externis ac in cute, & causatur ab humore tenui,seroso ac salso.Hinc talis dolor indicat abundantiam salsorum, tenuium ac serosorum humorum,vel in toto, vel saltem sub cute. Si talis dolor in morbis superueniat , cùm antea non adfuerit, indicat humores crudos in corpore esse attenuatos, & salsedinem ac putredinem aliquam contraxisse. Indicat etiam tales tenues ac serosos humores , qui antea in venis latuerunt , nunc à Natura foràs & ad cutem expelli. Pruritus aliquando indicat prægressos sudores , quia post sudores sæpe sequitur pruritus : quod fit ex eo , quòd crassior sudorum pars in corpore sit relicta , quæ sub cute hærens facit pruritum.Pruritus etiam excitatur ab emplastris membris appositis, præcipuè vim aliquam attracticem habentibus,quia ab illis attrahuntur tenues ac serosi humores ad cutem,qui emplastica vi medicamenti obturante poros cùm exhalare non possint,faciunt tum pruritum,tum rubores,ac aliquando etiam pustulas. Pruritus ani cum tenesmo,est signum ascaridum. Pruritus narium prouocans ad fricandum in pueris,est signum vermium. Pruritus pudendi & frictio eius in pueris,est signum calculi vesicæ.Pruritus in toto cum pustulis, est signum scabiei ac herpetis miliaris. Hipp. *Sect.2.Coac.comm.1.lib.6.text.55.* sic loquitur. *Pruriginosa corpora post suppressam aluum in tabidis,malum.* Est autem malum,primò vt signum, quia indicat acrem,ichorosum ac salsum sanguinem, maximè si aluus sit suppressa. Secundò,malum est vt causa, quia pruritus impedit membrorum nutritionem ac somnum, & auget calorem.

§. IV.

A Modo Doloris.

Alij sunt continui,alij intermittentes:alij profundi, sublimes;lati, angusti;mobiles , fixi ; alij cum talibus actionibus , vel post tales actiones, post talia ac talia remedia alleuiantur vel intenduntur.

Continuus dolor partis indicat eam primariò esse affectam. Interpo-

latus,

latus, esse affectam per consensum. Continuus dolor etiam indicat causam morbificam esse crassam & humorosam: Remittens tenuem, quæ aliquando dissipetur & redeat, vt flatus & vapores, vel tenuem bilem. Continuus indicat etiam causam permanere: remittens, eandem dissipari ac de nouo regenerari: & sic dolores qui fiunt à fluxionibus ac catarrhis sunt intermittentes, & per temporum interualla, certasque aëris constitutiones recurrentes. Dolor latus vel indicat causæ multitudinem, quæ varias partes occupet, vel variarum simul partium affectionem, vel talis vnius partis, quæ multas alias in consensum trahere possit, vel affectum alicuius partis quæ latè extenditur, vt membranarum, neruorum, venarum. Sic dolor pleuriticus, quia membranam afficit, modò adiugulum ac scapulas, modò ad hypochondria vsque protenditur. Dolor neruorum ac venarum, longus est, ac in longum & angustum protenditur per modum cuiusdam chordæ trahentis. Sic ex affectu humerorum, dolor in digitos manuum vsque; coxendicis, secundùm crus totum in extremos pedes protenditur. Profundus dolor indicat partes in profundo sitas; sublimis, partes in superficie dolere. Profundus dolor partium extremarum, est dolor tensiuus neruorum sub arteriis ac venis existentium: dolor pulsatorius inflammationis tenuem cerebri membranam, seu piam matrem occupantis. Est etiam talis dolor, cùm periostium partium extremarum est affectum. Talis est etiam dolor pleuriticus, cùm inflammatio est in membrana succingente; nam cùm est in musculis intercostalibus, tunc dolor fit sublimis. Talis est etiam dolor viscerum omnium in hypochondriis ac præcordiis contentorum. Dolor è contra pericranij ac musculorum, & dolor musculorum epigastrij, est dolor sublimis. An autem dolor sit sublimis, an profundus, dignoscitur, tum ipsius ægrotantis sensu, tum etiam quòd sublimis atque externus externo tactu exacerbetur, profundus non item. Mobilis dolor fit à flatu, modò in hanc, modò in aliam partem discurrente: & ideò talis dolor communiter indicat flatus, præcipuè si ipse dolor sit tensiuus; talem enim dolorem flatus inducere nati sunt: nam si non sit tensiuus, tum potiùs talis doloris mobilitas ab alia causa pendet, vel scilicet ab humorum turgentia, vel à consensu vnius partis cum altera, vel quia morbi causa est à destillatione ac fluxione; quæ modò in hanc, modò in illam partem delabitur, & cùm in vna parte est dissipata, defluit in aliam. Sic dolor arthriticus etsi non sit à flatu, est tamen mobilis ob causam iam dictam. Præcipuè tum doloris mobilitas flatus indicat, quando ipse in ventre ac abdomine percipitur, tali scil. loco, quo & flatus generari nati sunt, & ab vna parte in alteram transcurrere possunt, quà sunt intestina & partes magnam cauitatem habentes, vt thorax, abdomen, vterus, &c. Mobilis ergo dolor etiam talem partem affectam indicat, ex qua in alteram remotiorem facilis sit causæ morbificæ ac flatuum transmigratio. Dolor fixus indicat causam morbificam crassam frigidam, lapidem infixum, vel apostema, vel vlcus, & similia mala, quæ sedem mutare non possunt. Indicat etiam talem partem affectam, in qua

causa

cauſæ morbificæ non poteſt ab hoc loco in alium eſſe diſcurſus. Dolor colicus plerumque eſt dolor mobilis, & modò in dextra, modò in ſiniſtra parte, modò ſub ſtomachi fundo percipitur. Dolor circa ductum vreterum, à ſurſum deorſum, & à poſteriore parte verſus anteriorem per inguina deſcendens, eſt ſignum calculi renum, per vreteres ad veſicam deſcendentis. Dolores percipi poſt peculiares aliquas actiones, non pauca ſigna præbent. Sumpto cibo, vel non ſumpto, dolorem aliquem augeri, ſignum eſt ſtomachi affecti debilis, cruditatibus & flatibus referri. Peculiariter autem cibo iam concocto dolorem deſinere, mox ingeſto augeri, eſt ſignum flatuum: ab ingeſto enim cibo calor debilis flatus excitat, quibus ſtomachus læditur; cibo concocto diſſipantur, hinc tum ſtomachus alleuiatur. Denique ab ingeſto cibo ſtomachus magis tenditur & grauatur, concocto iam & emiſſo alleuiatur. Econtrà dolorem ab aſſumpto cibo diminui, vacuo ſtomacho augeri, eſt ſignum acrium & malignorum humorum in ſtomacho exiſtentium, qui miti alimentorum ſubſtantiâ & qualitate retunduntur; in alimenti verò abſentiâ exaſperantur, & malignis ſuis vaporibus caput, cor, ac ſtomachi orificium feriunt. Aſſumpto cibo dolorem minui, eſt etiam ſignum vermium: nam vacuo ſtomacho illi diſcurrunt & mouentur ad quærendum alimentum, & ipſaſmet partes mordicant; ingeſto cibo quieſcunt, & eo paſcuntur. Dolorem percipi in deglutiendo, eſt ſignum affectûs in faucibus. Dolorem percipi, cùm iam cibus per œſophagum deſcendit, eſt ſignum affectus in œſophago. Cùm verò in loco orificij ſtomachi deglutiendo dolor percipitur, ſignum eſt quòd affectus ſit in ipſo. Si percipitur dolor deglutiendo cibos acidos, acres ac ſalſos, eſt indicium quòd in partibus mediis ſit vlcus. Notandum tamen, quòd dolor in deglutitione cibi, non ſolùm œſophagi, ſed & aſperæ arteriæ vlcus indicare poteſt, eo quòd illa œſophago arctè coniungatur, & affectus vnius, alterius quoque impediat actionem: & ideò vtra iſtarum laboret, ſic eſt diſtinguendum. Nam ſi deglutiendo dulcia & inſipida, dolor non augetur, ſed ſolùm augetur deglutiendo acria & ſalſa, eſt indicium vlcus eſſe in œſophago, & non in aſpera arteria; ſin hoc ſit indifferens, neque ob aſſumpta acria maior dolor percipiatur, quàm propter dulcia, ſignum eſt affectum eſſe in aſpera arteria; ſi enim in œſophago eſſet, deberet ab acribus deglutitis maior eſſe, quàm propter dulcia. Dolorem à tuſſi exacerbari, non poteſt propriè affectam partem indicare; quia in quacunque ferè corporis parte dolor ſit, tuſſiendo exacerbatur, eo quòd à tuſſi omnes ferè corporis partes agitentur, & agitatæ doleant. Magis propriè tamen & magis per ſe tuſſiendo dolorem augeri, indicat thoracis & ſpiritalium partium, pleuræ, diaphragmatis, ac partium vicinarum inflammationem. Si cum tuſſi humores morbifici excernuntur, ſæpe tantum abeſt vt dolor tuſſiendo exacerbetur, vt potiùs minuatur. Dolorem percipi in reſpirando, etiam vel muſculorum thoracis, vel diaphragmatis, vel hepatis inflammationem indicat: thoracis, ſi doloris ſitis reſpondeat

ſitui

ſitui thoracis: hepatis, ſi ſitui hepatis, ac magis ſi inflammati aut affecti ſigna adſint. Magis autem tum in reſpirando dolor percipitur, cùm inflammatio eſt in conuexa hepatis parte; minùs, cùm eſt in caua. In imo ventre; ac alui deiectionibus dolorem percipi, eſt ſignum affectus exiſtentis in inteſtinis. Tempore mictionis in veſica aut vreteribus, paulò ante deiectionem dolorem percipi, ſignum eſt doloris locum eſſe in inteſtino ſuperiore. Immediatè ante deiectionem percipi, eſſe in inteſtino recto. In ipſomet actu deiectionis percipi dolorem in lumbis, ſi cum corporis tortione valde exaſperetur, eſt ſignum quòd ſit in partibus externis, id eſt, vel in muſculis, vel ſpina dorſi, vel oſſe ſacro; ſin minùs, eſſe in internis, & vel in renibus, vel aliis partibus internis. In doloribus thoracis, ſi decumbentibus in latus ſanum dolor exaſperetur, eſt ſignum inflammationis in membrana ſuccingente; ſin minùs, eſt ſignum inflammationis externæ in perioſtio & muſculis. Ratio eſt, quia in primo caſu ſeu decubitu, pars ipſa pondere inflammationis dependentis in cauitatem diuellitur, vnde dolor fit maior; in ſecundo autem caſu talis diuulſio non fit, quia tum apoſtemata ſic non pendent, imò dolor tum eſt maior, ſi decumbant in latus dolens, quia tum pars affecta preſſione lecti contra ipſam, & incubitu totius molis corporis ſuper ipſam, coarctatur & opprimitur. Dolorem augeri vel ceſſare à remediis adhibitis, ſæpe morbi cauſam poteſt indicare. Sic calidis adhibitis, augeri, eſt ſignum cauſam morbi eſſe calidam; minui verò contrà. Idem de frigidis eſt cenſendum. Clyſteribus carminatiuis dolorem mitigari, eſt ſignum dolorem eſſe in inteſtinis, & eſſe colicum. Dolorem ab amaris aſſumptis minui, ſignificat eſſe vermes. Sic Hippoc. lateris dolorem dignoſcere docet fomentis adhibitis: ſi enim illis adhibitis dolor minuitur, ſignum eſt eſſe à flatu, & quòd non ſit pleuritis; tali enim remedio flatus diſſipantur. Si augetur, eſt ſignum phlegmones; nam tale remedium calefaciendo partem, & ſanguinem fundendo, auget fluxionem & inflammationem. Dolores, qui retentis menſibus augentur, indicant vteri vitium. Qui ſuppreſsâ aluo augentur, fluente remittuntur, indicant affectum eſſe in partibus primæ coctioni inſeruientibus, vt ventriculo, meſenterio, inteſtinis. Sic dolor ilij, pubis inguinum, coxarum, ſubductâ aluo non lenitur; ſed bene affectus ſtomachi ac inteſtinorum. Hac ratione dolor colicus à nephritico poteſt diſcerni; nam nephriticus ſubductâ aluo non ita lenitur, colicus verò maxime. Dolores capitis à cibo ſedari, indicium eſt eos eſſe à conſenſu ſtomachi. Sic euacuatâ aut curatâ vnâ parte, dolorem ſedari in altera, ſignum eſt hanc per conſenſum laboraſſe. Seſſione, equitatione, vel vectione in theda, dolorem ſentiri in perinæo, eſt ſignum calculi veſicæ.

§. V.

A Tempore Doloris.

Dolores, qui manè magis exaſperantur, magis fiunt à ſanguine: qui

meridie, à bile : qui veſperi, à melancholia: qui noctu, à pituita: eo quòd humores illi eo tempore in corpore magis agitari credantur. Dolores quoque ex morbo Gallico præcipuè veſperi ſolent exacerbari. Dolores articulorum à frigido humore maximè exacerbantur, cùm ægri à lecto incipiunt incaleſcere. Ratio eſt, quia tum humor pituitoſus à lecto calefaciente funditur, rareſcit, & ſic articulum magis diuellit & extendit; fortè etiam, vt dictum eſt, quia pituita noctu magis ad articulum fluit, vnde malum augetur.

Cap. III.

A Qualitatibus audibilibus, ſiue Sonis.

§. I.

VArij in corpore ſoni audiuntur, quorum aliqui ab ipſo ſolùm ægro audiuntur, vt tinnitus aurium : alij etiam à Medico & adſtantibus, qui varij ſunt, vt ventris ſtrepitus ac flatus, in abdomine rugitus, ſtrepitus in reſpirando, vt ſtertor, & gutturis murmur, ac vt ita dicam, pipitus, ſtrepitus in deglutiendo, ſonitus in abdomine ab ipſius pulſatione. Primùm agemus de ſignis à crepitu ventris.

§. II.

A Strepitu Ventris.

Flatus alij permanentes in ventre ſtrepitum & murmur faciunt, alij cùm exeunt. Omnis rugitus & murmur indicat flatus in eo contentos; & talis creber ventris rugitus ac flatulentia indicat obſtructiones ac compreſſiones inteſtinorum, propter quas flatus non poteſt liberè commeare, ſed cum murmure oberrat. Indicat etiam debilem calorem natiuum multos flatus generantem. Talis rugitus creber ac diuturnus eſt inter ſigna melancholiæ hypochondriacæ. Eſt etiam ſignum vermium, præcipuè quando ventris punctiones ac lancinationes, aliáque vermium ſigna comitantur. Aliquarum virginum venter ita murmurat, quod nonnulli inter ſigna virginitatis ponunt, ex eo quòd coniugatis, & iis quæ pepererunt, non ita contingat. Ego verò puto rationem eſſe, quòd virgines ſe adeò conſtringant, vt tenuiores & minùs craſſæ euadant; coniugatæ non item. Hippoc. 2. *Coac.* 6. Sic ait : *In febribus flatulentus venter malo eſt; præcipuè ſi flatus non exeunt.* Rationes huius variæ ſunt. *Primò*, quia eſt contra naturam flatus generari, & febrem adeſſe : cùm febris ſit calor, flatus autem ſint à frigore : mala autem ſunt ſymptomata frigida in febribus, vt aliàs dictum eſt, & mala ſunt ſymptomata, quæ præter morbi rationem eueniunt. *Secundò*, quia tales flatus cùm

generentur

generentur à debili calore, indicat caloris natiui debilitatem; quæ debilitas in febribus est mala, quòd causa morbifica à calore valido coqui & expelli debeat, & ab eo crisis fieri. *Tertiò*, quia sæpe talis flatus dolorem facit: dolores autem accedere in febribus, & malum malo superaddi, est malum: & ideò dixit suprà Hippocrates, malos esse in febre flatus, *si non exeant*. *Quartò*, quia hoc indicat causarum varietatem, & ex eo oriuntur contrariæ curationes, tum refrigerandi pro febre, tum calefaciendi pro flatibus. Murmur ventris sub tempus crisεos, est bonum signum; & signum futuræ crisεos per alui deiectionem. Sic Hippoc. 4. *Coac.* 32. *Quibus verò*, inquit, *ructus, flatus, strepitus ventris, iis extuberat venter & perturbatur*. 4. *Aphor.* 73. sic habetur: *Quibus præcordia sublata ac tumida permurmurant, subeunte lumborum dolore, his aluus humectatur, si non flatus erumpant, aut vrina copiosa prodeat*. Et in *Progn.* ac *Coac.* sic ait: *Præcordiarum dolores ac tumores, si fuerint recentes citra inflammationem, soluit murmur in præcordiis ortum, idque maximè si pertranserit cum fœcibus vrina ac flatus; sin minùs, ipsum etiam per se modò permeauerit, prodest*. Id est, Dolores ac tumores præcordiorum recentes, qui non sunt ab inflammatione, soluit superueniens murmur ventris: Est enim indicium, illum dolorem ac tumorem esse à flatu, & quòd ille flatus incipiat moueri & descendere: quodque exibit vel per se, vel cum alui deiectionibus, ex quo dolor tumorque cessabunt: Nam si dolor aut tumor esset ab inflammatione, etiamsi talis rugitus ventris superueniret, non tamen propterea cessaret. Ex quo patet, malè dixisse Celsum, vel locum Celsi potiùs esse vitiatum, quando *lib.* 2. *cap.* 3. sic ait: *Si inflammatio in inferioribus partibus dolorem tumoremque fecerit, &c. bonum*. Nam potiùs dicendum esset, bonum signum esse, si sit tumor & dolor in superioribus partibus, & non adsit inflammatio: sic enim Hippoc. dixit, ex quo Celsus omnia transcripsit. Rhases *lib.* 18. *cap.* 3. *Rei medicæ*, sic inquit: *Multa ventositas inferiùs egrediens, cùm cibus non fuerit inflatiuus, debilem digestionem significat: quòd si verò nulla egreditur ventositas, caloris paucitatem, & frigiditatis superfluitatem significat*. Etenim maiorem caloris debilitatem indicat, flatus generari & non posse expelli, quàm generari & expelli. Melius signum est flatus exire sine sono, quàm cum sono. Hippoc. 2. *Coac. comm.* 1. *lib.* 7. *text.* 35. sic inquit: *Flatus sine edito sono excludi oportet. Melius autem est cum sono exire, quàm circumuolui ac remeare: & qui sic excernuntur, significant vexationem ægri & deliriũ, nisi sponte hoc efficiat*. Idem dicit 1. *Progn.* 10. & 2. *Progn.* 24. his verbis: *Flatum porrò sine strepitu exire, optimum: cum strepitu autem exire, aut dolere hominem significat, aut delirare, nisi fortè suâ sponte flatum emittat*. Vult hîc dicere Hippoc. quòd ægrum emittere flatum cum sonitu, in præsentia Medici ac grauium virorum, ac talem ægrum, qui aliàs solet esse honestus, & quem aliàs id facere puduisset, sic malum signum, & signum eum delirare, vel tanto dolore affici, vt nimietas doloris cogat eum, pudorem deponere: & hoc, inquit, sic est malum signum, nisi constet ægrum id sponte suâ, &

deliberatâ voluntate,ac licentiâ adſtantium facere. Porrò, quòd melius ſit, exire flatûs ſine ſono,quàm cum ſono,eſt alia potior ratio, quia ſcil. flatus qui cum ſono exeunt, ſunt ſicci, & indicant inteſtinorum ac ani compreſſionem ſeu anguſtiam, & duritiem atque ſtypticitatem ventris; at qui ſine ſono exeunt,ſunt humidi & aquei, & indicant ventris lubricitatem,& promptitudinem ad deiectionem, & ſubſecuturas alui fæces: & ideò flatus ſine ſono exeuntes magis fœtent illis,qui cum ſono exeunt. Borborygmus eſt flatus non exiens, ſed intus in ventre murmurans; & eſt tale murmur flatuum in ventre, quale ſolet contingere iis qui medicamentum purgans acceperunt. Contingit tale murmur, quando flatus vnà cum ſubſtantia humida permiſcentur, & contingit in inteſtinis inferioribus. Talem borborygmum aſſerit Galenus indicare excrementorum expulſionem mox futuram. Eſt aliud murmur flatuum incluſorum,quod habet ſonum acutiorem & clariorem inſtar coaxantium ranarum, quale dixi in puellis,quæ ſe fortiter conſtringunt,ſæpe reperiri. Tale murmur indicat flatûs in ileo eſſe incluſos,& non deſcendentes,ſed potiùs ſuſpenſas fœces. Dentium ſtridor, qui ſanis non eſt aſſuetus, peſſimus eſt in morbis acutis. Hippoc.*comm.2. Sect.2.Coac. lib.2.Collidi dentes & ſtridere,cui id à pueritia conſuetum non ſit, furioſum & lethale*,inquit. Ratio eſt, quia eſt ſignum quoddam conuulſionis factæ à ſiccitate; talis autem conuulſio in morbis acutis eſt lethalis. Sciendum tamen, quòd in rigoribus criticis, & animi deliquiis, aliquando fiunt ſtridores & colliſiones dentium,quæ non ſunt lethales. Idem prognoſticum ponit Celſus *lib.2. c.6.* Porrò Aëtius *lib.9.cap.39.* ſtridorem dentium ponit inter ſigna vermium, his verbis: *Aliqui etiam dentibus ſtrident,quod contingere veriſimile eſt vermibus cibum trahentibus, mordicantibúſque ventrem & inteſtina.* Idem ponit Celſus *lib.4.c.57.* Sed de his plura dicta ſunt,vbi de ſignis à Dentibus.

§. III.

A Tinnitu Aurium.

Aurium tinnitus in acutis febribus eſt etiam pernitioſus. Hippoc.*2. Coac.lib.1. comm.2.text.6.* ſic inquit: *Bombus in acutis, & ſonitus aurium, lethale.* Et *text.ſeq.* ſic ait: *Sonitus aurium cum hebetudine viſus, & grauitate narium, mentem mouet, & ſanguinem è naribus elicit.* Et *alio loco* dicit: *Quibus ſurditas cum capitis grauitate, & hypochondrij tenſione, ac aurium ſonitu, ſiquidem oculus ad ſplendorem perturbatur, ſanguinis profluuium ſignificatur.* Et *5. Coac.* 10. ait: *Pulſationes capitis, & aurium ſoni, ſanguinem profundunt, aut menſtrua deducunt, multò magis ſi in ſpina dorſi ardor conſequitur.* Tinnitus aurium in acutis aliquando portendit delirium, quia ſignificat feruidos ac bilioſos fumos in caput aſcendere, qui ſunt cauſa delirij. Indicat etiam futuram criſim, quia indicat humorum agitationem. Feruidi enim fumi,qui in caput feruntur, in auribus tinnitum excitant,

excitant, & futuram crisim, præsertim per hæmorrhagiam indicant; maximè autem cùm & capitis grauitas, & pulsatio, & splendores circa oculos, & vultûs rubor comitantur : nam & hæc etiam futuræ hæmorrhagiæ signa sunt. Aliquando etiam talis tinnitus signum est cerebri inflammati, vel abundantiæ calidi sanguinis in capite. Tinnitus inueteratus surditatem præsagit. Tinnitus ex morbis longis relictus, difficilis est curationis.

§. IV.

De Strepitu in Respirando.

Strepitus in respirando est duplex: alius, qui contingit dormientibus, & vocatur stertor; alius qui vigilantibus. De stertore, suprà dictum est. Strepitus, qui vigilantibus inter respirandum accidit, est admodum malus. Hippoc. 1. *Progn.* 13. agens de sputis, sic inquit : *Malum est, si nihil repurget, nec emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture. sect. 2. Coac. com. 1. lib. 5. text.* 28. sic inquit : *Quibus pleuriticis strepitus in pectore multus, & facies tristis, oculus auriginosus & turbulentus, moriuntur.* Et *text.* 25. sic dicit : *In doloribus pleuriticorum vtile est aluum esse mollem, sputa colorari, vrinam facilè prodire, strepitum in pectore non fieri.* Talis strepitus in gutture, est signum obstructionis in gutture, abundantiæ phlegmatum, ac puris in aspera arteria, vel pectore, & debilis facultatis respiratoriæ, & signum futuræ strangulationis ac mortis : nisi hoc fortè contingat ex aliqua pituitosi humoris è capite in pectus defluxione; nam tum non est lethale. Eodem modo etiam est malus strepitus, qui auditur in deglutiendo potum : talis enim strepitus auditur in moribundis, cùm potabile aliquid assumunt. Hippoc. 2. *Coac.* 27. sic inquit : *Qui deglutientes potum obiter strepunt, & submurmurant in siccis, & qui difficulter transglutiunt, tussiculoso spiritu, lethale in acutis.* Et 3. *Coac.* 2. *Phrenitici*, inquit, *rarius bibentes, & qui quod bibunt cum strepitu deglutiunt, in tremorem & conuulsionem incidunt.* Quotquot referuntur *in Epid.* tale signum habuisse omnes obierunt. Causæ talis strepitûs possunt referri tres : scil. nimia œsophagi siccitas, per quem decurrens liquor sonitum edit; vel flatus è ventriculo erumpens & sursum tendens eo tempore, quo potus deorsum tendit, qui sibi mutuò occurrentes, & ibidem pro transitu quasi colluctantes, eiusmodi strepitum faciunt : vel potiùs imbecillitas facultatis tum attractricis, tum retentricis, quæ cùm vigent, paulatim & sine sonitu potum demittunt; cùm verò sunt debilitatæ, potus non vi illarum, sed solùm suâ grauitate naturali deorsum cadit : vnde tunc quendam sonitum facit, non aliter quàm aqua suâ grauitate naturali in vacuam ollam per angustum eius collum defluens.

CAP. IV.

A Qualitate Visibili.

IN variis corporis partibus diuersi fiunt colores non-naturales, vt in oculis, genis, totâ facie rubor, vel flauedo: in extremis partibus, vt digitis, naso, &c. liuores, &c. Verùm de his egimus suprà, vbi de signis singularum partium. Restat vt aliqua dicamus de maculis in corpore obortientibus. Obortiuntur autem maculæ, tum in corporibus viuentibus, tum in mortuis. Maculæ varij sunt coloris, rubræ, albæ, purpureæ, flauæ, liuidæ, &c. In pectore, aliisque partibus maculæ subfulæ, rotundæ, latæ contingunt, quæ vitiligines appellantur, quæ signa sunt melancholici sanguinis, lienis obstructi, ac prauâ intemperie affecti: ac lichenes, morphæam, lepram minantur; præcipuè cùm à parte sic colorata furfures decidunt, ac cuticula præ siccitate decorticatur. Maculæ liuidæ & nigræ per totum corpus sparsæ, quum nec pestis, nec malignæ febris signa adsunt, scorbutum ac lienem affectum esse indicant. Hipp. 2. *Prorrh.* 39. sic inquit: *Gingiuæ vitiatæ, & ora graueolentia his sunt, quibus lienes magni sunt. Quicunque verò habent splenes magnos, neque sanguinis eruptionem, neque oris graueolentiam, horum tibiæ vlcera praua habent, & cicatrices nigras.* Celsus *lib.* 2. *cap.* 4. idem dicit his verbis: *Quibus magni lienes sunt, his gingiuæ malæ fiunt, & os olet, vel sanguis ex aliqua parte prorumpit: quorum si nihil euenit, necessum est in cruribus mala vlcera & cicatrices nigras fieri.* Porrò in febribus maculas purpureas & liuidas apparere, est signum pestis, vel saltem febris admodum malignæ.

FINIS.

INDEX

INDEX

MATERIERVM PRÆCIPVARVM Huius Tractatûs.

A.

Signa ab

- ACTIONIBVS animalibus. pag. 192
- Aëre. 47. 64. 177
- Æstatis morbis. 179
- Ætate. 48. 64. 84. 150
- Animi affectibus. 47. 64. 187
- Animi passionibus. 251
- Anni tempore. 179
- Appetentiâ deiectâ. 256
- Assumptis. 84
- Attractione læsâ. 85
- Auditione læsâ. 201
- Auribus. 165
- Aurium sordibus. 393
- Aurium tinnitu. 412
- Autumnalibus morbis. 180

Anamnestica signa. 7
An à regione possit desumi signum temperamenti. 30
An ex corporis pilis possit temperamentum totius cognosci. 24
An ex figura corporis possit optimum temperamentum cognosci. 21
An ex perfectissimis operationibus cognoscatur corpus temperatum. 20
An ex repugnantia ad causas externas, seu à lædentibus possit cognosci temperamentum. 25
An ingeniositas sit signum complexionis melancholicæ. 41
An libidinositas sit signum melancholiæ. 40

An

An maximè resistere omnibus causis morbificis sit signum corporis temperati. 19
An metus sit signum melancholiæ. 36
An mortuus quis, an viuus sit vulneratus. 51
An prædictio sit securior in morbis acutis quàm longis. 88
An quis armis venenatis sit interfectus. 51
An quis fulmine mortuus. ibid.
An quis mortuus sit suspensus, an viuus. ibid.
An quis proiectus sit in aquam viuus an mortuus. ibid.
An quis venenum sumpserit. ibid.
An temperamentum corporis possit cognosci ex constitutione corporis gracili vel pingui. 23
An temperamentum corporis possit cognosci ex temperamento cutis. 22
An vulneratus ex vulnere mortuus sit, an ex alia causa. 53

B

Signa { Bilis abundantis. 59
à Brachiis. 176

C

CAlor quomodo attenuet. 314
Certa signa. 15
Cholerici in quos morbos proni. 188
Circa crisim quod considerandum. 126
Crisis, quid. 125
Criseos bonæ conditiones. 140
Criseos causæ. 126
Crisis facta bonáne sit, nécne. 139
Crisis futura quibus cognoscatur. 126
Crisis per abscessum. 136
Crisis per expulsionem. 123
Crisis per translationem. ibid.
Crisis quomodo futura. 134
Critica signa diuersi generis. 130
Signa à { Calore 83
Capite. 157
Casu in terram. 220
Causis. 15. 57. 67. 72. 84. 188
Cerebro calido. 43
—— Frigido. 44
—— Humido. ibid.
—— Sicco. ibid.
Cibo.

Præcipuarum huius Tractatûs.

Cibo. 47. 64. 184
Cometis. 47
Signa à Complexione. 34. { bilioſa. 33 / melancholica. 36 / pituitoſa. 35 / ſanguinea. 34
Concoctrice læsâ. 85
Conſuetudine. 64
Conuulſione. 207
Corde calido. 44
—— frigido. ibid.
Crapulâ. 47
Cruditate. ibid.
Cruribus. 176

D

Signa à { Decubitu. 215 / Deiectione. 285 / Delirio. 192 / Denſitate corporis. 149 / Dentibus. 167 / Diſpoſitione corporis. 48. 145
Diagnoſtica ſigna. 7. 56
Dolor quomodo oſtendat partem affectam. 80
Signa à Dolore 398. { grauatiuo. 404 / pulſatorio. ibid. / punctorio. 403 / pruriginoſo. 406 / tenſiuo. 402 / continuo. 406 / intermittente. ibid. / lato. ibid. / anguſto. ibid. / profundo. ibid. / ſublimi. ibid. / mobili. ibid. / fixo. ibid.
Doloris { loco. 399 / modo. 406 / tempore. 409

E

Effectibus. 15. 67
Euacuatione. 64. 106. 187
Signa ab Excrementis. 49. 58. 64. 70. 71. 81. 117. 260
Extretionis tempore. 106
Exercitio. 47. 64. 84. 186
Epiphænomena signa. 7
Epiphænomena signa quot. 14
Exitus morbi regulæ generales. 92
Exitus morbi regulæ particulares. 95
morbi causa. 97
causis internis. 98
partibus. 99
natura ægrotantis. ibid.
Exitus morbi Signa à Symptomatibus. 101
actionibus læsis. 102
qualitatibus mutatis. 103
morbi tempore. 107
iuuantibus & lædentibus. 109
viribus. ibid.
modo. 122

F

Facultas naturalis robusta vnde cognoscatur. 115
Facultas naturalis hepatis debilis. 114
Facultatis animalis robustæ. 112
Facult. naturalis robustæ vel debilis. 114
Signa Facult. naturalis cerebri debilis. ibid.
Facult. naturalis pulmonis debilis. ibid.
Facult. naturalis stomachi debilis. ibid.
Facult. vitalis robustæ vel debilis. 113
Faciei colore. 158
Faciei similitudine. 157
Faciei tumore. 160
Signa à Facilè frigere. 28
Faucibus. 169
Figurâ corporis. 149
Flatus abundantiâ. 61

G

Signa à Gesticulatione manuum. 214
Gracilitate corporis. 146
Gustu læso. 205

Præcipuarum huius Tractatus.

H

Signa { H Epatis calidi. 45
H ——— frigidi. ibid.
Hyemalium morborum. 180

Signa ab { Horrore. 210
Hypochondriis. 171

I

IMpropria signa. 15
Incerta signa. ibid.
Insalubria signa. 50
Inseparabilia signa. 15

Signa ab { Inanitione. 187
Inquietatione. 217
Iuuantibus & lædentibus. 65. 73. 75. 84

L

Signa à { Labris. 166
Lachrymis. 394
Lassitudine. 218
Linguâ. 168
Lunæ ætate. 182

M

MElancholici in quos morbos proni. 188

Signa { Melancholiæ abundantis. 60

Morbi { calidi 75
frigidi. ibid.
sicci. ibid.
humidi. 76

Morbi exquisiti & spurij. 70

Morbi longi vel breuis, { à morbi specie. 68. 116
à parte affectâ. 68. 117
à viribus. 69. 116
à symptomatibus. 69. 117
ab excrementis. 70. 117
à causa morbi. 69. 116
à magnitud. morbi. 68. 116

Morbi magni & parui. 65
Morbi maligni. 67
Morbi primarij. 71
Morbi simplicis & compos. 74
Morborum instrumentalium. 76

Signa à
- Maculis corporis. 414
- Magnitudine corporis. 145
- Morbi genere. 84
- Morbis. 49. 61. 189
- Motu & quiete. 185
- Motu voluntario. 205
- Murmure. 84

N

Signa à
- Natura. 116
- Naso. 164

Neutra signa. 45

O

Obstructionis signa. 77

Signa ab
- Obesitate corporis. 147
- Obliuione. 195
- Oculis. 160
- Oculorum actione. 164
- Oculorum colore. 161
- Oculorum contentis. 163
- Oculorum figura. 160
- Oculorum motu. 162
- Olfactu læso. 203

P

Signa à
- Palpitatione. 213
- Palpitatione cordis. 250
- Pandiculatione. 214
- Paralysi. 220
- Parentibus. 47. 64
- Parte affecta. 58. 65. 67. 68. 71. 75. 78. 153
- Particula partis excreta. 82
- Partibus externis. 156
- Partibus extremis. 175
- Pure exeunte. 273

Pituitæ abundantis signa. 60
Pituitosi quibus morbis obnoxij. 188
Prognostica signa, quid. 7
Prognostica signa quotuplicia. ibid.
Propria signa. 15. 16
Puer mortuus an à nutrice suffocatus, necne. 51
Pulsus quid. 231
Pulsus, cuius partis vitium indicet. 232

Præcipuarum huius Tractatus.

Pulsuum differentiæ. 233
Pulsuum differentiarum causæ. ibid.
Pulsus validus ac vehemens. ibid.
—— Languidus. 234
—— Magnus. ibid.
—— Paruus. 235
—— Creber. 236
—— Celer. 237
—— Tardus. 238
—— Mollis. ibid.
—— Durus. ibid.
—— Æqualis. ibid.
—— Inæqualis. 241
—— Impar citatus. 241
—— Intermittens singularis. 242
—— Intermittens systematicus. 246
—— Caprizans. 243
—— Myurus singularis. ibid.
—— Myurus systematicus. 246
—— Vndosus. 244
—— Vermiculans. ibid.
—— Formicans. ibid.
—— Serrans. 245
—— Conuulsiuus. ibid.
—— Vibratus. 246
—— Intercurrens. 247
—— Deficiens. 248

Q

Signa à Qualitate externâ. 58
Qualitate visibili. 414
Qualitatibus corporis. 48. 65. 83
Qualitatibus primis. 395
Quiete. 185
Quo morbo quis mortuus sit. 50

R

Signa à Raritate corporis. 149
Regione. 178
Respiratione. 221
Respirationis strepitu. 413
Retentis. 83
Retentrice læsâ. 85
Rigore. 210

S

Salubria signa. 17
Sanguinis abundantis signa. 58
Sanguinei quibus morbis obnoxij. 188
Sanitas quomodo cognoscatur. 17
Sedimentum, quid. 346
Sedimentum quid significat. 361
Sedimentum ægrorum, quid. 351
Separabilia signa. 15
Seri abundantis signa. 61
Signum, quid. 1
Signorum differentiæ à quibus sumantur. 6
Signorum diuisio generalis. 8
Sinedreuonta signa. 7

Signa à
- Sanguine exeunte. 262
- Sensuum læsione. 198
- Sexu. 47. 64. 84. 149
- Sideribus. 182
- Singultu. 255
- Siti. 258
- Somno. 47. 186. 196
- Sono. 410
- Sputo. 387
- Sternutatione. 225
- Strepitu in respirando. 415
- Sudore. 277
- Symptomatibus. 49. 58. 64. 69. 72. 75. 85. 192
- Syncope. 249

T

Signa
- Testium calidorum. 45
- Testium frigidorum. ib.

Signa à
- Tactu læso. 203
- Temperamentis membrorum. 43
- Temperamento. 47. 143
- Thorace. 170
- Torpore. 205
- Tremore. 206
- Tumore 83
- Tussi. 230

Præcipuarum huius Tractatus.

V

Signa à
- Venis — 175
- Ventre. — 174
- Ventriculo { calido. — 45; frigido. — ibid.
- Ventris ſt epitu. — 410
- Vermibus. — 383
- Vigiliâ. — 186. 196
- Viribus. — 69. 110
- Viſu læſo. — 200
- Vlceribus. — 77
- Vnguibus. — 175
- Voce. — 227
- Vomitu. — 25
- Vtero. — 45

Vrina, quid. — 292
Vrinæ materia. — 295
Vrinæ cauſa efficiens. — 307
Vrina quid indicet. — 301
Vrinæ differentiæ. — 308
Vrinæ differentiarum cauſæ. — ibid.
Vrina calidorum hominum qualis. — 310
—— Frigidorum hominum, qualis. — ibid.
—— Puerorum. — 311
—— Iuuenum. — ibid.
—— Senum. — ibid.
—— Virorum. — ibid.
—— Mulierum. — ibid.
Vrinæ mulierum craſſities, vnde. — 318
Vrina mediocriter craſſa. — 315
Vrina tenuis. — 314
Vrinæ craſſities vel tenuitas quomodo cognoſcatur. — 316
Vrina vt tenuis fiat ab obſtructione. — ibid.
Vrinæ tenuis cauſæ primariæ. — 314
Vrinæ tenuis cauſæ ſecundariæ. — 318
Vrinæ craſſæ cauſæ efficientes. — ibid.
Vrina tenuis cum albedine. — 319.
—— craſſa cum coloribus extraneis. — ibid.
—— poſt mictionem turbida. — 321.
—— dum mingitur turbida. — 322. 223
Vrina an habeat flauedinem à bile. — 326
Vrina alba. — 329. 332
—— flaua. — 333
—— ſpicea.

——— ſpicea. 334
——— crocea. ibid.
——— fuſca. ibid.
——— rubra. 335
Vrina ſanguinea quid ſignificet. ibid.
Vrina nigra. ibid.
——— viridis. 336
——— liuida. 337
Vrinæ odor. ibid.
Vrinæ ſonus. 340
Vrina multa. ibid.
Vrina pauca. 341
Vrinæ contenta. 342
Vrinæ innatans pinguedo. 372
Vrinæ bullæ. 373
Vrinæ arenulæ. 377
Vrinæ farina. 379
Vrina orobea. ibid.
Vrina ſquammea. 380
Vrinæ caruncułæ. 382
Vrinæ pili. ibid.
Vrinæ pus. 383
Vrina ſanguinolenta. ibid.

FINIS.